COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

XLI.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. EPHRÆM.

TITUS BOSTRENSIS.

S. DAMASUS PAPA.

VI.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI.

Apud **VIRENQUE,** bibliopolam,

PARISIIS,

Apud **BIBLIOPOLAM,** cui nomen gallice;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO
SELECTA
SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIV.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

SERMONES SIVE TRACTATUS.

CLASSIS IX. — DE POENITENTIA.

— X. — DE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

— XI. — DE VITIIS.

S. P. N. EPHRÆM
SYRI.

CLASSIS IX. — DE POENITENTIA.

LIBER.

De pœnitentia.

I. Plerosque cernimus in Ecclesia constitutos, ecclesiasticæ pietatis ac fidei non tenere doctrinam, cum et sibi de justitiæ meritis nimium tribuunt, aut cum Pharisæis cæterisque, qui in peccatis vivunt, typo supercilio sanctitatis elati; imo quod est verius, tumore execrandæ impietatis inflati, spernunt atque condemnant, aut cum Novatianis, qui semetipsos cum suis pollutissimis, et eo ipso, quo se justificant, maculosi, catharos, id est, mundos vocantes, constitutione impiissima non recepti sunt pœnitentes; omnem recuperandæ salutis fiduciam, et revertendi copiam criminaliter peccantibus abnegantes: aut certe cum Luciferianis impium dogma sumentes, semel prolapsos a fide, dicunt nullatenus posse qualibet satisfactione jugium fletuum, et continua cordis contritione salvari. Quibus quotidie Christus in Evangelio non desinit inclamare; «Quo judicio judicaveritis, judicabimini, et in »qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis [1]. » Et per Prophetam increpans, eos exprobrat, ac dicit: «Errantem

[1] Matth. VII, 2.

»non revocastis : » ac semet justificantes, audiant Dominum in Evangeliis arguentem sibique dicentem : « Vos estis, qui » justificatis vos coram hominibus, Deus autem videt corda » vestra [1]. » Et iterum : « Quia estis, inquit, sicut sepulcra mortuorum, quæ hominibus quidem extrinsecus apparent speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, omnique spurcitia. » Et dum audiunt Evangelistam, quod ad eos parabola illa de Pharisæo et Publicano in templo orantibus sit prolata, qui in se confidentes tanquam justi, cæteros aspernabantur; claudunt aurium auditum simul et oculorum intuitum, et alienorum censores severissimi peccatorum centum denariorum. Sed velint nolint, audiunt ab ipso scrutatore cordium, et arbitro rerum, quod et ipsi clavem scientiæ tenentes non introeant, et alios introire non sinant. Nam in eodem Evangelio legunt plus gaudere Angelos in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta et novem justis, qui non indigent pœnitentia [2]. Et Paulum apostolum nonne sciunt Corinthiis pœnitentiæ luctum indicere, ut continua effusione fletuum non utique qualecumque peccatum, sed ipsum quoque diluatur incestum [3]. Et Petrum Apostolorum principem non ignorent tertiam negationem sub momento temporis amarissima diluisse exomologesi lacrymarum. Quos utique confessi hæc, et hujuscemodi exempla cernentes, oportebat potius secundum Paulum apostolum omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifacerent [3], « Et lugere cum lu» gentibus, et cum flentibus flere [4], » quam de sua, quæ inanis et vacua est, sanctitate vanissima gloriari; sed et ipsum Dominum suum in Evangelio, quod utique imitari deberent, flevisse super Jerusalem, cum ipsi sint impii, non ignorant, quæ post necem omnium Prophetarum, post idolorum

[1] Luc. xvi, 15. — [2] Id. xv, 7. — [3] 1 Cor. v. — [4] Id. xix, 22. — [5] Rom. xii, 15

execrabilem cultum, post nefandissima flagitiorum, ac scelerum damnabilium crimina, auctorem vitæ suæ, salutisque amissæ Reparatorem, recipere noluerunt indulgentiam referentem, nec nesciunt eum venisse ad oves perditas domus Israël, sæpiusque eum dixisse norunt: « Venit Filius » hominis salvare et quærere quod perierat[1]; » et, « Discite » quid sit: Misericordiam volo et non sacrificium[2]; » et, « Non veni justos vocare, sed peccatores ad pœnitentiam[3]; » et, « Non egent sani medico, sed male habentes[4]: » et illi legisperito, cum de illo a latronibus vulnerato posuisset exemplum, ostendit illum esse proximum, qui fecerat misericordiam vulnerato[5]: et cum hæc omnia sciant, volentes justificare semetipsos, cum eodem legisperito audent impudenter dicere: « Quis est meus proximus[6]? » Jerusalem esse Ecclesiam Catholici non ignorant, et de Jerusalem in Jericho descendisse, nihil est aliud, quam de virtutibus ad vitia declinasse; et vulneratum a latronibus, a pessimis dæmonibus criminum telis, et facinorum spiculis indicat esse confossum : quem isti cum sacerdote illo et Levita, prætereunt desperatum.

II. Sed et Adam iste protoplastus ejectus de paradisi deliciis, ejectum de Ecclesiæ libertate significat peccatorem, venenati scilicet serpentis dente percussum, et immortalitatis gratia spoliatum, qui de ligno vitæ exul effectus est, id est, a sacri communione ministerii factus extorris. Ideo autem temporariæ sub typo mœroris tribulationes quædam natæ sunt, ut malagma pœnitentiæ sanarentur. Flammea romphæa ignitam Martyrum significat passionem. Cherubim vero interpretatur scientiæ multitudo, per quam peccator sanctificatus ad sacratum remeat paradisum. Abraham patriarcha captum ab hostili legione filium

[1] Matth. XVIII, 11.— [2] Id. IX, 13.— [3] Ibid. — [4] Ibid. 12, et Luc. V, 31. — [5] Luc. X, 27 et seq. — [6] Ibid. 29.

fratris, assumpta vernaculorum turba, subripuit, et tu assume vernaculorum turbam, id est, proprio opere tuo, non alieno, pari labore fratri auxilium præsta captivo, quem postmodum de Sodomæ plaga, id est, ex judicio gehennæ habito cum divina majestate colloquio, hoc est, orationis suæ merito liberavit. Et tu loquere cum Domino, hoc est, ad Christum, ne eum futuri judicii ignis exurat. Simeon, et Levi stuprum sororis in alienigenarum manibus incidentis propere vindicarunt. Et tu ex tribu Levi es, cujus portio Dominus est. Simeon autem interpretatur auditio. Et tu ergo, qui obediens fuisti Domino, inobedientem animam liberare, aut vindicare non cesses. Anima enim tui fratris, soror tua est, quam si passus fueris inter alienigenas servire, peccabis. Quidam putant Aaron, quod in vituli fabricatione peccavit, non fuisse in sacerdotio consecratum, nec Levitas sanctificatos, quoniam Aaron nonne ante unctionem chrismatis jam non erat in pontificali honore, vel gradu, qui et Ægyptum signis percussit horrendis, et egrediens cum populo sanctum Pascha in eremo celebravit. Scimus autem quod sine sacerdote Pascha non poterat celebrari: aut Levitæ quomodo non erant sanctificati, cum Apostolus ad Hebræos dicat quod pater eorum Levi adhuc in Abrahæ lumbis a Melchisedech sacerdote, qui decimas accepturus erat, decimaturus sit[1]. Peccaverunt et Levitæ cum populo, de quibus Deus in Ezechiele dicit: «Qui primum a me exierunt, cum errasset Israël.» Priores enim correptione legislatoris emendati, non tam in eis peccati crimen arguitur, quam velox confessio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Peccavit pontifex, qui oratione Moysi, id est, fraterno est liberatus auxilio: quod si hoc remittitur, certe jam tunc summus pontifex erat, qui adversus Moysem invidiæ livore percussus, juncta sibi Maria, murmuravit. Porro

[1] Hebr. VII, 9, 10. — [2] Ezech. XLIV, 15, et XLVIII, 11.

Apostolus dicit inter cætera, quod neque invidi, neque detractores regnum Dei possidebunt [1].

III. Et advertendum quod eamdem pene sententiam mereatur invidia, pro qua prophetissa Maria lepra percutitur, quam meretur et avaritia, pro qua Giezi Elisæi famulus simili sorte damnatur [2]. Regnum ergo Dei non possidebunt hujusmodi. Si eos in hoc vitio tempore accessionis invenerit, quid alibi Dominus dicit : « Unumquemque in qua via » invenero, in ea eum judicabo. » Et Apostolus dicit : « Quales » aliquando fuerint, nihil mea interest [3]. » In Epistola sua beatus Joannes apostolus orare mandat pro fratre, qui non habet peccatum usque ad mortem, id est, qui non usque ad extremum vitæ finem, peccatorum suorum molem fuerat subsecutus : quod manifeste liber Esdræ declarat, in quo refertur quod non solum plebs vulgi, verumetiam sacerdotalis, et levitica familia alienigenarum fœminarum conjugiis post reditum de Babylone illicite fuerat copulata. Qui tamen omnes accipientes consilium Esdræ, et rejicientes mulierum alienigenarum consortia, peccato eodem caruerunt. Unde liquido patet, quod sicut peccati cogitatione maculamur, ita expulsione ejus abluimur. Sacerdotalis illa familia de Heli stirpe descendens, cui juraverat Dominus quod nullus de ipsis ante faciem ejus assisteret, eo quod gravibus peccatis Dominum provocassent, nonne omnis illa cognatio pro David salute refertur occisa ? Ecquid est hoc, nisi forma martyrii, ut quos gravis peccati crimen involverat, mors pro Christo illata liberaret. Filius Sunamitis sterilis, hoc est, ex repromissione natus, quondam enim nativitatem ejus sancto Abrahæ Dominus in Isaac semine spopondit, atque pollicitus est, cujus caput in messe calore percussum est, id est, principale mentis ejus inter ipsos spei fructus libidinis flamma concaluit, et subita morte præ-

[1] 1 Cor. VI, 10. — [2] 4 Reg. V, 27. — [3] Galat. II, 6. — [4] 1 Joan. V, 6.

ventus est, hoc est, peccati ruina prostratus est. Currit ad Hebræum mater ejus, id est, sollicita plangit Ecclesia : resurgit enim filius ejus, sed fideliter hoc sperat a Christo, manibus manus, pedes pedibus, ori ora componit. Ut totum hominem in se suscipiens primo compatiatur. Et qui mortuus jacet, deinde flatus sui calore, id est, ignita per Spiritum doctrinæ suæ inspiratione vivificat.

IV. Cave ergo ne et tu elatus integritatis tuæ triumpho superexcrescas eum, aut superextendas te ei, quem repentina morte videris raptum. Sed potius imitare Apostolum dicentem : « Humiliet me Deus apud vos, et lugeam eos » qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super » fornicatione, et immunditia sua[1] : » et iterum ; « Quis infir- » matur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego » non uror[2] ? » Et iterum : « Debemus imbecillitates infirmo- » rum sustinere, et non nobis placere[3]. » Sed et cum Elisæo appone oculos tuos oculis hujus mortui, id est, custodi oculos illius, ne in perditionem sui ulterius evagentur. Os ori, ne confabuletur inimico : manibus manus, ne operentur adversa : pedes pedibus, ne evagentur in turpibus. Et si ita cum custodia sui membris illius membra tua fuerint copulata, non solum peccandi spatium ulterius non habebit, verumetiam spem capiet resurgendi, ut qui per peccati frigus emortuus est, consolationis et orationis tuæ fervore revocetur ad vitam. Aut certe si ignito libidinis telo percussus est, succensus flamma fidei reviviscat. Memento autem ut omnes conspectu ejus ejicias ; nullus enim, qui subvenire mortuo non potest, videat, nec quisquam sibi visionem ejus de propinquitate præsumat, qui sic Elisæum in Sunamitis filio. Sic Dominum in principis filia ; sic beatum Petrum in Dorca vidua fecisse cognoscis. Valde enim debet secretus, et solitarius locus, mortuo in pecca-

[1] 2 Cor. XII, 21. — [2] Id, XI, 29. — [3] Rom. XV, 1.

tis homini præparari. Ubi nihil capit amplius quam medicus, et cadaver. Asahel, ille frater Joab principis militiæ David, qui velox sicut cervus a Scriptura fuisse perhibetur, ob hoc credo, quod non inquinati corporis puritas, donum ei velocitatis indulserat. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam. Is dum sequitur Abner de cuspide lanceæ in inguine refertur esse percussus. In quo membri loco vitium fornicationis poni nullum puto esse, qui dubitet; sicut et ipse Abner a Joab fratre ejus in inguine percussus esse perhibetur, quia fornicationis causa non alibi, quam in inguine, merebatur interfici. Nec tamen Asahel aut consolationem fratris non meruit, quem ita totus David planxit exercitus, aut de libro vitæ deletus est, id est, de memoria dominicæ lectionis, cujus Scriptura non obliviscitur, ut et velocitatis ejus, quam ante mortem habuerat, faciat mentionem, cum dicit: « Velox fuit sicut » cervus[1]. » Idem non solum perspicacia inimici laqueos evitabat, verumetiam serpentium, hoc est, adversariorum virtutis interfector extiterat.

V. Mare illud, hoc est, forma baptismi, quod beatus Joannes in Apocalypsi vidisse dicit, vitreum esse scribit, et ideo cito in nobis periclitatur, aut frangitur. Lubrica est via sæculi hujus glaciali iniquitate constricta, quam cum modicæ concupiscentiæ calor resolverit, facilis est ad lapsum ruinamque miserorum. Hieremias in profundum putei sub iniqui principis potestate demergitur, hoc est, justitia in peccatorum cœnum, cum a diabolo fuerit expugnata, mergetur. Sed hunc Æthiops fidelis, id est, peccator ad pœnitentiam conversus assumptis triginta viris, id est, sive beatæ auxilium Trinitatis, sive cum labore animam spiritus, et corporis de profundo putei missis ad eum primis veteribus, hoc est, reductis in memoriam ejus veterum, qui

[1] 2 Reg. II, 18.

per peccatum lapsi, postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relevati sunt antiquis exemplis. Additis et funibus, id est, testimoniis Scripturarum, cœno exemit, et luti restituit. Comple et tu legem Moysi. Cecidit asinus fratris tui sub pondere, hoc est, caro victa peccato est, acclina te, et humilia, et subleva de ruina. Non erubescas homini peccatori conjungi, respice illum qui dicit : « Noli nimium justus esse. » Magister noster a latronibus vulneratum non solum cura dignum judicat, verumetiam ad stabulum suum, et ovile revehit. Ac datis stabulario, idest, sacerdoti duobus denariis, hoc est, utrisque divini canonibus Testamenti, majus ei præmium pollicetur. Si diligentia tua percussum hominem ad statum pristinum revocarit. Sed dices forte: «Ille vulneratus erat : hic mortuus est;» et tu ergo, si mortuum dicis veluti inter Elisæi ossa constitue, an fortasse nescis quæ pœna maneat desperanti? Ille nuntius Saülis mortis cum ad David venisset, referretque ei inimicum suum esse prostratum, David casum mortis inquirens, audit ab eo quod ipse nuntius eum suo gladio peremisset, addens et dicens : « Quia videbam quod luctum illati in se vulneris non erat evasurus; » quem statim David morte damnavit. Cur percussum ab hostibus desperasset, eumque sublatæ spei fiducia jugulasset. Quinimo more debito, id pro mortuo scindimus vestimenta cordis, ac pectoris, voxque flebilis tollatur in planctum. Doceatur lamentum israëliticus populus, id est, plebs ecclesiastica, et dicat: « Subrige lapides » tuos super altitudines tuas, et cogita de interfectis tuis, » quomodo ceciderunt, nec renuntietur in gentibus, nec » prædicetur in viis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ alieni» genarum, et exhilarentur filii incircumcisorum [1]. » Filii incircumcisorum qui sunt, nisi homines sæculi in erroris sui

[1] 2 Reg. 1, 18-20.

præputio et gentilitate viventes? Hi ergo exhilarantur, cum audiunt ruinam militis Christi, et de illius casu se consolantur, dicentes: «Ecce ille, per quem nobis exprobrabatur a cæteris, ad cujus exemplum vivere cogebamur, qui cum nostro emisisset ex corpore, tamen ad confusionem nostram dicebatur vita ejus esse dissimilis.» Numquid non melius est tibi inchoare quod bonum est, quam aut tam turpiter cadere, aut non posse complere quod cœperis? Nescientes quod in judicio Dei majorem forsitan excusationem habitura sit anima, quæ bonum voluit, et insidiatore supplantante dejecta est, quam ea, quæ rebellis Deo, servili desperatione formidinis magis elegit jugo captivitatis addici, quam periculum certaminis experiri. Nonne apud regem suum miles propriis vulneribus excusatur? et plerumque strenuum bellatorem cicatricium suarum inflictione numerosa commendatur, id est, partim nostro labore, partim verecundiæ suæ confessione peccatum ejus celetur, et auferatur e medio. Nos si consolationi theamina, et cœlestis spei pigmenta tribuamus, ipse autem se intra secreti sui sepulcrum confusus peccati pudore contineat. Ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui totas in eo obligat putredines peccatorum, donec nullum ex se fœtorem famæ turpis emittat. Solet Christus de tali sepulcro mortuos, et fœtidos suscitare, tantum ne cadaver ejus devorandum feris et alitibus, id est, facinoribus, et iniquorum opprobriis relinquamus.

VI. Nonne ergo beatus Tobias gratiam doni cœlestis meruit mortuis in captivitate fratribus tribuens sepulturam. Credo lapsis sub mundialis principis dominatione conversationem insinuans, suadensque pœnitentiam: aut qualiter rogo de misericordia Domini possumus desperare, qui et Pharaonem arguit dicens: «Et non est deprecatus, ut daretur ei sanitas et daretur ei virtus ad comprehendendum

gladium. » Rasit ammoniticus rex militibus David, hoc est, Christi famulis, dimidium barbæ, et præcidit viriles tunicas eorum usque ad inguina, id est, sustulit eis in dimidietate barbæ virilem speciem, et effœminatos eos per delectabilem fecit novaculam vitiorum. Dimidia autem barba relicta est, quasi sub unius facinoris lapsum. Si quid probabile in virtutibus gesserant, dimidium sibi relictum est. Per quod scilicet non sine pudore sui et itineris duri labore spes eis ad regem suum non oblata est revertendi. Præcidit vero tunicas usque ad inguina, cum turpe eorum factum, quod ipse persuaserat, in oculis omnium revelavit. Sed sederunt in Hiericho, id est, mundi istius civitate, quæ erat opprobrium, et anathema israëlitici populi, donec barbæ eorum crescerent, hoc est, reformarentur incrementa virtutum, et ita revertentes, ablato confusionis opprobrio, conspectibus regis astarent : quæ quid aliud in se, quam nostræ vitæ exprimunt qualitatem, ut per hoc veluti in speculo gestorum turpium fœditate perspecta, conversi ingemiscamus, donec plena satisfactione pœnitentiæ reverti mereamur ad Christum.

VII. Nam et hodie regi nostro talis facti dolet injuria, et ulciscitur milites suos, quia in dehonestate ejus nobis ita fecit inimicus. Aufugit enim a conspectu nostro rex noster David, et ideo victi ab hostibus partem agri plenam lenticula rubicunda, quæ est verecundiæ, et delicatæ castitatis forma, confregimus. Sed jam per recordationem peccati rex noster oculis nostris non dedignabitur præsentari. Stemus ut vel illud quod residuum est, id est, reliquum vitæ nostræ tempus defendatur, et salvum sit. Imitandus est in hac parte ille Amnon David filius, qui cum in sororis suæ stuprum illicita flamma caluisset, postmodum eam magis exosus est, quam ante dilexerat, quia ignita erroris culpa non permansit in crimine, materiam ipsius peccati vehe-

menter exhorruit. Unde et suspicamur David ei non fuisse commotum, quia cito eum vidit in pœnitentiam resipuisse. Et tu ergo si fornicationis captus rete, unius horæ deceptus es laqueo, statim eum virtute pœnitentiæ disrupisti. Id est, si vides mulierem ad concupiscendum, mœchatus eam in corde es. Et ideo scandalizantem oculum eruisti, id est, primum intuitum de principali mentis tuæ sensu futuri metu supplicii avulsisti, non iterum ebrietatis laqueis cedas, quibus animos irati Absalonis incurras. Quia luxuria, atque ebrietas quadam sibi vitiorum nativitate cognata sunt. Ecce ipse Absalon, qui fratrem occiderat, per amicorum suffragia regis veniam promeretur, ita ut et osculum pacis, et præsentiam vultus Christi non desperaret exposcere. Si ergo et tu offensam summi Regis facinore perpetrati sceleris incurristi his, quos amicos esse nosti David, qui quondam pater tuus, cum non peccaveras, fuit: esto humilis et acclina, ut quod per te non potes, per illorum suffragia merearis. Ac si forte duri fuerint in audiendo, opportune, importune non desinas supplicare, quia et Absalon per injuriam meruit, quod per amicitiam impetrare non potuit. Et amicus in Evangelio impudenter petendo obtinuit, quod pro meritis non accepit. Nec hoc ideo dicimus, ut tu contumelia in rogando, bonorum suffragia te promereri posse præsumas. Sed consilium damus, ut si pro magnitudine sceleris tui supplicare non ausi sunt, importunitate tua injuriam patientes, facilius pro eo, a quo læsi sunt, supplicentur, et exorent. Incende hordei finitimum tibi quod est in agro, quia lingua ignis est, et mundus iniquitatis per linguam constat in membris. Ager autem est hic mundus. Sicque cum cœperis vitæ bonæ fructibus derogare, ac dicere: « Ecce quales Sanctos, qui pro peccatoribus orare non audent. Ubi est eorum quotidiani operis merces? Ubi perfectæ miseratio charitatis? » Et cum præci-

piat Joannes apostolus, ut pro fratribus, et si necesse est, moriantur, renuunt ipsi dicere cum Moyse : « Si dimittis ei » peccatum, dimitte; sin autem, dele nos de libro tuo quem » scripsisti[1]. » Nec assumitur affectus Pauli dicentis : « Opta» bam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis[2]. » Tunc incensus per linguam tuam Sanctorum spiritus incitabitur ad fiduciam deprecandi, qui cognoscente ad hanc necessitatem utilitatis tuæ causa non vitio detractationis in pactum, ut vel sic detrahenti præstarent, quod non præstiterant blandienti : fructus autem Sanctorum, qui secundum homines est, in hordeo non inconvenienter accipitur; qui vero secundum Deum est, tritico competenter aptatur. Quia non dubium est Sanctos utrobique seminare, secundum Apostolum, providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

VIII. Sed ut præterea sex refugii civitates, e quibus formidine mortis perterritus quam placet introeas, ac si forte per conscientiam peccatorum illas, quæ in terra repromissionis sunt, hoc est, in Ecclesia, intrare non audes, et circa Jordanem Bosor in solitudinem, quæ interpretatur angusta, id est, de contritione cordis humiliati anima afflictione tristitiæ coactata. Sed et cella monasterii parva, vel modica potest dici angusta, quæ optime tibi convenit, quia de sorte Ruben est, id est, qui thorum patris maculavit illicite. Est et Ramoth de sorte Gad, quæ interpretatur excelsa mors, sive visio mortis; vere enim excelsa mors pœnitentia esse dicenda est, cum mortificatis membris reducitur homo ad excelsa cœlorum, unde fuerat ante dilapsus, sine virtute humilem mortem, quæ generaliter omni immittitur carni. Illa ad comparationem ejus rationabiliter excelsa nominatur, quia multum est nobilius per pœnitentiam mori, quam communi hac morte dissolvi. Si

[1] Exod. XXXII, 31-32. — [2] Rom. IX, 3.

autem visionem mortis sentire velimus, ita potest intelligi, quia cum simus in pœnitentia constituti, ante oculos nobis ponimus gehennæ inferique tormenta. Videmus ipsam speciem mortis, a qua per pœnitentiam liberamur. Modo ut memineris te in ancillæ filii civitate agere pœnitentiam, quia omnis qui peccat, servus est peccati, et formam servi suscipiens humilies te ipsum usque ad mortem. Est et Gaulon in finibus Manasse, quæ interpretatur volutatio, ut tu memineris tibi in cilicio, et cinere esse volutandum. Et hoc in finibus Manasse, quod interpretatur oblivio, ut obliviscens ea, quæ ante gessisti, in priora te extendas. Hic ergo interim habita, ut per angustias, mortem, et volutationem, et iram persecutoris evadas, et spem salutis invenias. Tunc deinde si in his aliquid utiliter gesseris, et addes, in terra repromissionis, quæ est in Galilæa, poteris pervenire. Quæ Cades interpretatur Sancta. Et tu cum per tribulationem opus corruptionis injeceris, et ad sanctam tibi Ecclesiam tribuatur accessus, et in Neptalim sorte, quæ dicitur vitis remissa, de sacramento dominici Sanguinis participare merearis. Interpretatur autem Neptalim conversus sive sejunctus, ut tu sine querela in domo Dei conversans segreges te ab omni fratre inordinate vivente, et solo bonorum consortio socieris. Sed nec Hebron tibi aditus concludetur, quæ interpretatur conjunctio sive conjugium. Revertetur enim anima ad virum suum, id est, Spiritum Dei, a quo per tempus peccaminum fuerat viduata.

IX. Sed nec hoc te prætereat, quod Caleb eam in possessionem sortitus est, qui interpretatur quasi cor. Mortificatis enim membris tuis, quæ sunt super terram, quia sapientia carnis inimica est Deo. Sapientiam autem veram non loquitur Paulus nisi inter affectos. Si et tu implearis Spiritu sapientiæ, ut nulla sit in te corporis pars, quæ non fructificet Deo, incipies et tu esse totus quasi cor. Sicque

et sextam civitatem Sichem, quam Joseph noster in hæreditate consequitur, propter quod in ea sepultus est, valebis intrare, quæ interpretatur humeri sive labor, ut ostendas et per laborem pœnitentiæ ab errore tuo Christi humeris reportatum, et adjunctum nonaginta novem ovibus effectumque centesimum, quia ipsa Sichem ab alienis centum agnis scribitur comparata. Ipse autem Joseph interpretatur augmentum, et tu si ascensiones in corde tuo disponens de virtute ambulaveris in virtutem, et eruditione tua sine exemplo multos acquiras Deo, et ipse merito diceris augmentum. Modo ut semper memineris, quam gravi telo prostratus sis : hasta enim hostis tui, qua percussus es, sexcentorum pondere siclorum prægravatur. Et ideo Propheta grave dicit esse peccatum, super talentum plumbi. Meritoque ille in Psalmo pœnitens delictorum mole depressus luctuosa voce dicebat : « Quoniam » iniquitates meæ supposuerunt capiti meo, et sicut onus » grave gravatæ sunt super me [1]. » Eïa, eïa quid dubitas? Scala Jacob, de qua dum incaute ascenderas lapsus es, adhuc posita nondumque subtracta est, et licet tibi in ruina tua omnia simul membra colliseris, tamen iterum conare conscendere, donec perveneris ad illum gradum unde graviter fortiter te serves, cautiusque custodias. Sciens quia lubricus est omnis ascensus, et in eo quis casu pronior ad ruinam est, e quo aliquando facilius dejectus est. Proinde si caro extitit inimica, quæ sola vel maxime præcipitat humanum genus in tartarum, dum aut decipiat alios, aut ab aliis ipsa decipitur, gravioris abstinentiæ jugo confecta horrescat continuis extenuata jejuniis. Habeto pro indumento cilicium, ut cum ad tactus ejus asperitatem compungeris, semper peccatorum tuorum stimulos recorderis. Juvet in te vitulam tuam Moyses, id est, car-

[1] Psal. xxxvii, 5.

nem tuam legis, ac jejunii disciplina conficiat, donec ad nihilum reductam, pulverem potius sentiat esse quam vitulam. Legisti credo : « Irascimini et nolite peccare [1] : » ita et tu irascere peccatis tuis, ut ultra non pecces. Præveni ultrices pœnas gehennæ, et sæva tormenta, et ipse tibi tortor existe, ut in illo futuro judicio nihil in te ignis inveniat, quod exurat. Si vero persecutionis tempus advenerit, memento qualiter sub regis tui provincia dimicandum sit desertori ac refugæ; sin vero forsitan defuerit hujus felicitatis occasio, ipse tibi in te ipso tuus esse poteris persecutor.

X. Si mortificans membra tua, quæ sunt super terram, salubriter cum Apostolo et tu quotidie moriaris ingredere monasterii carcerem, et tenebras solitudinis, quibus ad lucem perditam reducaris, exquire. Sit tibi fames pro vitula, sitisque pro flamma, ut carnifices voluptatis per abstinentiæ pœnam cutis exteriorum costarum compaginem exesa carne revelet. Sit carcer veluti officiorum custodia publicorum, ac si in catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine, et lege constrictus sub imagine martyrii veniam misericordiæ cœlestis expecta. Nolo verearis, ne visum, aut collegium tuum fraterna charitas detestetur. Horreat plane consortium tuum velut Ruth de agro moabitico, hoc est, animæ de ebrietate, et fornicatione venientis. Solus ille, qui sua tantum quærit, et misericordiæ nescius, de israëlitici generis dignitate se jactat. Sed non te repellat Booz, qui interpretatur in fortitudine, sive in quo virtus. Talibus enim Christus per Apostolum loquitur dicens : « Debemus nos firmiores imbecillitates infir» morum sustinere, et non nobis placere [2]. » Hic ergo præcipit sibi præceptum, ut fratris defuncti vidua suscitet semen, ne perdat calceamenta paschalia, id est, passionis Christi

[1] Psal. IV, 5. — [2] Rom. XV, 1.

efficiatur exhæres, ac pro verbo sponsi velut cæcus effectus, salivam junioris, quæ in terram projicitur, et conculcatur, nisi accipiat præparare ad defuncti fratris viduam, id est, animam mortui per desperationem sensus introeat. « Semen autem verbum Dei est [1]. » Hic ergo Booz non in sola proprii sermonis eruditione confidit. Sed quæsita multitudine testium, id est, congregata de Scripturis copiositate verborum, huic viduæ copulatur, ut his, qui dicuntur, sollicitius intimatis, possit sine difficultate concipere, et salutis spiritu parturire. Meminit enim apostolici præcepti quod ait : « Qui converterit peccatorem de » errore viæ suæ, salvabit animam ejus de morte [2]. » Non est enim minimum, si davidicum opus imitatum, extremum auriculæ de leonis faucibus extrahat. Aut si quando de grege ursus rapuerit, insurgat adversus eum, et præstrangulatis cruentæ bestiæ faucibus, prædam ex gutture ejus eripiat, aut velut bonus pastor errantem revocet ovem.

XI. Nemo persuadeat adultero adulteram debere conjungi, et de admisso sceleris nefandi facinore nomen conjugii vindicare : ac si forsitan suggerat tibi ille sapientior omnibus bestiis, et consiliator antiquus, quia possis istam pœnitentiam, quam suademus, in senectute tua agere, et nunc famem desiderii tui peccandi licentia satiare, memento sententiæ illius evangelicæ, quæ ad talem dirigatur sensum dicens : « Stulte, hac nocte exposcetur a » te anima tua : quæ autem præparasti, cujus erunt [3] ? » Et Salomon ait : « Fili, peccasti, non adjicias iterum, et de » præteritis deprecare, ut tibi dimittantur [4]. » Et iterum : « Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die » in diem. Subito enim venit ira illius, et in tempore vin-

[1] Luc. VIII, 11. — [2] Jacob. V, 20. — [3] Luc. XII, 20. — [4] Eccli. XXI, 1.

» dictæ disperdet te[1]. » Numquid Patriarcharum soror, postea quam peccaverit, nupsisse perscribitur? Legislator præcepit, ut qui uxorem macularet alterius, cum ipsa pariter lapidaretur, id est, sub nomine lapidum duræ sententiæ lege premit, corrigitque peccantes. Et tua anima uxor erat alterius, illius profecto, cui erat per regenerationem baptismi copulata, dicente Apostolo : « Despondi » vos uni viro virginem castam exhibere Christo[2]. » Et iterum : « Erunt, inquit, duo in carne una[3]. Sacramen- » tum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in » Ecclesia[4]. » Clamat ad Jerusalem Dominus per Prophetam, et dicit : « Postquam fornicata es, ad me revertere[5]. » Et si Apostolus honestis conjugibus vociferatur ac dicit : « Habentes tanquam non habentes[6], » quis audebit dicere : « Adulter habeat, utatur, exerceat? » Non licet mihi credere. Non licet ut aut vir abutatur de patientia ad explendum propriæ libidinis voluptatem, aut virgo corrupta, vel adultero, vel cuiquam alibi copuletur. Quia nec Judas post adulterium semel admissum cum Thamar ultra concubuit, nec David concubinas suas, quas filius turpi coïtu macularat, postea nubere, aut viros habere permisit, et ideo nec noster David, id est, Dominus noster Jesus Christus vult, ut in conspectu ejus alio viro uxor ejus habeatur. Denique quippe illam Saülis filiam, quam ad tempus in persecutione perdiderat, postmodum sibi poposcit reddi, atque restitui. Et licet jam fuisset alibi copulata viro, tamen ei aufertur, et illius, cujus prius fuerat, destinatur. Et tu, si polluisti uxorem David, id est, vel tuam animam, vel carnem alienam, ne ulterius hoc præsumas. Sed sicut ille fecit, qui eam acceperat, flens, et lugens redde, atque restitue. Sed forte ad illud te apostolicum testimonium,

[1] Eccli. v, 8, 9. — [2] 2 Cor. xi, 2. — [3] 1 Cor. vi, 16 — [4] Ephes. v, 32. — [5] Jer. iii, 1. — [6] 1 Cor. vii, 29.

pro tui defensione convertas, quo ait : « Melius est nu- » bere, quam uri [1]. » Sed hoc de vidua, vel de virgine dictum est, quæ corpus suum nondum castitate perpetua dedicavit. Ista autem virgo jam non est, quia corrupta est. Vidua non est, quia Christus vir ejus vivit in æternum.

XII. Vis autem scire quæ sit ejusdem Apostoli de hoc errore sententia? Audi quid Corinthiis dicat : « Omnino » auditur in vobis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita » ut uxorem patris aliquis habeat [2]. » Ecce factum simile. Uxor patris erat hæc anima, quæ deliquit : illius utique Patris, qui nos genuit verbo veritatis. Sed videamus quid de hoc facto idem Apostolus dicat : « Jam judicavi, inquit, » tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitu carnis » ut spiritus fiat salvus in diem Domini Jesu Christi [3]. » Numquid dixit: «Jussi, ut ei, cum qua adulteraverat, nubat ?» Numquid dixit : « Habeat adulter, utatur, exerceat? » Sed, « Dedi, ait, eum Satanæ in interitu carnis. » Satanas adversarius, sive contrarius interpretatur. Per quod significat, ut quidquid contrarium deliciis, quidquid adversum voluptati est, totum caro patiatur, ac sentiat quæ deliquit. Interficiendus est enim hostis, dum parvus est, et in ipsis, ut ita dixerim, primis faucibus strangulando. Unde et in sacrificiis si diligenter attendas pene nusquam pecora sævis confecta invenies jugulari. Utque aut agnus, aut hædus, aut vitulus immolatur. Uno tantum loco Eliam bovem legimus obtulisse. Sed hoc semel tantum unum licuit Salvatori, qui inveterata totius mundi peccata in morte assumpti corporis jugulavit. Sed nec tu putes adhuc ut hædum tenerum tuum esse peccatum. Mihi crede, jam hircus est : sicut enim odore flagrat unguenti, ita peccatum fœtorem tetri odoris exhalat. Et ideo Justus gaudet et dicit : « Christi bonus odor sumus

[1] 1 Cor. VII, 9. — [2] Id. V, 1. — [3] Id. III, 5.

» Deo in omni loco [1]. » Peccator autem dicit : « Computruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ [2]. » Aut quomodo non hircus esse dicetur, cujus peccati fœtor, id est, fœda opinio turpis famæ, mox ut facinus perpetratum fuerit, ubique peragratur? Propheta beatum dicit qui tenet parvulos Babylonis, et allidit ad petram [3] : et tu expectas donec gigas tuus efficiatur inimicus. Sed si vis audire, jam gigas est. Mox enim ut concupierunt filii Dei filias hominum, nati sunt inde gigantes et criminale peccatum, quod ultra staturam peccantium juniorum ipsa sibi enormitate porrectum est, gigantis est forma. Aut non tibi gigas videtur esse prævalidus, qui te in admissione criminis tam lugubri ruina prostravit? Ac fortasse aliquis nobis opponat et dicat : « Quomodo tu illicitum esse dicis, ut adultero jungatur adultera, cum David eam, quam adulteravit, in conjugium sibi postmodum societatis asciverit? » Solent quippe ista objicere, qui scelerum suorum flagitia palpare atque gaudere ex Scripturarum sanctarum auctoritate desiderant. Multi enim cum David cadere volunt, nolunt surgere cum David. Cum utique non exemplum eis cadendi in eo propositum sit; sed potius, si ceciderint, resurgendi. Quid igitur negabimus vera non esse quæ scripta de eo sunt? Minime, sed tibi scripta sunt ut contremiscas de facto, non ut factum rapias ad exemplum.

XIII. Attende ergo ne cadas : non sit delectatio minorum lapsus majorum, sed sit casus majorum tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum, ad hoc in Ecclesia sæpe dictum atque cantatum. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, ut surgant; tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Ecclesia. Audiunt male audientes, et quærunt sibi

[1] 2 Cor. II, 15. — [2] Psal. XXXVII, 6. — [3] Id. CXXXVI, 9.

patrocinia delinquendi. Attendunt unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant quod commiserunt, et dicunt : « Si David, cur non et ego? » Inde anima iniquior, quæ propterea fecerit, quia David fecisse cognovit. Nam quia cum David fecit, pejus malum quam David et gravius perpetravit. David enim nullum sibi ita ad exemplum proposuerat ut tu : ille cecidit lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis : tu tibi tanquam Sanctum proponis ut pecces. Imitaris non ejus sanctimoniam, sed ruinam. Scripturas Domini ad hoc audis, ut facias, quæ ne facias ab eis commoneris. Hoc non fecit David, qui correctus est per Prophetam, non lapsus est in Prophetam. Non est tibi causa et illi consimilis. David, admisso adulterio, homicidium perpetravit, sed de toto corde pœnituit. Denique in tantum cordis compunctionem tantus ille rex pariter et Propheta facinus admissum deflevit, ut in ipso confessionis suæ Psalmo diceret : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor » contritum et humilitatum Deus non despicit [1]. » Accepit autem eam, cum qua peccaverat, ablato jam viro ejus, uxorem, quia nondum lege prohibebatur multarum inire copulam fœminarum. Denique ut agnoscas quantam Sanctorum gestis, et minus eorum vita condignis lateant mysteria arcanorum, Judas tantus Patriarcha ad meretricem nulla lege prohibetur intrare : Samson ille fortissimus, et Nazaræus, licite diligit meretricem : Osee propheta ex præcepto Domini meretricem duxit uxorem. Sed David, inquit, non solum illicite alienum polluit thorum ; verum et, dolo interempto marito, adulteram sumpsit in conjugem. Mihi, qui homicidium non admisi, cur non liceat adulteræ jam ut propriæ sociari?

XIV. Tu primo considera, quanta circumspectione David post flagitium noluerit homicidium non solum ingerere

[1] Psal. L, 19.

viro ejus, sed et extorquere contentus est, ut post cibum, potumque licet fraudulenter et subdole impertitum, domui suæ thoroque dubitare. Scilicet ut per conjugalem conventum facile tegeretur admissum. Et semel in provido ac nefario lapsa thoro a rege clancule maculato solus maritus licet ignarus velut intemerato deinceps potiretur. Ille inopinata præventus momentanei occasione peccati adulterium perpetravit absente viro; tu jam ipsa lectione commonitus es, ne pecces præsente Deo. Ille homicidium occulte fecit ut adulterium non patesceret : tibi atrocitas execrabilis facti, ut horreas tam grave facinus, ut scelus tam impium detesteris, publice in Ecclesia sæpissime recitatur. Tunc adulterium, sive homicidium præsentis tam imminenti expiabatur ultione supplicii, nec adulteri, vel homicidæ perpetuam in furore servantur ad pœnam. David cum magno sui pudore furtim ad militis sui intrasse refertur uxorem, nec tamen evadere potuit ultionem : tu ad sponsam regis Christi temerandam cubiculum Domini dominorum impudenter ingressus, quomodo esse poteris impunitus? Ac si forte vidua, aut quæcumque fuerit illa nondum professa continentiam castitatis, quæ licet illa sit uxor, dici non poterit prostituta, uterque vestrum nota semper inuretur infami, nec aliter tanti criminis macula poterit aboleri, nisi aut publica legum sæcularium sæviente censura adulterorum mortibus expietur. Aut certe profundis afflicti cordis gemitibus, et veræ pœnitentiæ jugibus dum vivitur lacrymarum. Extat modo quid dicat crimen hoc nuptiis emendandum, et de sceleris tanti nomine, confugium esse vocandum. A me invitus veraciter audiet, adulterium nullatenus dici conjugium. Conjugium enim religiosi nominis vocabulum est. Esto David nulla, ut supra docuimus, lege prohibitus, Bethsabee, quæ virum amiserat, sibi in matrimonium sumpserit.

Alia tunc apud eos legis observantia habebatur, quando illa sacra benedictionis præceptio pertonabat : « Crescite » et multiplicamini, et replete terram[1]. » Quando infœcunda ac sterilis, et quicumque non genuisset, maledictionis opprobrio non carebat. At ubi Evangelistæ illius tubæ clangor increpuit, quæ et licitis, et honestis continentiam hortatu blandissimo persuadet, dicens : « Beata » sterilis, quæ non parit, et ubera, quæ non lactaverunt[2]; » et « Qui non reliquerit domum, uxorem, filios, et omnia, » quæ possidet, non potest meus esse discipulus : » et « Qui » non oderit patrem et matrem, insuper animam suam, » non potest meus esse discipulus[3] : » et « Bonum est ho» mini, si sic permaneat[4] : » et « Qui in carne sunt, Deo » placere non possunt[5], » et « Si secundum carnem vixe» ritis, moriemini[6] : » et « Non in cubilibus, et impudi» citiis, sed induimini Dominum Jesum Christum : et » carnis curam ne feceritis in concupiscentiis[7] : » et « Qui » habent uxores, tanquam non habentes sint[8], quia no» vissima hora est[9], » et « Præterit figura hujus mundi[10]; » et « Dies Domini sicut fur in nocte venit, et sicut dolor » parturientis non effugiet[11]; » et « In quo reddetur unicui» que secundum opera sua[12]. » Longe nunc aliorum divinorum manet observatio mandatorum. Sed et sic quoque gravius te quam David comprobo deliquisse : et tu enim ut de sceleris tui complice nihil dicam, alieni thorum matrimonii polluisti, in eo, quod carnem tuam adulterio maculasti : corpus enim non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Et iterum Apostolus dicit : « Non » estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate,

[1] 1 Gen. I, 28.— [2] Luc. XXIII, 29.— [3] Matth. X, 37, et Luc. XIV, 26, 27 et 33. — [4] 1 Cor. VII, 8. — [5] Rom. VIII, 8. — [6] Ibid. 13.— [7] Id. XIII, 13, 14.— [8] 1 Cor. VII, 29.— [9] 1 Joan. II, 18.— [10] 1 Cor. VII, 31. — [11] 1 Thess. V, 2, 3. — [12] Rom. II, 6.

» et portate Dominum in corpore vestro [1]. » Et iterum : « Templum Domini sanctum est, quod estis vos. Si quis » templum Dei violaverit, disperdet illum Deus [2] : » et « Qui » fornicatur, in corpus suum peccat [3] : » et « Neque fornica» rii regnum Dei possidebunt [4]. »

XV. David rex terrenus hominem et militem suum, urgente metu detegendi facinoris, interfecit; tu, pessimo vitæ principe regnante libidine, virum animæ tuæ, quod est gravius quantum in te est, Christum Dominum, licet ipsi impossibile, peremisti. Et si vis nosse quomodo quotidie Christus in membris suis persequentibus impiis patiatur, audi ipsum jam corpore in cœlo regnantem, et tamen Saulo in terra dicentem : « Cur me persequeris [5]? Caput » enim mulieris vir, caput viri Christus [6]. » Unde Paulus postea dicebat : « Suppleo ea, quæ desunt passionibus » Christi, in corpore meo [7]. » Et ad Hebræos de lapsis dicit : « Rursus crucifigentes sibimetipsis, et ostentui haben» tes Filium Dei [8]. » Et paulo post : « Irritam quis faciens » legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus » testibus moritur : quanto magis deteriora putatis mereri » supplicia, qui Filium conculcaverit, et sanguinem testa» menti pollutum duxerit, sanctificatus est [9]. » Ecce tu Filium Dei crucifixisti, et ostentui habuisti, et conculcasti, quando membra tua nefario ausu ludibrio subdidisti, nec soli David, sed et tibi de adulterio natus est filius, quem tamen jure sibi mors vindicat, dicente Jacobo apostolo : « Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum ; » peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem [10]. » Sed sufficiat adulterio semel fuisse prolapsum; et tu cum David sume tibi in conjugium hanc adulteram, id est

[1] 1 Cor. VI, 19, 20. — [2] Id. III, 17. — [3] Id. VI, 18. — [4] Ibid. 9, 10. — [5] Act. XXVI, 14. — [6] 1 Cor. XI, 3. — [7] Coloss. I, 24. — [8] Hebr. VI, 6. — [9] Id. X, 28, 29. — [10] Jacob. I, 15.

carnem tuam junge spiritui, ut cum vobis convenerit super terram, omne, quod postulaverint, impetrent a Patre cœlesti. Qui enim adhæret Deo, unus Spiritus est. « Erunt enim, inquit, duo in carne una, id est Deus, et » anima [1]. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem » dico in Christo, et in Ecclesia [2]. Verbum caro factum » est, et habitavit in nobis [3] : » et te veluti quodam conceptu pœnitentiæ salutaris parturit Apostolus, donec Christus iterum formetur in te. Sed et ipse poteris dicere cum Propheta : « Domine, a timore tuo concepimus, et pepe» rimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terram [4]. » Poteris et ipse salutis fructum ex hoc matrimonio procreare, qualis processit de David, et Bethsabee, quem Dominus, Ididam, id est, dilectum nuncupavit, qui inter homines dictus est Salomon, hoc est, pacificus, et universo orbi, id est, totius orbis tenuit principatum. Merito enim ille pacificus dicitur, qui carne cum vitiis, et concupiscentiis mortificata, adhuc in carne positus, spirituali pace fortis athleta perfruitur : fructus enim spiritus gaudium, pax. Talis filius ex pœnitentia nascitur. Talem parturiunt gemitus, et lamenta plangentium. Denique ipse beatus David cum in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in senectute cum virgine invenitur : ut intelligamus, quia longa post peccatum castitas, virginitatis imitatrix est.

XVI. Sed fortasse dicis : « Animam semel in tam grave facinus devolutam, Deus projecit, ac repulit : » fallis, charissime. Ecce enim per Prophetam ipse clamat de Jerusalem, quæ in mirabilibus fuerat flagitiorum criminibus prostituta : « Quis est iste liber repudii matris nostræ, quo » dimisi eam [5] ? » Et alibi : « Numquid qui cadet, non resurget,

[1] I Cor. VI, 16, 17. — [2] Ephes. V, 32. — [3] Joan. I, 14. — [4] Isaï. XXVI, 18. — [5] Id. L, 1.

» aut aversus non revertetur [1]. » Quare non pœnitet populus meus malitiis suis : et detenti in propositione sua maligna, noluerunt reverti ad me? vociferatur, id est, Dominus per Prophetam dicens : « Numquid medicus non est in » Galaath, aut resina non est illic? Quare non ascendit » sanitas filiæ populi mei [2]? » Galaath acervus testis interpretatur. Et nunc acervum testem totum canonem divinonorum cernimus esse librorum. Ubi indissolubilium cumulus testimoniorum velut quidam congestus est lapidum, in quo cumulo Medicus verus Dominus noster Jesus Christus, si quæsitus fuerit, invenitur. Resina autem vel charitatis, vel continentiæ virtus est, quæ dissoluta conjungit, et scissa conglutinat. Concubina illa Saülis, ut quid corpora defunctorum, quos David pro Gabaonitarum ultione percussit, eo usque accincta cilicio custodivit, donec et roraret aqua de cœlo, id est, donec pro venia eorum misericordiæ cœlestis stilla deflueret? Quid est enim, quod nos obstet a venia? Dominus noster omnipotens est. Numquid omnipotenti impossibile est delere peccatum? Dominus noster bonus est, quia nemo bonus, nisi unus Deus. Numquid in illa perfecta bonitate potest hoc vitium cadere, ut non audiat deprecantem? Ipse per Prophetam dicit : « Nolo » mortem peccatoris tantum, sed ut convertatur, et vivat [3]. » Et in Psalmo. « Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in » judiciis meis non ambulaverint, et præcepta mea non custo» dierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Misericordiam » autem meam non auferam ab eis [4]. » De cujus hoc filiis dicitur? Nonne Domini nostri Jesu Christi, quos ecclesiastici fontis uterus, et secreti ac perplexi vulva mysterii parturiunt? Vis scire, quia baptizati, non catechumeni, filii nuncupantur? Aspice quomodo ipse Apostolus (1)

[1] Jer. VIII, 4. — [2] Ibid. 22. — [3] Ezech. XXXIII, 11. — [4] Psal. LXXXVIII, 31-34.

suos filios vocat : « Filioli, inquit, adhuc vobiscum sum[1] : » et Paulus ad Galatas : « Utique baptizatis, filioli mei, ait, » quos iterum parturio[2] : » et Corinthiis : « Nam in Christo » Jesu per Evangelium ego vos genui[3]. » Et tu ergo si filium fuisse te nosti, hoc est, si apostolicum aliquid in te habuisti, nec sic desperare permitteris. Quia et Petrum apostolum negatione cecidisse, et tamen iterum resurrexisse non nescis. Sui vero servi, hoc est, peccatoris usus essem officio, major tamen ad consurgendum debet esse fiducia, quia ejus, qui de humili habetur, levior est ruina, et minori iracundiæ pondere prægravatur, qui semper in errore versatus, rectam se aliquando convertit ad vitam, quam is, qui post sanctos actus turpiter vixerit, et vetus pannum rudi assuerit vestimento.

XVII. Quid vero illud, quod Ecclesiis Apocalypsis dicit, quæ jam inter fidelium numerum septiformibus candelabris sub custodia angelica viventes, ipsa tamen nominis appellatione sentiente ita per Spiritum commonetur : « Memento » unde cecideris, et age pœnitentiam, et priora opera fac. » Alioquin venio tibi, et movebo candelabrum tuum[4]. » Proinde licet templi divini vasa rex captivaverit assyrius, tamen revertantur ad templum : non ea in perpetuum Babylon immunda possideat; licet per flammam turpis concupiscentiæ incenderit templum Domini princeps coquorum, qui domino suo, id est, principi mundiali, escas nostrorum appeteret peccatorum ; tamen veniat Zorobabel, hoc est, Spiritus sapientiæ, cum intellexerit mulierum potentia in malis omnibus principari, et totus in veritate confidit. Veniat Esdra, bibliotheca legis, et memoria lectionis. Veniat et Nehemias, virtus continentiæ, contemptorque formidinis, qui pro reparatione patriæ, principis po-

[1] Joan. xiii, 33. — [2] Galat. iv, 19. — [3] 1 Cor. iv, 15. — [4] Apoc. ii, 5.

tentiam non veretur, ac dispositis per singula Jerusalem loca, id, est, corporis membra Angelorum Patriarcharumque virtutibus, qui lapsa restaurent, et restaurata custodiant, et una manu serviat fabricæ, alia custodiæ, quia Adam positus est in paradiso operari, et custodire [1].

XVIII. Reædificentur ergo per tropologias nominum claustra portarum : restauretur imprimis porta probatica, quam nos arbitramur aditum, per quem utrum bona sint an mala, quæ extrinsecus ad nos introeant, comprobamus; et quia fides exaudita est, faciamus quod Apostolus dicit; « Si estis » in fide, ipsi vos probate [2]. » Restituatur porta piscatoria, id est, in suum virorem vaga semper natura, ac per semitas maris, hoc est, vitia istius mundi oculorum velox ac fugitivus aspectus. Quia ipse visus pro sagena poterit æstimari : quidquid aspexit, statim capit, et captum ad cordis cellaria, et interiora transmittit. Restituatur porta in Anatoth, quæ interpretatur respondens. Signum quod nos suspicamur esse frontis patibulum. Ubi signum salutis nos dominicæ sanctitatis accipimus sacramenta. Quod est et aurea lamina, ubi pontifex nomen Domini scriptum mandatur accipere. Vis scire quia non incongrue porta in Anatoth pro patibulo frontis accipimus. Jungit Propheta huic portæ unguentariorum loca, quæ per typos nominum ab aliis virtutibus dicitur esse restructa. Unguentariorum autem loca sunt illa, quæ chrismatis sanctificatione tanguntur. Sequitur hæc porta frugis, quam nos suspicamur esse oris, ac saporis officium, per quam omnium seminum, hoc est, verborum Dei fructus segregetur. Restruatur et porta stercoraria, quod nos arbitramur esse narium sive odoratus introitum, per quod nos turpis decepit illecebra, et æstimavimus lucra esse, quæ erant stercora. Restruatur et porta fortis : credo manuum nostrarum sive tactus officium, quia

[1] Gen. II, 15. — [2] 2 Cor. XII, 5.

non fortiter tenuimus, quod tenebamus, et alter sustulit coronam nostram. Restruantur et muri natatorii, id est, forma baptismi nostri, et mystici fontis munimenta disrupta, quæ sunt castitatis insignia : quia soluto per luxuriam continentiæ pariete velut obrutis obicibus sacri laticis undam effudimus atque perdidimus, cujus muri propterea dicuntur restrui, ut agnoscamus tantam esse misericordiam Domini, ut et interrupta castitatis tempora possint restructa ad priorem similitudinem continentiæ virtute renovari, sicut et tui per vocabula nominum, ac tropologiam locorum hoc quod dicuntur restrui, officii intelligas esse membrorum, dummodo ne opus regis Babylonis in vitiis, ut in phialis templi Domini, vinum perditionis potare debere credas, et hoc coram diis tuis Venere, Marte, atque Mercurio, id est, fornicatione, avaritia, vel furore, quia scriptum est : « Furor hominis incontinens est[1] ; » et alibi : « Avaritia quod est idololatria[2]; » et alibi : « Initium forni» cationis est apostatare a Deo[3]. » Nec enim putes solam in pecunia avaritiam computari, quia maxime avaritia in libidine esse sentitur, cui nusquam finis imponitur. Quod vero phialæ in templo Domini virgines nuncupantur, Propheta nos docet dicendo : « Triticum in juvenibus, et vinum » suave olens in virginibus[4]. » Ac sic cui vini liquor infunditur, quid nisi phiala nuncupatur? Unde et ad hujusmodi dicitur per Prophetam : « Exite de medio ejus qui fertis vasa Domini[5]. » Sed et ille gentium Doctor, qui utique de sua virginitate gauderet, et cæteros ad similitudinem integritatis, et castimoniæ exemplum provocans diceret : « Volo omnes » homines esse sicut me[6], » sciens se in templo Domini vas esse pretiosum, dicit alibi ipse de se : « Habemus thesaurum is» tum in vasis fictilibus[7]. » Quæ ideo fictilia appellavit, quia

[1] Prov. VI, 34. — [2] Coloss. III, 5. — [3] Eccli. X, 14. — [4] Zach. IX, 17. — [5] Isaï. LII, 11. — [6] 1 Cor. VII, 7. — [7] 2 Cor. IV, 7.

sunt adhuc in hac vita ipsa sui fragilitate mortalia. Sed cum in resurrectione fuerint immortalitatis splendore vestita, «Tunc Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum[1].» Unde et alibi quoque dicit : « In domo magna non solum » sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia, et » alia quidem in honore, alia vero in contumelia[2].» Et subdens in consequentibus dicit : « Si quis emundaverit se, erit vas » in honore, utile Domino ad omne opus bonum[3]. »

XIX. Vides ergo quia sive ad honorem prælegamur, sive ad contumeliam deputemur, utrumque in nostra situm est voluntate. Age ergo, quid cessas effici vas in honore utile Domino ad omne opus bonum? Eadem enim phiala, in qua immunditias libidinis miscuisti, si te emendaveris, id est, ut corpus tuum castigaveris, adhuc potest effici pretiosum poculum castitatis. De ultimo jam non in Babylonem serviat diis alienis, sed quod est dignissimum in Jerusalem templi usibus deputatum, sacrificiis divinis perpetuo dedicetur officio. «Sacrificium quippe Deo spiritus contribulatus, » quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit[4]. » Bonis ergo operibus et conversatione laudabili cum charitate de corpore puro, et conscientia bona, et fide non ficta, et mente jugiter divino timore compuncta, repara deinceps quidquid hactenus dilapsione improba perdidisti. Sciens quod filius ille junior, qui dilapidavit substantiam suam vivendo luxuriose, mox ut de toto corde pœnitens, ad patrem reversus est, et indulgentiæ paternæ osculum, et fidei annulum, et stolam immortalitatis adeptus, meruit et conviviis, et spiritualibus epulis saginari. Non ergo differas, non retardes, nec recrastinatione noxia in posterum remedii spem præsumens, ægritudinis tuæ morbum in perniciem tui convalescere patiaris. Memento quod præfatus

[1] Matth. XIII, 43. — [2] 2 Tim. II, 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Psal. L, 19. — [5] Tim. I, 5.

hic evangelicus filius statim ut ad se reversus est, dixit: « Surgam, et ibo ad patrem meum[1]. » Nemo enim sani consilii unquam prolixius delectatus est languoris sui tabe, pestilentiaque corrumpi. Nemo vulneribus suis addi vulnera concupivit. Nemo in discrimine constitutus obstat adhuc ægritudinis suæ incremento perduci : quod si est, qui faciat, non desiderat sanari, sed mori. Sed et hujuscemodi ignavia insanabiliter desperatis clamet ipse Dominus per Prophetam : « Quare moriemini? domus Israël » convertimini, et vivetis[2]. » Convertere ergo, quæso te, mortemque refugiens, elige vitam, ut vivas. Omnis delectatio concupiscentiæ carnalis, et si immatura morte non præveniatur, certe jam adveniente senectutis labe finitur : et ideo tu præveni incertæ mortis adventum, ne sero te doleas morte inopinata præventum. « In inferno, » ait Pro» pheta, quis confitebitur tibi[3]? Numquid confitebitur tibi » pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam[4]? » Et iterum : « Sicut vulnerati dormientes projecti in sepulcris, quo» rum non es memor amplius, et quasi de manu tua expulsi » sunt[5]. » Et iterum : « Numquid mortuis facies mirabilia, » aut medici resuscitabunt, et confitebuntur tibi? Num» quid enarrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et » veritatem tuam in perditione? Numquid cognoscentur in » tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis[6]? Et alibi : « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes » qui descendunt in infernum[7]. »

XX. Pone quod tibi senectus optata perveniat, quid prodest venisse ad ætatem, in qua jam non potes satisfactione admissis congrua pœnitere? Non enim vere pœnitet, nisi qui eo tempore pœnitudinem gerit, quo adhuc poterat vigore carnis incitante peccare. Jam ergo nativitatis

[1] Luc. xv, 18. — [2] Ezech. xviii, 31, 32. — [3] Psal. vi, 6. — [4] Id. xxix, 10, — [5] Id. lxxxvii, 6. — [6] Ibid. 11-13. — [7] Id. cxiii, 17.

tuæ tempus, et originem maledicens, lava cum Propheta lectum tuum, riga per singulas noctes lacrymis stratum tuum [1], donec possis virum sanctum castitatis ablutis cunctarum sordium maculis imitari. Quod si donavit tibi Dominus purpuram, ut pro nomine ejus focum tui corporis effundas, quodnam autem abundare tibi poterit in iis, quæ ante gessisti, ut et ipse illud apostolicum non sine magna cordis contritione dicere possis? « Quem enim fructum » habuistis tunc in iis, in quibus non erubescitis [2]? » nec deerit hyacintum, si corpus tuum callo laboris infeceris, et in servitutem redegeris, ut non tu ejus voluntatem sequaris, sed illud potius tuæ obtemperet voluntati. Ac sic cum his coloribus poteris in tabernaculo Domini jam non infructuosus admitti. Ubi et si quæ pretiosa sunt, offerre cum divitibus fortasse nequiveris. Parum certe non erit, si saltem mediocria offerens, in conspectu Domini Dei tui non apparueris vacuus, sciens quod apud cœlestem Patrem multæ sunt mansiones. Modo ut tu velut infimum æternæ vitæ locum in requie Beatorum omnimodo satisfactione obtinere contendas, et diras perpetuas mortis, id est, inextinguibiles gehennæ pœnas, et horrenda supplicia evasisse te gratuleris. Ubi cum de indulgentiæ adeptæ proventu perpetuo exultaturus intraveris, mihi quoque pius suffragator patrocinium promerendæ veniæ, jam de te securus impertire, qui ut ad hanc gratiam pervenire contenderes, adhortatione qua volui incitavi.

XXI. Nunc unum medicaminis genus, quod superest, adhibeo, ut cum te ad delectamenta illecebræ carnalis incentivæ naturalis concupiscentiæ inclinare tentaverint, diem semper adventus Domini prædictum propheticis, et evangelicis, atque apostolicis vocibus contempleris; ad quem si jugiter oculum mentis tuæ conjeceris, tota sartago quam-

[1] Psal. vi, 7. — [2] Rom. vi, 21.

vis ferventis libidinis refrigescet. Si enim diem illum semper animus, quocumque deflectit, intuitu ut se haberet opponeret, nunquam profecto peccare animam delectaret. Ubi tunc, obsecro te, carnalium desideriorum æstuans obscœnitas se videbit, cum illius angelicæ tubæ terribilis clangor per universum reboans mundum, orbis fundamenta concusserit? Cum in conspectu adventus Domini, crepitantibusque flammarum globis, nec cœlis parcet incendium. Cum illud tremendum formidandumque examinis solium censurum honorificæ majestatis insederit : qui mœror, qui dolor, quæ anxietas, quæ angustia, quæ caligo, illic peccatricem conscientiam possidebit, ubi ardentibus elementis, et circumseptam se anima globis incendii æstuantis aspiciet, et nullæ latebræ uspiam locus erit?

XXII. Audi et Malachiam prophetam, quibus diem illum verbis annuntiet : « Ecce, inquit, veniet Dominus omnipo- » tens. Et quis sustinebit diem adventus ejus? aut quis stabit » ante conspectum ejus, quia ipse ingreditur sicut ignis » conflans, et sicut purgator abluens sedebit, conflans eos, » et purgans, sicut argentum, et sicut aurum[1]? » Amos quoque receptissimus vates paria vaticinans ait : « Væ desi- » derantibus diem Domini : ad quid eam vobis? Dies Domi- » ni, dies est tenebrarum, et non lucis. Quomodo si fugiat » homo a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur » domum, et extendat manum suam ad parietem, et mor- » deat eum coluber : ita tenebræ dies Domini, et non lux » et tempestas, et caligo his, qui non habent in se splen- » dorem Domini[2]. » Sophonias nihilominus propheta hæc eadem infert dicens : « Juxta est et velox nimis; tribulabi- » tur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et an- » gustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et » caliginis, dies tubæ et clangoris : super civitates munitas,

[1] Malach. III, 1-3. — [2] Amos. v, 18-20.

» et super angulos excelsos tribulabo homines, et ambula-
» bant ut cæci, quia Domino peccaverunt[1]. »

XXIII. Ipse quoque Prophetarum Dominus nunquam non eadem in Evangelio denuntiat mala, cum dicit : « Et erit in » terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et » fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, et expec- » tatione quæ superveniet universo orbi[2] : Quoniam ecce ve- » nient dies in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres, » quæ non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt. Tunc » incipient dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : » Cooperite nos[3]; » sed et alibi ita ait : « Attendite vobis, ne » forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et » curis hujus vitæ, et superveniat in vos dies illa. Tanquam » laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super ter- » ram[4]. »

XXIV. Adhuc ausculta, quibus verbis et beatus Petrus insinuat diei hujus adventum : « Adveniet, inquit, dies Do- » mini ut fur, in qua cœli magno impeto transcurrent, ele- » menta vero calore solventur, et terra[5]. » His ergo ait omnibus pœnitentibus, « Quales omnes esse vos in sanctis » conversationibus, et pietatibus, expectantes, et prophe- » tantes in adventu diei Domini, per quam cœli ardentes » solventur, et elementa ignis ardore tabescent[6]. » Hunc tu diem si oculis cordis indesinenter admoveas, omnia prorsus carnalium incitamenta libidinum de animæ recessibus effugabis, nec revertentur ad mentem noxii vitiorum stimuli, quos impleverit gehennæ metus et formido pœnarum. Vacant enim illic blandimenta luxuriæ, ubi perennium tormentorum salubris timor insederit.

[1] Soph. I, 14-17. — [2] Luc. XXI, 25, 26. — [3] Id. XXIII, 29, 30. — [4] Id. XXI, 34, 35. — [5] 2 Petr. III, 10. — [6] Ibid. II, 12.

SERMO I.

De pœnitentia.

I. Pœnitentia fertilis est fructus, charissimi, quia omni ex parte præclarum Deo opus affert : frugifer est ager, quia tempore quocumque excolitur : salutis est arbor, propterea quod multos in peccatis mortuos resuscitat : inseritur in ipsa omnis cœlestis conditio ac status, quia Divinitatis est consors. Gaudet namque ea Deus, tanquam virtute creativæ potentiæ ipsius : quia quos peccatum moliebatur perimere, ipsa ad Dei reparat gloriam. Indemne pœnitentia est Dei marsupium, quia hominum animas, ne pereant, tuetur. Copiosus est hic Dei redditus, atque proventus : eo quod homines afferat, et peccatores cumulatim congreget. Spiritales in ea consistere usuras existimo; metit enim pœnitentia quæ non seminavit; nam corpus seminat corruptionem; et pœnitentia metens, eam ad castitatem elevat. Peccatum seminat passiones ac perturbationes : et pœnitentia illas demetens, superseminat vitæ rationem laudabilem. Accipit ea, quæ non dedit, pia usuraria, repetens quæ non mutuata est. Dicit peccatoribus : « Date mihi peccatorum pondus; id mihi operis sit usura. » Fidem habes? da pœnitentia usuram fidei; in ipsa enim fides tua debito libera redditur. Non dedi tibi, inquit, malum : hoc mihi, o homo, præbe, et exterminans illud, te sistam Deo, quemadmodum de talento legisti.

II. Quid Evangelium dicat, nosce. Pœnitentiam ait opus atque negotiationem esse Dei, et qui bene negotiati sunt, duplicasse summam. Boni quippe operatores in ipsa ve-

nuste affabreque fecerunt Dei agriculturam. Per ipsam fructibus Ecclesiam impleverunt; in ipsa Dei horrea referserunt. Per ipsam et terra facta est cœlum, quia sanctis Angelis, qui sunt in terra, repleta est. Laudantur boni famuli, qui per pœnitentiam semen multiplicarunt. Remunerantur boni dispensatores, magno lucro Dei pecuniam fœnori dantes. Ex mercede negotiationem discamus. A collaudationibus cognoscamus semen, et a fœnore summam exploremus. Quoniam enim, inquit, operati estis in eis, et quinque talentis alia quinque adjecistis, habetis potestatem super decem civitates. Domine, argentum accipis, et civitates donas. Talenta dedisti, et civitates tradis. Etiam, inquit, civitates sunt pœnitentiæ agriculturam. Quia enim vobis vestram comparastis salutem, et ego vos principes populorum constituo, ad laudem et gloriam. Bene ergo dixerimus, quod marsupium Dei sit pœnitentia : quia in ipsa, recta piaque vitæ ratio consistit.

III. Novit Deus genus humanum conturbari ab inimico : et pœnitentiam ipsi ad eversionem ejus opposuit. Ille suadet peccatum : at pœnitentia parata est ad peccantem suscipiendum. Inimicus legem violare compellit; sed pœnitentia ad conversionem hortatur. Ille in desperationem impellit : ista spem salutis promittit. Peccatum conscientiam divellit : pœnitentia vero, baculus ejus ad requiem efficitur. « Nam Dominus erigit elisos[1] : » verum per pœnitentiam id facit. Quando enim a Davide dici audieris : « Virga » tua et baculus tuus : ipsa me consolata sunt[2] : » intellige quod per pœnitentiam istud fieri dixerit. Draco impietatem suadet, et mœrorem parat : at pœnitentia hortatur non esse angendum neque desperandum de iis, quæ ad salutem pertinent. Excæcat malitia mentem : sed pœnitentia lucernam accendens, Deum ipsi a longe ostendit. Lucerna

[1] Psal. CXLV, 8. — [2] Id. XXII, 4.

pedibus pœnitentis, lex efficitur : sed non sine pœnitentia. Quid ais, Propheta? Lucerna non oculis lucet? Numquid pedes oculos habent? Quo igitur pacto, omissis oculis, visum pedibus attribuis? Pedes animæ sunt intellectuales oculi. Caro graditur, ut videat : verum anima intelligens, hunc licet immota contuetur. Propheta lucernam animæ accendit : non enim materia indigent intellectuales oculi. In pœnitentia, lucerna fit lex : quoniam per eam, peccatores denuo cum Deo congrediuntur, ac colloquuntur. Tenebris obducta est mens inique agentis, nec cernit bonitatem : quomodo? quia desperatione ipsam implevit inimicus : at pœnitentia, velut bonus medicus, labores atque molestias, nebulamque animæ adimens, lumen ipsi benignitatis Dei ostendit.

IV. Resipiscentiam impiis præcidit diabolus, asperitatem proponens pœnitentiæ : at pœnitentia subdolam ejus cernens vafritiem, majori suavitate accedit, dicitque : « Solum Dei memineritis, et ego pro vobis decertabo. Mente complectimini misericordiam ejus, et ego cum suspiriis intercedam pro vobis. Solum leviter ingemiscite, peccatores, resipiscentes, et faciam vos domesticos Dei. » Dixit, quoque propheta Isaïas : « Quandocumque conversus fueris, et ingemueris, tunc salvaberis. » Ecce et testimonium tibi adduco, inquit, solum resipisce. Si ergo ingemuerit peccator suspirando, et grave onus draconis evadit, et mente sublevata nebulam ignorantiæ depellit, et in tranquillitate oculus animæ erit : subitoque ipsam pœnitentia ad salutem manuducet. Tuncque non tantum suspirabit, verumetiam lacrymas fundet maximo cum dolore : quare? quia Deum ut Patrem cernens, longo intervallo movetur ad lacrymas, quia ex intervallo vidit parentem : atque ideo erumpit in lacrymas, Deoque persuadet, quod patris benevolentiam amet : et sic a statu serpentino purgatur. Numquid audisti,

quod dixit David : « Lavabo per singulas noctes lectum » meum [1] ? » Sed primum suspiria edidit, et sic illacrymatus est.

V. Ostendam etiam tibi hoc ipsum a maxima natura : quia primum ventus oritur, et sic pluvia succedit : primum tonitru cum fragore perstrepit, et sic nubes distillat. Est gemitus absque voce, sicut Paulus ait : « Quoniam Spiritus » postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus [2]. » Recordatio Dei peccatoribus causa fit gemitus. Idcirco rursus David ait : « Memor fui Dei, et delectatus sum [3]. » Nam qui resipiscunt, gaudent, quod a vinculis draconis liberati sint. Non enim pejus est vinculum, quam quæ ex peccato fit excæcatio, neque funis ad visus læsionem perniciosior. Quia enim in peccati tenebris versatur anima, vinculorum custodia detinetur, et in carcere omnis luminis experte degens, ignorat se in ignorantia ambulare. Ait quippe alibi Psalmista : « Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris » ambulant [4]. » Quoniam ignorantia locus est custodiæ, animam facile colligans, atque impediens. Dicit enim et apostolus Paulus, quod « Deus nos ex potestate tenebrarum in » regnum Filii sui transtulerit [5]. » Erat quippe humanum genus, quasi tenebris conclusum, propter ignorantiam Divinitatis. David quoque suspirans, lacrymis lavit lectum suum : nam adulterio contaminatus erat : sed lacrymis stratum suum rigavit, quod nefario complexu polluerat. Idem autem de se ait : « Laboravi in gemitu meo [6]. » Labor enim ipsius gemitus, lacrymarum est copia : labor gemitus, labor est cordis. Constat igitur lacrymas multiplicari, præcedentibus gemitibus. Nam cum adversarius se vinci conspicit, dum impiis desperationem suggerit, alium modum aggreditur, assentationibusque agit ac suadet, manen-

[1] Psal. VI, 7. — [2] Rom. VIII, 26. — [3] Psal. LXXVI, 4. — [4] Id. LXXXI, 5. — [5] Coloss. I, 13. — [6] Psal. VI, 7.

dum in passionibus improbis, deducitque peccatores in actiones turpissimas. At rursus ipsi pœnitentia se opponit, et a conscientia assentationem exterminans, pungit conscientiam, ferit cogitationem, ut dormitantem animam excitet : nam assentatio conscientiam turbat, nubesque adversus eam efficitur, et accessum ad Deum ipsi præcludit. Habet autem conscientia proprietatem naturalem, ut ineptias quascumque repellat, atque illecebras. Et quando sæpe impudenter peccatum sese obtulerit, tunc temporis progressu, conscientia superat : sive enim in tenebris, timore correptum reprehendit, quod propter peccatum ista sustineat, atque suscipiat. Ait enim Scriptura : « Fugit impius » nemine persequente. » Ac rursus : « Justus quasi leo » confidens, absque terrore erit : fugiet vero impius etiam » umbram suam [1]. » Et lex dicit : « Immittam pavorem in » corda vestra; et fugietis nemine persequente : et persequetur vos sonitus folii, quod a vento rapitur [2]. » Sive in navi, maris ventis, fluctibusque turbatum, suæ admonet impietatis : sive in terræ motu, in memoriam revocat violatas leges : sive in via, dum solus est, reducit illi in mentem passiones ac vitia : demum nisi convertatur, ubi in morbum inciderit, eum convincit, atque redarguit, ita ut ipse ob amorem vitæ, Deo polliceatur quæ ad peccatum tollendum et evertendum pertinent. Is porro mortem timens, patitur se a conscientia stimulari, et ad Dei, hominumque mediatricem pœnitentiam confugit. Quare nisi jucunda illi præsens vita videretur, venerabilem pœnitentiæ aspectum eluderet : at quia vult adhuc vivere, ærumnasque ac pondus metuit; convertitur ad Deum, ut plures adhuc annos vivat.

VI. Sic juvenis ille in Evangelio affectus fuit : quippe qui primum sublata hæreditate paterna, in longinquam

[1] Prov. XXVIII, 1. — [2] Levit. XXVI, 26.

regionem profectus, substantiam cum meretricibus absumpsit, et in deliciis ac epulis cum turpiter versaretur, consumpsit omnes facultates, et non potuit ferre, ne ad modicum quidem, solitudinem : nam pœnitentia suavitatem prioris ejus percipiens vitæ, ad reprehensionem conversa est, quod non casu aliquo illud iter susceptum esset, sed inimici alicujus dolo atque deceptione. Unde vitam optabat quam dixi desideratam, et cum non ferret afflictiones, reprehensionem tulit conscientiæ. Mollis igitur ejus educatio, conversionis ejus causa extitit, ipsumque vel invitum indigentiæ improbitas perduxit ad pietatem. Quid ergo dicit adolescens? « Ibo, inquit, ad patrem meum, et » dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te [1]. » O pœnitentiæ sapientiam! O artificiosam dispensationem! quia nullam prorsus jacturam fieri a Deo sinit pœnitentia : nam aut longanimiter expectando, aut dissimulando, aut hortando, indemnitatem possessori tuetur. Sustinuit pœnitentia adolescentem decipi, atque seduci : insultavit ipsi diabolus : fecit in eo quod voluit. Pœnitentia quievit : reprehensio conscientiæ subticuit. Jussit eum tantisper ab inceptis desistere, et ubi tempus necessitatis reperit, tanquam mater, sua viscera expandit, ipsumque amplectitur medium, et e gremio novercæ, id est, voluptatis, avellit eum, ut matri pietati restituat. Siliquas draco præbet obedientibus sibi; vitricus enim cum sit, alienis filiis non parcit. Suadet paterna bona male abligurire : dormientibus, variarum curarum offert simulacra : expergefactosque illudit, cernentes se ipsos nudos, ac pauperes.

VII. O vafritiem, atque calliditatem draconis! Sic enim primos parentes nudavit. Cum enim Divinitatem eis promisisset, instar vermium eos in terra versari effecit, denudans ipsos. Nisi esset pœnitentia, jamdudum humanum

[1] Luc. xv, 18.

periisset genus. Nisi cito manum defensionis porrexisset, non sane jam mundus consisteret. Dicit igitur adolescens : « Pater, peccavi in cœlum, et coram te. » Agnovit patrem, qui peccaverat filius, convincens eum esse vitricum et insidiatorem, qui se seduxerat. Vidit dolum, cognovit imposturam; accurrit ad pœnitentiam, velut ad matrem. Esurivit diu, siliquis victitans; sitivit diu, in cœno se cum porcis volutans. Verum pœnitentia, instar matris benignæ, mammillas admovens, rursus adolescentem, tanquam adhuc infantem, lactabat. Pane eum per fidem enutriebat, et juvenescentem lactabat, quia peccatum vires ejus absumpserat : et nisi lac adhibuisset, sanitatem recuperare nequivisset : plane enim ex turpitudine debilitatus erat, sensu mentis naturali consumpto. Et cum præ infirmitate exurgere non posset, pœnitentia eum lactans, excitavit atque erexit ; valde ægrotantem curavit, et patri suo reddidit, aberrantemque ovem suo pastori exhibuit.

VIII. Cernis quo pacto pœnitentia restituit quodammodo Deo, quod amiserat? Cernis eam non primum quod austerum est, offerre peccantibus : verum quod gratum ac placidum est, simulque suave et facile. Non jejunium imposuit, non abstinentiam ac temperantiam poposcit, non vigilias; sed a confessione ipsum appellavit : a levioribus ducit principia, sciens æquam et candidam esse conscientiam. Hæc namque animam recipit, studetque ejus debitum exigere. Hæc pœnitentiæ a secretis est, festinatque purgare eam : parit enim sollicitudinem, et solum in cognitionem cupit mentem adducere, novitque illam in posterum sibi fore obedientem. Novit naturæ conjunctionem : hæc quippe eam enutrivit. Novit animæ tractabilitatem, ac facilitatem, quod in ea instar sessoris atque equitis consideat : persuadet pœnitentiæ, ut a levioribus ad ipsam accedat, compensationem ejus expectans. Solum dicit: « Inge-

misce, et anima tibi ancilla erit. Solum intellige, quod imperes ipsi; et ex semine exiguo, arborem vitæ producet. » Solum cupit pœnitentiam sibi sociam; vult in peccatoribus pœnitentiam inniti, ut facilius eos ad Deum adducat. Subintrare cupit instar solis, et totam vult illustrare mentem. Nititur partem in nobis possidere : et non multo post facit nos esse possessiones Dei : et quemadmodum fermentum, ubi incœpit, totam massam fermentat; ideo levia atque facilia proponens, aspera ac dura occultat. Artificiosa prudensque est, et draconis vafritiem novit. Instar canis cicatrices delingit, et non vult dentes in profundum peccatorum defigere. Novit eos, instar porcorum, cœno gaudere : neque vult eos rejicere, qui ipsam cupiditatibus et passionibus inquinant. Si velut stercus impios abjecerit, improbus eos consumet porcus. Si ipsos tanquam cadavera repulerit, sævus eos devorabit canis. Ait enim in Psalmis : « Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est ipsam [1], » quia omnibus modis insidiatur immundis.

IX. At pœnitentia tantopere humano parcit generi, ut etiam a bestiis captos salvet Deo. Quod in Davide ostenditur, quia arietem de ore ursi eruit, ut divina in eo demonstretur bonitas. At quisnam hic ursus? iniquitas. Et quis aries? Latro in crucem propter iniquitatem affixus, qui ex iniquo conversus est, a conscientia compunctus, confessus impietatem : agnovit regem gloriæ, et credidit ipsius Divinitati, qui cum solum verbum loqueretur, sicut David arietem, ita et Christus ex mortis faucibus Latronem exemit atque liberavit. Non ergo fas est, fratres, salutem desperare, quibus mater adest pœnitentia. Non licet, charissimi, desperatam spem salutis habere, sub ejusmodi matre nos adhortante ac consolante. A bestiis captos, in

[1] Psal. LXXIX, 14.

paradisum ad Deum adduxit, et nos aversabitur? Illorum, cum extra Ecclesiam essent, misericordia ductus est, et nostri non miserebitur? Illos licet nondum credentes hortatur, atque invitat : et nos jam credentes repellet? Nemo volens sumere quod non habet, id quod habet, libenter deperdit : et quo pacto Deus et pater, quos sanguine acquisivit Filii sui, facile rejiciet? Nemo quod cum labore congregat, facile dissipat : et quomodo Deus eos, quos ex gentibus in ipsum, labore Apostolorum, credentes excepit, facile repellet? Numquid frustra Filii sui decrevit adventum? aut sanguinis ipsius effusionem pro nihilo reputavit? aut dispensationem mortis ejus vult abolere? aut gloriam resurrectionis ipsius, rem nihili duxit, ut nos, qui hisce salvati sumus mysteriis, facile aversetur? Ipse Spiritum sanctum emisit, et Ecclesiam sanctificavit, Apostolosque ad evangelizandum gentibus ablegavit. Nisi igitur nos vellet salvari, frustra ac sine causa tot tantaque præstitisset. Aut enim ignorasset quæ ad nos pertinent, aut gentibus illusisset. At utrumque etiam cogitatu nefarium est : neque enim ignoravit, neque etiam superfluum fecit.

X. Habet autem nos sibi gregem, et ipse pastor noster est, et nunc et in paradiso dedit pœnitentiam, tanquam aquam purificativam. Quare, si peccatis delictisque abundamus, in ipsa abluamur : habemus eam pro lavacro non solum regenerationis, verumetiam reparationis. Si quid peccaverimus, per ipsam abluti, mundi evadimus. Habuit lex vitulæ cineres in aspersionem : at nos pœnitentiæ mortificationem habemus. Ibi per cineres purgabantur, nos autem panem tanquam cinerem comedentes, culpis atque criminibus liberamur. Lex hyssopum ad purgationem dabat : Evangelium vero herbarum escam ad veniam per pœnitentiam annuntiat. Herbis vescens Baptista seipsum virum perfectum reddidit; quia de pœnitentia prædicans,

ipse pœnitentibus scopus evasit. Continebat et aspersio aquam purgationis, quia et apud nos mensura pœnitentes aquam bibunt. Dei altare est pœnitentia : nam per ipsam peccantes eum placant. Quin et sumptibus liberum reddit accedentem, ut quantum sit inter legem et Evangelium discrimen intelligamus. Frequenter propter sumptus, aliqui in lege recusabant sua enuntiare peccata, fiebatque occasio mali parcimonia sacrificii, victimæque inopia : sed ademit hoc Christus adveniens, dans pœnitentiam, quæ sacrificium est sine sumptu. Arbitror serpentem gaudere solitum, ob raritatem sacrificantium, causam enim reperiebat violandæ legis. Duplici arguebantur malo abstinentes, et quia non confitebantur peccata, et quia legem despiciebant. Vides, quanta in nos beneficia contulerit Salvator? nam per pœnitentiam utrumque radicitus exterminavit. Multi etiam non parcimoniæ dediti, verum pauperes, non sacrificabant : at pœnitentia etiam pauperum prætextum anticipat, quia absque impendiis placat atque conciliat. Aliqui ex pigritia et negligentia, aut si facile victimam non invenirent, non immolabant, ad remissionem peccatorum impetrandam : at pœnitentia omnium prætextum causamque compescit ac reprimit, conscientiæ sacrificium afferens : non enim quærit arietem, sed confessionem : non ovem postulat in sacrificium, sed de conscientia confessionem. Non habes turturem, peccator? ingemisce, et Deus supra turturem, hoc tibi computabit. Non habes avem? lacrymas funde, et pro sacrificio æstimabitur tibi. Non habes columbam? annuntia Deo peccata tua, et fient tibi holocautomata. Si oraveris, suscipiet Deus, tanquam vitulum, precationem tuam. Si vere atque legitime procideris ei, super tauri victimam computabit studium tuum. O maximam pœnitentiam! O res admirabiles in ea reconditas! quia una cum sit, omnia potest. Terra fructus præbet,

et armenta lanam : at pœnitentia tanquam terra est, et sicut firmamentum, quia loco fructuum, ac volucrum fit peccatoribus. Cur opus tibi est comparare ovem? Pœnitentia Ecclesiæ armentum est. Quorsum opus habes emere avem? hominibus cœlum pœnitentia est, quæ pro volucribus Deum placat. Cur necesse tibi est coquere similam? pœnitentia citra fumigatum laborem intercedit pro te apud Deum.

XI. O maximam Evangelii gratiam! quoniam totam legem correxit. Ipse sibi populus in Ecclesia sacerdos efficitur, quia conscientiam habet pro se sacrificium offerentem. Ex corde orat, et ipse pro seipso Dominum placat. Non igitur in lege impletur oraculum Moysis, sed in Evangelio consistit : Ait enim ad Israël : « Regale sacerdotium, gens » sancta [1]. » Similiterque Isaïas : « Vos autem, inquit, vocabimini sacerdotes Domini, ministri Dei omnes [2]. » Cæterum nullus ex Judæorum populo seipsum Deo offert : at in Ecclesia, etiam peccatores pœnitentiam agentes, sacerdotes fiunt, quia seipsos Deo tanquam victimam offerunt. O efficacem pœnitentiæ gratiam! quoniam peccatores sacerdotes creat. O maximam in ea consolationem! quoniam sacerdotalem pœnitentibus dignitatem tribuit. Nondum liberatus est debito, et debitum jam per pœnitentiam superat. Nondum onus deposuit, et per gratiam sublevatus est. In sua securus, ac tranquillus dignitate, propitiationem atque remissionem non promittit, sed largitur. Non spe lactat peccatorem, sed sola eum voce tenet, persuadetque quod liberabitur. Dicit ad eum : « Agnosce quod habes, et non expectes : sed beneficium adhuc majus. Intellige quod tenes, et nosce quod jam tibi ipse patrocineris. De futuris certiorem te facio ex concessa tibi gratia. Agnosce divinam misericordiam, quia libenter te amplectetur acce-

[1] Exod. XIX, 6. — [2] Isaï. LXI, 6.

dentem ad ipsam, et ostendet tibi benignitatem : quia te ante remissionem sacerdotem constituit. »

XII. O divinam gratiam ! quia antequam accipiat, prior concedit, et cum exiguum quidpiam cernat, magna donat. Nondum peccator ingemuit, et jam ipsi libertatem loquendi donavit. Nondum lacrymas fudit, et præveniens aditum ad ipsum patefecit. Magna pœnitentia, et Deo longe dilectissima, quoniam voluntatem ipsius vere efficit, et pontificis partes coram eo agit. Nam ecce et sacerdotes ipsi quotidie creat. Hæc mensa est Domini, quippe per quam hominum salute vescitur. Dicit enim Salvator : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in » cœlis est [1]. » Revera igitur pœnitentia Dei est panis admirabilis : comedit enim Deus per ipsam confessionem conscientiæ, bibitque per pœnitentiam lacrymarum affectionem. Fructum boni odoris capit ex ea, verum suspiriorum sensum velut vinum fragrantissimum accipiens. Varia atque distincta Dei fercula sunt ista, continentia atque temperantia, jejunium, vigiliæ et precatio prolixa, ac renuntiatio cum humilitate : his quippe lætatur Deus, plus quam aliis victimis. Ait enim in Psalmis : « Numquid man» ducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum po» tabo [2] ? » Quid ergo Deus comedit, o Propheta, et quonam potu delectatur ? Respondet David, et ait : « Cupis ut co» medat Deus ? Si vis pascere Deum, immola Deo sacrifi» cium laudis : » et omnem ejusmodi victimam suscipiet : « Et redde altissimo vota tua, » offeresque ipsi potum optimum. Dicit enim Paulus Apostolus bonorum operum actionem panem esse Domini : « Rationabile, inquit, ob» sequium vestrum exhibentes [3] ; » nam omnes in uno pane Christi unum corpus sumus : in Christo enim instar panis offerimur. Nam Christus est Agnus Dei, qui tollit peccata

[1] Joan. IV, 34. — [2] Psal. XLIX, 13. — [3] Rom. XII, 1.

mundi, et peccatorum pœnitentia, immundam amputat conscientiam. Quare pœnitentiam agamus, qui peccavimus, ut vincamus diabolum. Pœnitentiam agamus assidue, ut quæ grata ac placita sunt Deo præstemus. Multiformis et copiosa est pœnitentia, ideoque varia ferculorum genera Deo apponit. Deum quippe per laudes pascit, ut diximus, et rursus per confessionem eum pascit, per temperantiam ac continentiam, per pietatem et exercitationem : pascit quoque eum eleemosynis varie. Nam absurdum foret homines variis uti prandiis, ciborumque generibus; Deum autem unico apparatu esse contentum.

XIII. Ait ergo Christus ad misericordes : « Quandiu » fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis[1]. » Sed quomodo qui præsens non est, beneficium accipit? qui mutuo nobiscum non utitur colloquio, quo pacto apud nos comedit ? qui non convocatur, quomodo simul accumbit? Ait Propheta quod cœlum et terram impleat Dominus[2]; ergo ubique adest, et gaudet dum glorificatur. Quid ergo? nonne et apud improbos præsens est? Imo vero adest; sed ut reprehendat quæ ab iis fiunt : non autem ut in peccato sibi complaceat. Nam beneplacitum Dei in Sanctis est : at minarum ejus animadversio, inter iniquos. Et quo pacto, dices, ait Propheta : « Longe abest Deus a pec- » catoribus[3]? » Docebunt id te cæci : nam sol oritur, et ab ipsis non cernitur. Sic et prope adest iis Deus, et longe : prope, ad reprehensionem : sed longe, ad beneplacitum. Si quis in occulto quid agat, dicit Dominus, et ego ipsum non cernam ? Prope igitur est, ut redarguat : at longe, quod peccatores eum non videant. Quid ergo ? Justi-ne eum vident, quando bona agunt? Evangelium te docebit, dicens : « Qui recipit sermones meos, manifestabo ei me ipsum; » veniemusque ego, et Pater meus, et mansionem apud

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Jer. xxiii, 24. — [3] Psal. cxviii, 155.

« eum faciemus [1]. » Quomodo erunt ista? Dicit Discipulis suis : « Qui vos recipit, me recipit : et qui me recipit, re- » cipit eum qui misit me [2]. » Quando ergo peregrinos propter Christum recipis, vides Christum : quando infirmos propter ipsum reficis, cernis eum : quando quidvis propter ipsum agis, sub aspectu tuo est, et Deum aspicis. « Deus, » inquit Joannes, charitas est [3] : » Si charitatem habeas, vides quem in te habes. Quo autem pacto vides? Rursus ausculta : quando bonum opus exerces, gaudes : cum charitatem operaris, exultas : quando obedientiam perficis, oblectaris. Charitas ergo est gaudium, et exultatio : eaque tibi cooperatrix est in operibus bonis. Vides Deum cooperantem tibi : nullus enim ignorat eum, qui secum operatur. Charitas non repræsentatur oculis carnis, neque videt justitiam, neque alteri suam demonstrat sanctitatem : sed manifestatur oculis animæ, gaudens atque exultans in operibus bonis, quæ facis. Vides Deum, et noli negare, quin aspicias eum : Deus enim charitas est. An quia non vides temperantiam ac pudicitiam, ideo non cernis eas per operationes? Sic, quamvis non videas Deum sensibilibus oculis, tamen per charitatem ipsum intueris. Omnis enim, qui facit bonum, gaudet. Ideoque Paulus dixit : « Semper » gaudete. Sine intermissione orate [4]. »

XIV. Et quo pacto, inquis, ait Evangelium, quod « Ne- » mo Deum vidit unquam [5]? » Non, inquam, vidit quisquam ejus magnitudinem, aut naturam. Verum per signa viderunt Sancti : per ignis rubum, Moyses : per turbinem, Job : per nubem, Isaïas : per lucem, Paulus : per vocem, omnis Israël : et nunc Sancti per operationes, dum scilicet quasi per quædam media manu ducuntur. Reges, qui non sunt noti, pictorum artificio innotescunt. Non aspexisti ar-

[1] Joan. xiv, 21 et 23. — [2] Matth. x, 40. — [3] 1 Joan. iv, 8. — [4] 1 Thess. v, 16, 17. — [5] Joan. i, 18.

tificis personam, sed in artificio cernis hominem, et sic ipsum vides, eumque velut præsentem laudas et suspicis. Non nosti fabrum statuarium, sed ex sculptura cernis ipsum, et apud alios eum prædicas. Vides ab aliquo jugulatum esse leonem[1], et licet non conspexeris eum, admiraris tamen propter fortitudinem. Cum de Davide audimus, quod lapide occiderit Goliath, cernere videmur ipsummet Justum, et a fide virum suspicimus. Ait et in Psalmis : « Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis » meæ[2]. » Unde discimus etiam per auditum nos posse videre; atque ita et nos, si velimus per bonas operationes videmus. At Prophetæ clarius perspicaciusque cernebant, quia evidentiore efficacitate impellebantur. Atqui in rebus sub aspectum non cadentibus licet plus minusve videre. Sicut et inter bene agentes, alii minus, alii magis in bono se occupant. Et sunt qui amplius annituntur, et qui minus laborant : aliique qui minus satagunt, et qui plus efficiunt : sicut Justi, qui parvis actionibus, magis Deum flectunt, ac placant, præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis : et non intuetur quod fit, sed quo quid studio ac propensione peragatur. Vidua solvet dubii jam dicti quæstionem : quoniam duobus obolis superavit divites auro abundantes[3]. Et in tabernaculo testimonii, qui caprarum pilos obtulerunt, et qui byssum cum auro nebant, similes iis erant, qui pilos ad operimentum tabernaculi texebant. Cernunt ergo Sancti Deum multifariam, quemadmodum multis etiam eum modis pascunt, per differentiam operationis et gratiæ. Omnes siquidem pascunt : sed plus cunctis pœnitentia festum Deo agit. Quoniam et in Evangelio dicitur, quod magis gaudeat Deus super uno peccatore pœnitentiam agente, quam su-

[1] Judic. XIV, 6. -- [2] Psal. CXXIX, 2. — [3] Luc. XXI, 2. — [4] Exod. XXV, 35, 36.

per nonaginta novem justis [1]. Festum excitat Deo pœnitentia : quoniam et cœlum movet ad epulas, et Angeli lætantur, dum pœnitentia ipsos invitat ad prandium : cunctique cœlestes ordines epulantur per pœnitentiam sese recreantes. Non iis vitulos immolat, non oves, sed hominum peccatorum salutem in exultationem apponit. Peccatores pœnitentia immolat, sed rursus eos vivificat. Mortificat ipsos, at denuo a mortuis eos resuscitat. Et quo pacto? audi : Peccatores accipit et justos eos efficit. Heri mortui erant : hodie Christo per pœnitentiam vivunt. Heri alieni et inimici : hodie domestici, et amici Deo. Heri iniqui, et hodie sancti.

XV. Magna fornax est pœnitentia, charissimi : æs accipit, et illud in aurum commutat. Plumbum tollit, et argentum reddit. O quantum ad Deum præbet aditum pœnitentia! quantam negotiationis affert utilitatem! conflat, et stipendia a possessore non repetit : conflat, et lignis, igneque non indiget : conflat, et operariis non opus habet. Quæ ars? quod inventum? quæve commutationis potentia? Ipsum sese adurit plumbum : quonam pacto? quoniam ipsi sibi peccatores efficiuntur fornax. Ligna comburit ignis, et mercenarii a peccatorum recordatione ignescunt. Usque adeo vero suspiria animam incendunt, spirantia adversus corpus; ut in seipsis liquefieri ac solvi videantur : tanta in ipsis reperitur dulcedo, atque levatio. Tunc enim solvi incipiunt malitiæ vincula, quando ingemiscendo fleverint, et omissum priorem vitæ statum purgaverit pœnitentia, quæ etiam antequam menti permissa sit gratia, ex plumbo aurum facit. Vidisti vitrum, quomodo hyacinthini reddatur coloris, et smaragdini, atque sapphyrini? non etiam ambiges, quin pœnitentia ex plumbo argentum, et ex ære aurum faciat. Si porro ars humana novit naturam commiscere

[1] Luc. xv, 7.

naturæ, et commutare quæ prius erant: quanto magis gratia Dei etiam amplius efficere poterit? Vitro aurea addidit folia homo : et aspectu factum videtur aurum, quod antea vitrum. Sic et gratia eum, qui heri iniquus erat et transgressor legis, hodie servum Dei efficit, non solum superficie tenus, sed etiam quoad conscientiam secundum Deum. Si enim aurum admiscere voluisset homo, vitrum aureum effectum fuisset; sed damnum vitans, excogitavit structuram, atque immissionem tenuissimi folii.

XVI. At pœnitentia benignitati confisa Dei, resipiscentem gratiam Spiritus sancti temperat, totumque omni ex parte hominem filium Dei efficit, ut aliquam non habeat injectionem. Sancta lex docuit universa Sanctuaria ex auro formare : nec locum reliquit vacuum in thesauris legislator : ut discamus Sanctos Dei perfectam habere sanctitatem. Non reliquit levitatem in sanctis vasis : ut non habeat quidquam inane, aut quod non aliquid agat minister Dei. Non reliquit vacuum locum in sanctis vasis suis : ut ne clam irrepens ac sese insinuans inimicus, ubi abscondatur, inveniat. Dixit et quidam Sapientium : « Si spiritus potestatem habentis as» cenderit super te, locum tuum ne dimiseris [1]. » Audi qui pœnitentiam agis, et ex toto corde, ac anima ad Deum accede.

XVII. Audi, peccator, et integram perfectamque pietatem retribuet tibi. Tu te ipsum conflas; tu te ipsum examinas; tu te ipsum mutas. Non erit tibi ullus alius, cujus tu minister sis. Nulla tibi excusatio erit, cur minus integer esse debeas. Quod si exterius pietatem duntaxat ostentes, fucatus es et simulatus. Si levitatem habes, aut locum vacuum, non poteris esse vas sanctum : nam vacuus locus imperfectos demonstrat : oblatio autem perfectas hostias sacrificat. « Agnum enim, inquit, masculum anniculum offeres Domino Deo tuo [2]. » Dicam tibi quo-

[1] Eccl. x, 4. — [2] Exod. xii, 5.

modo quis in pœnitentia reddatur perfectus, ut ratione percepta, excusationem non habeas. Quare ausculta. De veneficio atque incantatione te pœnitet? omne ejus vestigium extermina. Ne deseras clara, et in occultis verseris. Desiisti occidere homines? etiam linguam tuam cohibe, ne calumnietur quempiam, nec maledictis incessat, neque sese implicet. De idololatria pœnitentiam agis? fuge divinationes, auguria, observationes, atque vaticinationes, cum et istæ sint partes idololatriæ, quippe in quibus conjecturaliter vaticinia, atque divinationes exercentur. Cave attendas astrologicis, mathematicis, ac prodigiorum interpretibus. De fornicatione doles? totam eam contemne ac damna, quoniam omnem ea lasciviam generat. Abstine a risu, a scurrilitate, a turpiloquio, a gula et crapula : nam ista viam ad fornicationem sternunt. De injustitia pœnitentiam agis? omnem eam repelle, atque propulsa : nam omnem hæc avaritiæ excessum ad superfluitatem producit. De perjurio te pœnitet? penitus a mendacio fraudeque recede : nam barathrum, atque vestibulum perjurii est mendacium. De improbitate, atque malitia te pœnitet? fuge iracundiam, odium, atque invidiam : resiste timiditati et ignaviæ, omnique perversitati. De stultitia doles? non solum spectacula devita; sed etiam domi, et ubique locorum, risum, omnemque oblectationem mundanam repelle : nam reverti ad vomitum ista omnia cogunt. De prava in fide sententia doles? cum hæreticis ne verseris. De superstitione, atque infidelitate doles? omne convivium fuge plebeium. De contentione pœnitentiam agis? assuescat lingua tua responsionibus placidis. Tu te ipsum conflas ac liquefacis qui peccasti : tu te ipsum ex mortuis resuscitas. Si ergo ex dimidio quid egeris, te ipsum injuria afficis : nam si quod propemodum et paulo minus fit, habetur mutilum et imperfectum, quanto magis dimidium? Quis enim rem

exiguam toto potiorem facit? aut dimidium ab altero dimidio superari dicit? nisi igitur integre atque perfecte resipiscas, ex dimidietate tantum es justus. Nihil vero profuerit porcum pro dimidio duntaxat mundum esse, cum ungulas non solidas, sed scissas habeat : nam omnem abjecit munditiem. Et tu, nisi perfecte conversus fueris, instar suis, et leporis eris : nam is quoque dimidia ex parte mundus est : ipse enim ruminat quidem, sed ungulas fissas non habet : sus vero scissas quidem habet ungulas, verum non ruminat, et ambo sunt similiter immundi. Ait porro Salvator : « Nolite sancta projicere canibus, et mar» garitas ante porcos [1] : » ut ostendat ex dimidietate accedentes velut porcos esse, et ad peccatum revertentes, tanquam canes, quippe qui ad proprium reverti solent vomitum.

XVIII. Plene igitur et perfecte omnem abs te repelle malitiam. Moyses propheta, quando peccabat populus, imperabat iis, ut serpentem crucifigerent, hoc est, peccatum destruerent, et non fecit illum inanem et vacuum, sed fusilem statuam ære solidam. Quid ita? ut ostendat tibi quod perfecte ac prorsus malitiam aversari debeas. Totumque eum æneum effecit, quoniam radix omnium malorum est avaritia. Fusilem igitur eum ex fornace sumpsit, ut flammam tuam in mentis corruptionem effusam reprimeret. Tria autem ista crucifixit : quod per ea mors animæ occasionem habeat. Serpens erat, quod cernebatur : quia et in serpentibus correpti fuerant. Et quare in serpentibus? quoniam primorum parentum sensum, consiliumque resumpserant. Illi in esca duplicis fructus prævaricati : isti in cibis murmurarunt. Illudque in absentia de aliquo mala loqui, murmur obtrectationis est. Propterea et Psalmus dixit : « Et locuti sunt contra Deum in solitudine [2]. »

[1] Matth. vii, 6. — [2] Psal. lxxvii, 19.

Quare etiam in paradiso, quod factum est per serpentem, murmuratio fuit. Dixit et Malachias propheta Israëli, quod obtrectasset Christo. At isti dixerunt : In quonam detraximus ei? annon propter similem actionem, ob quam causam substrati sunt serpentibus? ut discant draconem, qui Adamo mortem conciliarat, etiam ipsis mortem intulisse : propterea enim in ligno serpentem suspendit, ut et arborem per similitudinem demonstraret, et qui in eum aciem oculorum intenderent, salvarentur, non per serpentem, sed propter pœnitentiam. Cernebant quippe ipsum, et peccatum in memoriam reducebant; ad conversionem vero stimulabantur, et rursus salvabantur. Etenim pœnitentia, etiam eremum domum Dei efficiebat : nam populus qui peccaverat, per pœnitentiam congregatio Ecclesiæ fiebat. Quin et inviti crucem adorabant Judæi. Nam et Deus ipse duritiam cordis eorum prædixit. O impietatem Judæorum! quoniam serpentem adorant, et Christum aversantur. O insaniam ipsorum! quoniam propter serpentem, crucem colunt, et crucifixum Christum non adorant. O insanam eorum conditionem! quoniam malitiam quidem venerantur, pietatem vero impugnant. Hæc autem Deus in serpente ante demonstravit, Judæorum impietatem damnans. Hæc prædixit quod serpentem potius, quam Christum essent adoraturi. Ostendit quod idola colant : non enim Deo obediunt. Prædixit futurum, et finem significavit : mortuum serpentem justis in Christo futurum; at Judæis vivum et operantem creditum iri. Æneus draco : quid ita? Quia noverat Deus Israëlem vitium ac scelus idola colendo esse adoraturum. Atque ideo Deus serpentem crucifixit, ut ostenderet malitiam mortuam esse obedientibus Deo. Mortificavit peccatum, et Judæi suis operibus ex mortuis ipsum suscitarunt. Ecce impiorum potentiam, quoniam et ipsi ex mortuis excitant. Verum ma-

ledicta atque execranda talis est a mortuis resuscitatio : nam paulo post, instar monstri alicujus recedet. Et quoniam vanitatis signiferi sunt Judæi ; ideo et ipsi evanescent cum operibus suis. Dixit ergo Deus Judæis : « Adorate cru» cem, quoniam in ea salvabimini : » at ipsi, illa relicta, seipsos diabolo subjecerunt. Deus draconem ligavit : et Judæi ipsum solvunt. Christus peccatum in propria cruce crucifixit ; et Israël non credidit. Ascendit in crucem, non tanquam condemnatus, sed ut draconem crucifigeret : et Israël ipsum crucifixum non recepit.

XIX. Vultis vobis ostendam quod duæ erant Christi tempore cruces? A latronibus discite. Vultis videre quod draconem dimiserint Judæi, ut Christum non susciperent? Permittentes enim innocentem crucifigi Christum, Barabbam instanter petierunt donari ipsis. Quem Deus condemnavit, dimiserunt, et Christum insontem condemnarunt. Cernis quomodo draconem Deus mortificavit, Judæi vero ipsum suscitarunt? Ait Christus : « Dedi vobis potestatem » calcandi super serpentes [1] : » ut demonstret se in cruce sua crucifixisse malitiam, sicut et Pater ejus in eremo fecerat. Duplex vero inest cruci mysterium, universum vero utilissimum, remissionem peccatorum continens, malitiæ interemptionem, Dei cum hominibus reconciliationem, mortis destructionem, et salutem in acquisitionem regni, mortemque draconis indicans. Propterea dicit Christus : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari » oportet Filium hominis a Judæis [2]. » Exaltationem appellat crucem, significans suam postea in cœlum ascensionem. Attende porro non dixisse Deum occidi serpentem debere ab obtemperantibus ligno. Omnia enim vanitas e corruptione in corruptionem tradit : vanitatis autem soror, perditio est, atque interitus. Nam inimici, sua sunt germina

[1] Luc. x, 19. — [2] Joan. III, 14.

ac fœtus, ex quibus et satorem cognoscamus, cujus sit naturæ; cognoscentesque fugiamus improbitatis ejus conditionem. Volo autem et hunc adjicere sermonem. Fusilem Deus, et ex solido conflatum crucifixit serpentem, ut ostenderet se non amplius sustinere, nisi tota ejus extermineturcefficacia. Rubigo æs genuit, naturam ejus in interitum convertens : æs rursus rubiginem effecit, ex sua nimirum ipsius commutatione , ut id intelligamus, quod scriptum est: «Quoniam mendax est ipse, et pater mendacii.» Totum itaque destruet Deus et mortificabit : hoc enim ipsum in Moyse sub involucro expressit.

XX. Attende igitur ne te draco conversione Ægypti decipiat : ut non, sicut Judæi, in solitudine moriaris. Nam ecce et sine opere peccatum committitur : quare malitiæ iniquitatem, atque versutiam depelle. Non habebat Ægyptum Israël in solitudine : verum per recordationem, menti eam exhibuit. Regionem animo finxit, et ad illam concupiscendam mentem excitavit. Lebetes ollasque reduxit in memoriam, et voluntatem inflammavit. Cogitationi carnes objecit, et ventris concupiscentiam renovavit. Alliorum, et cucumerum amorem accendit, ut animum impelleret ad panem, quem Deus dederat, condemnandum. Intellige quod dico, et clare ausculta : quoniam si locum habeas vacuum, habet quo irrepat impietas. Ita etiam cum Eva fecit, per concupiscentiam id agens, ipsamque ad inobedientiam erga Deum traduxit, et prævaricationem mandati. Quod si ergo de gulæ vitio pœnitentiam feceris, de toto eo plene te pœniteat : nam per minima rursus irrepit, et per contemptibilia decipit mentem. Scio malum non esse, Dei creaturis frui; malum autem committitur, dum non cum discretione comedit. Multi grave esse dicunt Evangelium, quod in sola quoque cogitatione peccatum constituit. Sed ecce etiam lex hæc facit : concupivit quippe Israël

Ægyptum, et tanquam ibi esset, condemnatus est. Concupivit carnes ægyptias, et quasi eas comedisset, repulsus est. Recte igitur dixit Evangelium : « Si quis viderit mulie- » rem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in » corde suo [1]. » Israëlem metus cohibuit Pharaonis, ne remearet in Ægyptum; et re infecta, adulterum murus impedivit ne alienam conjugem corrumperet. Illos viæ tædium remorabatur, ne irruerent in Ægyptum : et hunc septus locus atque munitus retinuit, ne scelus perpetraret. Bene ergo concupiscentiam operis damnavit Deus, quoniam corda intuetur, novitque, si potestas affuisset, eum sane peccatum admissurum fuisse.

XXI. Rursus quidam dicunt : « Quo pacto omnia regna terræ, Christo in ictu oculi diabolus ostendit ? » Ab Israële addiscant : quoniam totam ei Ægyptum inimicus tanquam præsentem exhibuit. Illi per concupiscentiam aspiciebant : at Christus per suggestionem illa videbat. Cernebat ille quod agebat, putans se decipere Dominum : et licet longe sit diversum, non tamen magnum et incredibile quod dicitur. Propterea et omnem suum impetum, atque conatum inimicus evacuavit; cunctaque terræ regna ideo ipsi exhibuit : studebat quippe falsis eum perstringere phantasmatis atque imaginationibus; verum nihilo secius irrisus est. Studebat eum supplantare atque decipere, sed everti ac deturbari ipsemet properabat.

XXII. Ad te porro sermonem dirigo, qui pœnitentiam agis, ne locum vacuum retineas. Te alloquor, ut propter petram, firmus sis ac solidus. Propterea enim et Petrum vocat Apostolum, qui prius Simon appellabatur, ut fidei suæ nobis firmitatem proponat atque describat. Ait enim Propheta confirmatum esse cor pii ac justi, ne commoveatur [2]. Debes ergo et tu firmiter pœnitentiam agere, ut

[1] Matth. v, 28. — [2] Psal. cxi, 8.

Petrus, quoniam firmiter peccasti. Dic mihi : quando fornicationem committebas, nonne anima simul cum corpore ad actionem concurrebat? et quomodo nunc corpore duntaxat vis resipiscere, et caste te gerere? Quando furabaris, mens tua cum carne annitebatur : et quo pacto nunc vis solo habitu constantiam probare? Leges non judicant, nisi opus coarguatur, et convincatur, neque puniunt eos, qui habitu solo sint, et figura homicidæ. Sic et Deus non amplectitur pœnitentiam, nisi ea opus firmum solidumque demonstret. Multi regum gressus atque incessus imitantur; alii tyrannorum actiones : et non tamen ob id tanquam tyranni censentur, ac judicantur, aut illi velut reges adorantur : et pœnitentes nisi firmiter atque constanter pœnitentiam egerint, tanquam simulatores æstimabuntur. Esto vas firmum, et ad omne opus bonum perfectum, atque aptatum, ut inter sanctos thesauros recondaris. Esto petra, ut in fundamento utilis existas. Esto lapis pretiosus, ut non inter supposititios, et falsos judiceris. Non solum unum perpetrant peccatum, qui ficte, ac simulate resipiscunt, sed multa : nam et aliis auctores sunt, ut pro forma duntaxat pœnitentiam faciant; atque hi sunt illusores, multoque deteriores iis, qui in homines peccant, quod ipsum quoque Deum irridere nitantur : non solum enim non remittitur talibus peccatum, sed etiam adjicitur. Simulator enim talis factus est pietatis, et non cultor. Pietatem deridet, et impietatem adjicit. Bonos mores effingit atque prætexit, et potius spectaculum risus excitat. Judæi damnant, et gentiles pro infamia notant, videntes Ecclesiam a virtute ac probitate alienam, et Deum in hujusmodi hominibus irrideri. Strenue igitur resipisce, qui peccasti, ut remissionem quoque consequaris.

XXIII. Vere dixit Paulus, quod qui « Superædificat super » fundamentum ligna, fœnum, stipulam, detrimentum patie-

» tur[1] : » et non solum de prædicatione hæc ait Paulus, sed etiam de actionibus : neque solum de doctrina, verum etiam de pœnitentia. Fœnum vacuum est et inane. Si quis igitur non firmiter pœnitentiam egerit, stipula est. Ligna sunt, quæ in aquis fluitant, et in superficie manent. Si quis ergo non firmiter ad pœnitentiam accesserit, lignum existit : et non solum abjicitur talis, sed etiam in igne, inquit, comburetur. Quid ita ? quia et multos impedivit, et Deum illudere cogitavit. Seipsum autem et ex ære aurum facit, qui vere pœnitentiam agit, rursusque ex ligno petram. Et quando legitime resipuerit, seipsum ex mortuis excitat, et e tenebris lux efficitur. Ergo etiam creare novit vir pius. Pœnitentia enim causa divinæ virtutis redditur : ipsum e mortuis suscitat, atque apostolicam dignitatem ei largitur. Novit quippe pœnitentia etiam Apostolos constituere : hæc Petrum propriæ dignitati restituit, sua negatione collapsum. Hæc Apostolos apostolico exornavit gradu, aliquando scandalizatos, et retrorsum conversos. Hæc Paulum apostolum creavit : quoniam ipsum e persecutore, ut Christi servus fieret, compunxit. O artificiosam pœnitentiæ gratiam ! quoniam obedientibus mox dignitates præbet. Non solum autem Apostolos facit, sed etiam reges constituit. Davide enim pœnitentiam agente, etiam ut regnum penes eum permaneret, effecit. Quin et prophetiæ est conciliatrix : nam cum omnis Israël ad Deum jam converteretur, victoriam sibi adversus hostes comparavit. Prophetavit olim Gedeon, et Madian vicit.

XXIV. Transit ulterius pœnitentiæ gratia, etiam inter gentes beneficia conferens : non solum enim nunc, sed et in lege apud omnem carnem viguit, suoque functa est munere. Excitavit urbes pœnitentia, et gentes concidentes erexit : unicoque impetu Niniven civitatem permagnam

[1] 1 Cor. III, 12.

restauravit. Per ipsam dominici illius dicti benignitatem addisco : « Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo ip» sum [1]. » Quas enim urbes solvebant per peccatum dæmones, has per pœnitentiam reparavit Christus. « Solvite, » inquit, templum istud, et in tribus diebus suscitabo il» lud. » Et pœnitentia dicit Ninivitis : « Adhuc tres dies, et » Ninive subvertetur [2]. » Oppone sermonem sermoni, ac verbum verbo : et in Christo comperies explicata pœnitentiæ verba. Ille suscitare promittebat, et hæc destructionem comminabatur, nisi pœnitentiam egisset. Non minis terruisset pœnitentia, nisi futurum fuisset, ut Ninive sanaretur. Non excitasset Christus civitatem peccantium, nisi eos pœnituisset. Christus resuscitat, ad pœnitentiam invitans; et a propria resurrectione ostendit pœnitentiam cuivis homini causam ad resurrectionem existere pietatis. Tres dies lex, et Evangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicant. Quid ita ? Quoniam gratia Trinitatis ex nimia sua benignitate remissionem præbet. Tres dies ex præscripto conceduntur pœnitentibus, quoniam per consubstantialem Trinitatem humanitas mortis reatum exuit atque abjecit. Tres habet dies pœnitentia ad consequendam veniam, quoniam novit Trinitatem peccati vinculum solventem. Per tres dies mors soluta est : per tres remissio datur, quoniam et per tres resurrectio facta est. Poterant in momento, et ictu oculi omnia fieri : sed ob mysterium Trinitatis, intra triduum gratia hostem ligavit; non quod impotens esset protinus agere quæ oportebat, sed ut mysterium ostenderetur Divinitatis. Neque detraxit, neque addidit tribus diebus : vera enim religio, rectaque sententia est Trinitatem neque minui, neque augeri : neque enim solum Unitas, neque solum Trinitas est Divinitas, sed utrumque simul. Propterea et in tribus diebus mors destructa est,

[1] Joan. II, 19. — [2] Id. III, 4.

et draco deturbatus, et deletum peccatum. Intra triduum, cœlum et terra, et mare constructa sunt, ut etiam in eo Trinitatis demonstraretur mysterium, et triduanæ resurrectionis, et propitiationis humanæ fructus, ac commodum. Tribus diebus Jonas prædicavit, et per nullam noctem : quoniam in Trinitate non est mutationis obumbratio. Tres dies Salvator dixit et tres noctes : ut ostenderet etiam peccatores, qui tenebris obducti erant, resurrecturos.

XXV. O pœnitentiæ gratiam! quoniam mundum tribus diebus instruxit. O magnam in ea potentiam! quoniam Deum placavit, et quidem jam sententiam ferentem. Accessit ad ipsum bona fide : admonuit, ut suam aspiceret bonitatem, et effecit, ut sententiam mutaret in remissionem. O magnum pœnitentiæ gaudium! quoniam Deo persuadet, ut punitionem remittat, et quidem cum peccatum jam genus humanum depasceretur. Obviam enim ivit pœnitentia Angelis iræ, et valuit superare eos, ne perniciem atque exitium inferrent. Tenuit enses, tenuit falces, ne humanum genus demetant : quod quidem ultores ac vindices cernentes Angeli, exhorruerunt. Illa vero ad ipsos : « Ego, inquit, recepi iniquos : ego fidejussi pro humano genere : satisdatrix pro ipsis apud Dominum existo. » Cur modo venitis mea invertere pacta? Habeo præscriptum, ac definitum ex lege diem : conventio mihi cum Deo facta est, quando sint a me sistendi Deo qui nondum conversi sunt. Cur venitis, ut vos contra jus mihi opponamini? contendam vobiscum in judicio, multos habeo testes, qui Domino meo persuadeant. Sunt mihi evidentes demonstrationes atque probationes, quibus diem statutum nanciscar, quo humanam sistam naturam. Nuntios igitur ad Deum adducit, et concionari de humana natura incipit, juraque sua defendens, dicit : « Nosti, Domine, eum, quem formasti, hominem ex luto factum esse, et naturam habere debilem

ac vires fragiles : » nam nisi de nocte dormierit, non amplius vivere poterit : nisi ne die comederit, non supererit. Hyeme riget frigore : æstate calore exæstuat : vespere non videt ; nocte incedere non audet. Si ambulat, languescit : si quiescit, vertigine vexatur. Si sedet, angitur : si loquitur, laborat. Si recumbit, affligitur : si diutius steterit, debilitatur. Et cupis, Domine, ut tanta infirmitas peccatum facile vincat ? Multis cogitationibus involutus est homo, et instabilibus animæ consiliis, actionibus dubiis, operibus variis, rebusque sub aspectum cadentibus impeditus : in occultis non præmeditatus, in insidiis imperitus : ad repellenda ea, quæ mentem conturbant, anceps atque perplexus : adversus eos, qui animæ insidias struunt, impotens : erga corporis curam sollicitus : in uxore ac filiis nutriendis anxius. Et vis, Domine, naturam ejusmodi ita facile superare peccatum ? Quid poterit rursum infirma hæc natura adversus diabolum, Domine ? Quid carnis contentio, Domine, contra talem valebit draconem ? Tu dixisti, quod abyssum velut vas unguentarium reputet : et quid est homo adversus ipsius impetum [1] ? Tu dixisti, quod mare possideat, tanquam deambulatorium : et quid ad eum est anima, minimo admixta corpori ? magnæ draconis sunt vires : impostura ipsius profunda : peccatum per voluptatem latum : passiones corpori per cibum admoventur : peccatum carni per concupiscentiam negotium facessit : malitia animam per vanam gloriam oppugnat : mentem ad sese nequitia pertrahit : et quid miser atque infelix potest adversus tantas hostium turbas ? Quid valet terra, ac cinis adversus tantam aciem ? Quid est homo solus, adversus tanta malorum castra ? Miserere, Domine, parce plasmati tuo, miserere luti, quod gloria et honore cumulare voluisti. Remitte minas : acre supplicium reprime : mortis

[1] Job. XLI, 22, 23.

sententiam, propter me pœnitentiam differ. Terminum miserationum tuarum dilata : misericordiæ tuæ mensuram exalta : pietatis tuæ viscera aperi : mirifica misericordias tuas : et gratiam tuam in longa tempora extende. Ego sum, quæ intercedo, et fidejubeo. Ego humanum genus in me recipio, illudque ad te, cujus suscepisti naturam, adducere conor.

XXVI. Cernens igitur Deus pœnitentiam, concessit rogationi, annuitque postulatis ejus. Constituit omni tempore cum genere humano conversari. Censet pœnitentiam fragili naturæ præfici debere, et potestatem ei attribuit infirmitatis humanæ. Terminum statuit judicii, præcipitque pœnitentiæ, ne terminos transiliat in die judicii, neque amplius tueatur : sed accuset potius, quod tantam tolerantiam homo contempserit, ne postulet amplius prorogari præstitutum tempus ; verum indignetur ad vindictam ; neque parcat suprà modum iis, qui peccaverint : at contra potius eorum coarguat institutum ac voluntatem, aversetur ignaviam, accuset negligentiam : repudiet amentes, eorumque dementiam omnino convincat : criminetur mentis affectibus deditum institutum, atque animæ erga virtutem desidiam execretur.

XXVII. Recipit quoque illa se imperata facturam, et Angelorum impetum in remissionem convertit. Deus remisit minas, et Ninivitæ tandem salvati sunt. Intercessorias partes egit pœnitentia, et civitas quietem atque tranquillitatem recuperavit.

XXVIII. In Ninive civitate totus terrarum intelligitur orbis, et in Ninivitis omnis humana natura. Cui etiam con sonat intellectui propheta Isaïas, dum super Babylone vaticinans, sic adducit : « Verbum, inquit, quod locutus est Dominus super universum orbem terrarum [1]. » Soli Adam

[1] Isaï. XIII.

dixit : « Terra es, et in terram redibis[1] : » et ecce cuncti morimur. Sic et remissio super Niniven facta, in omnes transiit. Christus resurrexit, et humanum genus lætum resurrectionis nuntium accepit : Dei sententia definita ab uno in omne genus respicit. Duo Adami efficiuntur : unus, pater noster in mortem, quia mortalis factus est cum peccavit : secundus, pater noster in resurrectionem, quoniam immortalis cum esset, per mortem devicit mortem atque peccatum. Primus Adam, hic pater : posterior illic, et primi quoque Adæ pater. Non ego hoc solus dico ; sed et Isaïas magnus inter Prophetas, de Christo ait : « Quia puer natus » est nobis : » et reliqua, « Deus fortis, pater futuri sæculi[2] : » quemadmodum et Evangelium dicit. Sed qui in carne propter præsentem statum filius est patris, hic pater efficitur ob statum futurum. Quid ita ? quoniam mors regenerat, et humanam naturam in vitam æternam parit. O maximum mysterium ! o dispensationem ineffabilem ! Filius Adæ, pater ipsius efficitur : nam regeneratio expellit naturam, ejus loco gratiam Divinitatis inducens. Coërcet ac reprimit gratia naturam, quando mortem delet immortalitas : resurrectio generationem, quando corruptionem e medio sustulit incorruptio[3], sicut et dixit Paulus. Novum quoque ac inauditum visum hoc Nicodemo mysterium, quando a Christo sibi enarrari audivit : quod « Nisi quis renatus fuerit desu» per, non videbit regnum cœlorum : » Et ait : « Quomodo » potest homo renasci, cum sit senex[4] ? » Ista resurrectio imago est resurrectionis : utramque autem Christus constituit. Ait Paulus : « In Christo Jesu ego vos genui[5]. » Etenim « Quicumque in Christo, inquit, baptizati sumus, con» sepulti cum ipso sumus per baptismum, ut in ipso ex » mortuis resurgamus[6]. » Cernis quod principium resur-

[1] Gen. III, 19. — [2] Isaï. IX, 4. — [3] I Cor. XV. — [4] Joan. III, 3, 4. — [5] I Cor. IV, 15. — [6] Rom. VI, 4.

rectionis ab inferis sit baptisma? Vides quod Dominus pater sit resurrectionis? Filius genitus, et puer natus nobis, tantam habet virtutem, ut cunctos homines ipse in resurrectione regeneret. Quid ais, Isaïa? vera-ne loquimur, hæc dicentes? aut ex similibus ista referimus?» Vera, inquit, refertis; nam et ego audivi, quod ipse sit filius, Deus fortis, magni consilii Angelus, pater futuri sæculi, cujus proinde mysterium, incorruptibilitas est. Uno itaque termino, universum genus comprehensum est, ut credas pœnitentiam etiam ex urbe Ninive pro quacumque civitate et quibuscumque incolis deprecari quæ ad salutem spectant, et mediatricem se interponere in iis, quæ ad rectam constitutionem pertinent.

XXIX. Magna revera hominibus efficitur pœnitentia, quia tanquam videntes Deum, per ipsam reconciliamur. Magna super terram est pœnitentia : quoniam scala animabus fit, eo ascendendi, unde per peccatum deturbatæ sunt. Naturam recuperat, propriamque dignitatem reddit. Pœnitentiam igitur etiam nos agamus, fratres, sicut Ninivitæ : ut nos quoque salutem consequamur. Vere, ac minime fucate illi pœnitentiam egerunt, et vere salvati sunt. Ut peccarunt, etiam pœnitentiam fecerunt, et in gratiam admissi sunt. Non ex medietate conversi sunt : quoniam reges, et homines privati æqualiter lacrymas fuderunt. Non ex parte resipuerunt, quoniam domini et servi simul luxerunt. Non modico tempore pœnitentiam egerunt, quoniam per totos tres dies, viri cum mulieribus, pueri et senes confiteri non cessabant. Crediderunt sententiæ, et tanquam morientes, ad invicem acerbas emittebant voces. Ego per Niniven, unumquemlibet intelligo hominem, et per multitudinem, partes animæ, et mentis motiones cogito. Quemadmodum autem publice illi pœnitentiam aggressi sunt; ita et nos to-

[1] Isaï. IX, 6.

tis viribus, omnique constitutione nostra pœnitentiam agere debemus. In lege non idola solum demoliri præcepit Deus, et aras, atque delubra : verumetiam cineres incensorum lapidum atque lignorum extra castra ejici jussit [1]. Considera tu quoque, qui pœnitentiam agis, quod omne malitiæ vestigium debeas removere. Nam cinis malitiæ, si in te permanserit, feræ sordidæ et reptilia vilia allicientur; si vero eam abjeceris, non jam te conturbabunt malitiæ caries, et culices. Si eam expuleris, non jam in te diaboli stabilientur vermes. Expurga mentem tuam a peccati morticiniis : et ipsa odoris malitia a te exterminabitur. Morticinia peccati sunt passionum recordationes : quæ si in te firmatæ fuerint, cogitationem tuam obscurabunt.

XXX. Adversus peccatum fit reprehensio; quoniam crebro talia mentem circumvertunt, et in errorem impellunt : faciuntque vicissim mentem in tenebris vertigine laborare : quoniam animæ oculis insident, et tanquam copiosa malitiæ lippitudo, habentem atque laborantem inficiunt. Attende ne supernates aquis, velut aves piscivoræ : duplici enim cum sint natura, impuræ censentur. Si in anxietate permanseris, continget ut in tenebris oberres, sisque tanquam piscis, dæmonum præda. Ait enim Job draconem dominari omnibus, quæ in aquis sunt [2]. Et Moyses animalia, quæ in aquis versantur, in tenebris esse affirmavit [3], quoniam non apparet iis lux diei et sol. Dixit ea sub terra esse, quia regionem minime illustratam habitant. Merito ergo Deus dicit, quod draco cunctis, quæ in aquis sunt, dominatur, declarans homines in tenebris constitutos sub illius esse potestate. « Deus autem (inquit Apos-» tolus Paulus) nos transtulit de potestate tenebrarum in » regnum Filii sui, in lumine [4]. » Sic ergo, ut in die, honeste ambulemus, et pœnitentiam agamus eorum, in quibus pec-

[1] Deut. XII, 3. — [2] Job. XLI. — [3] Gen. I. — [4] Coloss. I, 13.

cavimus, ut non amplius simus miseri, in ea incidentes. Constringamus nos ipsos pœnitentes, ut veniæ gratiam, tanquam veram tincturam, non respuamus. Constrictio autem est accurata contrariorum rejectio. Sic enim innatus nobis flos, mentibusque nostris inustus, non amplius recedet.

XXXI. Lacrymis diligenter te ipsum ablue, sicut tinctores lanam. Te ipsum humilitati, et angori atque mœrori trade : sic enim Deo te ipsum astringens, paratus accedes ad susceptionem gratiæ. Idcirco aliqui ex pœnitentibus revertuntur ad peccatum : quoniam serpentem in seipsis delitescentem ignorant : aut, etiamsi agnoscant, non tamen illum penitus expellunt. Nam formæ ejus vestigium ibi permiserunt ; et paulatim is velut in utero conformatus, rursus imaginem nequitiæ suæ excitat. Cum videris aliquem pœnitentem, intellige quod talis nondum suam mentem atque ingenium mutarit, remanentibus in eo cunctis malitiæ serpentibus. Indicium porro firmiter ac serio pœnitentis est strictus austerusque vitæ status, et superbiæ atque elationis depressio : quas res ostendunt oculi, ac mens obumbrata, quæ assidue ad amatum Jesum Christum tendat, inque ejus amore, ejusdem Christi gratia, semper proficiat, seseque colligat. Tu ergo, tanquam a lana purpuram, aut tincturam, se cæruleum colorem, sive hyacinthinum, virtutum contrarietates obfirma : nam qui ægrius fert pœnitentiam, eum stultitia comitatur. Si jejunes, et tamen stulte rideas, celeriter supplantaris. Si in precibus lacrymas fundas, in convictu tamen et consuetudine velis urbanus ac facetus videri, cito deturbaris. Si continentiam profitens, indifferenter velis et sine delectu agere, ac vivere, non procul a ruina abes. Toto corde debet resipiscens pœnitentiam agere, semperque eumdem sese exhibere, ut incœperat : nam si defecerit, indicium imperfec-

tæ conversionis præbet. Si mutetur, aperte convincitur, inconstantiæ se esse subjectum, seque ita resipiscere, ut puer dum discit, et sicut qui stimulis pungitur, coactus lacrymatur, non sponte. Mundanæ leges metu convertunt, et non voluntate; sic plane et tu resipiscis; tanquam diceres : « Si tempus dederit, iterum malitiam complectar. » Nolo te penitus lacrymari, qui pœnitentiam agis, et modico temporis intervallo perperam ac nequiter agere. Nolo te semper in Ecclesia esse, et sicut in foro turbulentum atque impotentem animi. Ne existimes horas esse Dei, quibus te oporteat bene agere ; et horas diaboli, quibus te deceat luxu diffluere, et turpiter lascivire. Ne putes tempus pietati, et tempus iniquitati statutum esse. Talia enim faciunt, qui in scœnis versantur : quoniam in conversationibus, atque colloquiis sunt modesti et compositi, et in theatris ridiculi et inhonetsi : in progressu atque incessu graves videntur ac fidei pleni; in spectaculis vero nequissimi. Cæterum tu talis in foro esto, qualis et in Ecclesiis : talis in rebus, talis in cogitationibus, talis in operibus, talis in verbis; qualis et in confessione accuratus atque perfectus.

XXXII. Dixit et quidam ex Prophetis : « In Ecclesia Do» mini ne lacrymis detrectetis, pœnitentiam vituperetis, et » confessionem[1], » quæ humili ex corde fit ad Dominum : hoc enim obtrectationem Domini dicit; flebilem nimirum precationem, malo proposito formatam, instabilem, et inconstantem. Et rursus : « Nolite scindere vestimenta vestra, sed » corda vestra[2]. » Non enim vult nos inanem gloriam captare, sed revera pœnitentiam agere : cum et David dicat : « Lacrymis meis stratum meum rigabo[3]. » Non ergo in Ecclesia lacrymas fundam, speciem hominibus exhibens, et eam gloriam inde captans, quæ in eo versatur, ut justus

[1] Mich. I, 10. — [2] Joël. II, 13. — [3] Psal. VI, 7.

existimer; verum in strato meo « Lavabo per singulas noc- » tes lectum meum[1] : » ut cum Christo conveniam, qui ait : « Occluso cubiculo tuo ora : et reddet tibi Pater, propter » quem facis in occulto, Deusque placatur in manifesto[2]. » Idemque rursus ait : « Laboravi in gemitu meo[3]. » Cur ita? ut nullus plane audiat : nam gemitum prodeuntem retinere, laborem facessit. « Quæ dicitis, inquit, in cordibus » vestris, in cubilibus vestris compungimini[4]. » Non igitur inter homines annuntiate : nam multi sunt, qui confessionem mercantur, eam sæpe præstantioribus viris ostentantes, simulque latere simulantes. Alii gloriam, mediante pœnitentia, sibi comparant : alii in superbiam vertunt resipiscentiam, et pro venia aliud contra seipsos debitum conscribunt. Nondum priori liberatus es debito, et aliud superinducis? Accessisti soluturus debitum, et aliud debitum contrahis? studes liberari debito, et duplicem tibi ipse servitutem comparas? Atque hoc illud est : « Oratio ejus fiat » in peccatum[5]. » Quomodo enim talis non revertetur ad peccatum? quomodo non rursus perturbationes complectetur atque fovebit? quomodo eum serpens imperturbatum relinquet? quomodo reptilia ipsum non conturbabunt? Hei mihi, quoniam quod ait Christus, in tali complebitur atque confirmabitur : « Quoniam septem alios spiritus nequiores » assumit, qui in eum ingressi habitent ibi[6]. » Subsannabat Caïn Deum, se scilicet excusans; ideo et pœnas luit, septemque suppliciis plectitur.

XXXIII. Hoc quippe dominicus sermo explicat. Non indiget pœnitentia sermonis jactantia, nec pompa; sed confessione opus habet. Tu vero quod satis sit, in utroque persequere : neque nimis prolixus sis, neque contra nimis brevis. Utrumque enim aggredientem efficientemque damnat.

[1] Psal. VI, 1. — [2] Matth. VI, 6. — [3] Psal. VI, 7. — [4] Id. IV, 5. — [5] Id. CVIII, 7. — [6] Luc. XI, 26. — [7] Gen. IV, 15.

Ne sis in Ecclesia dejectus ac tristis : neque vicissim in foro vultu severo ac tetrico incedas : sed moderatam rationem serva. Ne sis domi morosus atque difficilis, et in plateis demissus atque abjectus. Non tanquam calamitosus pertristem te exhibeas, neque quasi nimis lætus coarguaris : « Verum omnia honeste, et secundum ordinem fiant[1], » ut ait Apostolus[1]. Non injuriam Danieli intulit Babylon : neque tibi civitatis vivendi ratio obesse poterit, si vere pium ac religiosum te gesseris. Non combussit tres pueros caminus ignis : neque ille nocebit tibi, si causa præcepti, aut ministerii ad communem utilitatem pertinentis, in civitate et in pago ac castello versaturus es ; si cum temperantia ac fide te ipsum componas. Non lapsus est Tobias cum Ninivitis, neque ex juvenum consuetudine factus est ulla ex parte remissior. Non contaminavit inculpatam atque irreprehensibilem vitam Lot iniquitas Sodomitarum, neque firmam ipsius immutavit fidem effrenata illorum lascivia, atque incontinentia. Et tu, si frugi fueris ac sedulus, non tibi obfuerit ad forum accessisse propter Deum. Ne quietem prætexueris ad inhumanitatem : neque exercitationem pro damno hospitalitatis adhibeas. Ne voluntariam paupertatem ad immisericordiam tibi vindices : neque ob præceptum, te infructuosum, atque inutilem præbeas.

XXXIV. Ait Salvator : « Nesciat tua sinistra, quod facit » dextera tua[2] : » ut inanem animæ gloriam exterminet. Idem Dominus dicit : « Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est[3] : » ut scilicet te participem regni sui efficiat. Mutuum da tu illi ante in hoc sæculo, et reddet tibi, et in isto centuplum, et in futuro vitam æternam. Præbe illi non tua, ut tibi det quæ sua sunt. Perfidum ac fraudulentum est præsens sæculum, charissimi ; quoniam habentem omnibus nudat, ad-

1 Cor. XIV, 40. — [2] Matth. VI, 3. — [3] Id. V, 16.

versis affligitur in ipso, et laborat in ipso : qui vero negligit, et aspernatur illud, non ficte procedit, omne rerum præsentium depositum abjiciens. Corruptibilia tenet sæculum istud, quandoquidem morte nititur. Novit quod insectatorem ac persecutorem non habet qui rerum omnium expers est, et alienos vanitatis labores distribuit. Cur ergo non te prudentem exhibes, o homo? et rerum hujus vitæ consensionem atque amicitiam non exterminas? Cur non solerter vanitati resistis, et cum pœnitentia consentis, ut facultatibus ipse imperes? Vanitas, rerum humanarum est hæres : quoniam ipsius est distractio et occupatio varia. Filiam genuit distractionem avaritia, et ambitio atque voluptas, benevolamque se præbet morti supra vires. Vince serpentis astutiam, et benevolentiam serva Domino. Sume ea, quæ vanitatis sunt, et tribue illa Deo, ut tu tuorum evadas hæres in futuro sæculo. Facultates tuas Deo appone, et vanitas hæreditatis depulsa erit. In te ipsum testamentum conde, quia mortalis cum sis, mori debebis : et, si fidelis fueris, tua omnia recipies. Pro hærede mortem curatorem facito, ut cum resurrectionis tempus advenerit, tanquam legitimæ ætatis factus ista recipias. Tanquam infans potestatem suorum non habens, in morte abscondas : ut in resurrectione, velut laborum tuorum auctor ac dominus appareas, reddatque tibi deposita tua Deus. Si per pœnitentiam misertus fueris pauperis, ne timeas : habebis enim gratum et benignum mediatorem. pœnitentiam, quæ tui memoriam apud Deum renovabit. Erit hæc tibi loco chirographi, per quod cum fœnore exigas quæ dedisti : et tanquam ratiocinator aptissimus assistet tibi, ut ad copias tuas parandas dijudicet ac rationes ineat, et quasi etiam fidejussor, curabit tibi par pari referri. Summæ totius usura, major comparatione tibi reddetur : quoniam æterna commoda atque oblectamenta præbebit tibi. Scio te sum-

mam ipsam aspernaturum. Nullus enim sic est fatuus ac stupidus, ut lucernam accendat ad cernandam lucem, orto jam sole. Nullus usque adeo demens est atque imprudens, ut cum fontem sibi propinquum habeat, longinquo ex lacu inutilem aquam hauriat. Nullus prudentum sic aget, ut areas frumenti continentes acervos quamplurimos relinquat, ac frumento relicto, zizaniis insideat.

XXXV. Ait etiam sacra Scriptura quod loca Sanctorum nec oculus aspexit, nec auris audivit, neque cor conjectura assequi potest [1]. Quis igitur usus amplius rerum temporalium in statu illo sempiterno? quis annorum numerus in æternitate temporis erit? quomodo porro erunt anni, quando nullæ erunt noctes, aut hebdomadarum numerus, cum menses non fuerint? Nam unum habet diem sæculum futurum. Ait quippe Propheta : « Non erit nox, neque dies, sed vesperi erit lux [2]. » Ideoque Isaïas dicit lucem solis esse septemplicem, et lucem lunæ sicut lucem solis [3]. Non enim erit tunc solis lunæque defectio ; neque vicissim erit luna in cornua flexa, aut semiplena, cum non sit opus circuitione mensium, ad mutationum constitutionem. Non amplius sol cursus suos alternabit, ortusque suos vicissim commutabit, quia neque hyeme neque æstate opus erit in resurrectione. Una enim dies erit, omne sæculum futurum : nihilque ibi in conversionem et immutationem movebitur. Dixitque Apostolus quod adhuc semel concutietur non solum terra, sed et cœlum [4] : hoc est, immutabuntur in consummatione, ut maneant non concussa atque commota. Quis ergo ibi usus erit seminis, et pluviarum, et augmenti æstatis, ac messis, et diminutionis autumni, et defectionis anni, ac novi principii? Hæc creaturæ libertas erit, quod ibi non amplius ipsa vanitati serviet : nam Sancti, cum æternis perfruuntur, servitute temporali non

[1] 1 Cor. II, 9.— [2] Zach. XIV, 7.— [3] Isaï. XXX, 26.— [4] Hebr. XII, 12.

indigent. Statuit Deus diem, quo judicaturus est orbem terrarum in justitia, non dies multos, sed unum. Nam hujus nox, tenebræ exteriores sunt. Sanctis una dies est æterna lucis fruitio, et peccatoribus una nox, æterna custodia, et carcer. Ideoque Christus dicit : « Ibunt hi in vitam » æternam, iniqui autem in supplicium æternum [1]. » Sol et luna cum astris in unum congregabuntur paradisi locum : fientque iterum tenebræ nox. Nam propter homines elementa lucis in firmamento constituta sunt, ut securitatem fruitionis haberent, dum versarentur in terris. Elementa tempus faciebant, et illuminabant, utiliaque fructibus conferebant, ut Dei providentiam designarent, quæ tres continet operationes, sanctissimæ Trinitatis Divinitatem declarantes. Ignis, lux, et polus, unam consubstantialis Trinitatis naturam ingenitam significant. Si igitur generatio, et corruptio cessent, non amplius tempora, nec brevissimi numeri, neque hebdomadarum circulus, qui iisdem variantur diebus, ac rotæ instar in eumdem volvitur locum.

XXXVI. Paradisus regio est quietis Sanctorum, quemadmodum et Dominus ait in Evangelio. Quomodo ergo Justi, relicto paradiso, in terra conviviis indulgebunt? Salvator primum dixit consummationem fieri, et sic deinde resurrectionem. Quoniam sicut folia, inquit, ficus, astra firmamenti decident [2]. Quo ergo pacto mille adhuc annis super terram erunt, carnalem vitam degentes? Ait quoque beatus Apostolus Petrus quod cuncta, quæ in terra et in cœlo sunt, igne consummabuntur [3]. Quo pacto igitur terrenæ fruitionis erit usus? Novos nobis cœlos promisit, et terram novam [4]. Utrum igitur nihil amplius Sancti resurgentes habebunt? Paulus ait : « Quod antiquatur et senescit, prope » interitum est [5]. » An ergo interibunt promissiones Justorum,

[1] Matth. xxv, 46. — [2] Id. xxiv, 29, et Luc. xxi, 25. — [3] 2 Petr. iii. — [4] Isaï. lxv, 17, lxvi, 22, et 2 Petr. iii, 13. — [5] Hebr. viii, 13.

si iterum temporalibus abutuntur? Non dixit Dominus duas sæculi consummationes, quasi post mille rursus annos alia futura sit consummatio. Non dixit in Apocalypsi sua Joannes usum divinorum fructuum temporaneum, ut ostendat fruitionem æternam. Et quomodo existimant quidam post annos mille rursus consummationem terrenæ constitutionis esse futuram? Non sic : verum ut Joanni concinit David; ita Joannes cum Moyse consentit. Dicit enim Joannes : « Arbores in foliis sanitatem portantes, et in » fructibus suis vitam æternam [1]. » Nonne igitur intellectualis est, et spiritalis paradisus, æternæ fruitionis locus? non enim consummabitur paradisus ille : nam in eo manent, quæ non commoventur : quoniam videlicet sic cœli novi in incorruptione assimilantur, et terra nova æternæ constitutioni atque beatitudini adaptatur. Dicitque Moyses significanter quod Deus ibi æternæ vitæ lignum plantavit [2]. Et David cum Joanne ait quod folium ejus non defluet [3]. Quare non annis duntaxat mille durabit Sanctorum fruitio, si cuncta per parabolam et ænigma locutus est in Apocalypsi Joannes, annosque mille parabolice et ænigmatice posuit.

XXXVII. At vero tu a me mille annorum explicationem requiris? Et ego abs te candelabrum, et calculum candidum, et potionem tepidam, et vomitum repetam : quæ quidem scribens septem Ecclesiis ænigmatice in medium attulit [4]. Si primam mille annorum resurrectionem a me exquiris, et ego abs te equum et pallentem Angelum [5], et intellectuale animal, quod absynthium dicitur, naturamque amaram habet instar absynthii, deposco. Da mihi septem phialas [6], et accipe annos mille. Ostende mulierem esse civitatem [7], et ego tibi de mille annis demonstrationem præ-

[1] Apoc. XXII, 2. — [2] Gen. II, 9. — [3] Psal. I, 3. — [4] Apoc. XX. — [5] Id. VI, 8. — [6] Id. V, 8, XV, 7, XVII, 1, XXI, 9. — [7] Ibid. 2.

bebo.' Declara mihi quod mulier ab ipsa exaltata fiat Hierusalem, et non amplius sit mulier; et ego tibi mille annorum mysterium declarabo. Num civitas generat? num quæ genuit, efficitur Hierusalem? Num bestia est homo iniquitatis? Numquid in bestia decem conglutinata sunt capita, ut regnent? Numquid ex septem octavus est, et non est octavus numerus? Septem enim sunt, quoniam tria capita interierunt. Anne bestiæ nomen inenarrabile est, et sicut Dei, innominabile? Absit. Annon noverat bestiæ nomen, qui numerum dicebat nominis? Primum cognovit syllabas, et sic in elementa divisit nomen. Primum appellavit nomen apud seipsum : et sic deinde ex elementis conjiciens numerum, dixit quod sexcenta sexaginta sex elementa complementum atque perfectionem habeant. Sic ergo et in mille annis incomprehensibilitas vitæ æternæ significata est. Nam si dies una apud Dominum sicut mille anni [1], quis poterit enumerare, quot sint dies mille annorum, et tantorum dierum millia millium, et decies millena millia? Propter infinitatem igitur annorum, millia millium annorum in diebus, et millia millium dierum in annis constituta, in resurrectionis Sanctorum requie.

XXXVIII. Scio quod dixerit iterum solvendum draconem : verum in ænigmate id dixit. Mulier aurea, inquit, erit civitas, murosque ex pretiosis habebit lapidibus. Intelligimus autem Ecclesiam mulierem eam esse, et civitatem similiter Ecclesiam. Intelligimus auream eam esse, propter excellentiam, atque præstantiam, et ex lapidibus pretiosis, propter incorruptibilitatem. Eodem quoque modo serpens demonstratur esse diabolus; et catena ejus, Dei increpatio; et vinculum, quod non amplius potestatem adversus humanum genus habeat. Dissolvitur igitur, quando in Antichristo veniet, ut ostendat Deus illum premere humanum genus,

[1] 2 Petr. III, 8.

vel ab ipso recedere, non dans ei potestatem adversus illud. Sed quod paulo ante dicitur, videtur tibi negotium facessere, quod non oporteret. Nam de duplici adventu locutus est, in quorum altero ligatur draco, in altero solvitur. Ligatur in priore adventu, dicente Christo : « Ecce dedi vobis potes» tatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super » omnem virtutem inimici[1]. » Rursusque solvitur ad breve tempus, dicente Paulo : « Eo quod non crediderunt veritati » impii, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant in» justitiæ, ut judicentur qui non crediderunt veritati [2]. » Ideo et Salvator dixit solutionem serpentis, quoniam usque adeo erit efficax, ut, si fieri, inquit, possit, etiam scandalizentur electi mei [3]. Sed numquid catena ligabitur spiritus aliquando? Numquid in abysso tradetur carceribus? Intellectuale animal palpari non potest. Verum ut ex carceribus atque tormentis, quæ apud nos sunt, discamus invisibilia; ideo nominibus apud nos usitatis, et instrumentis ad ulciscendum ac puniendum aptis, locisque custodiæ atque incarcerationi deputatis, enarrationis gratia est usus.

XXXIX. Primam porro resurrectionem, et secundam dixit, quoniam duo Sanctorum sunt ordines, duorum nimirum Testamentorum, ostendere volens eos, qui Novi sunt Testamenti, in priori resurrecturos dignitate, et in posteriori, qui Veteris sunt Testamenti, cum sit una resurrectio, et sub eodem tempore constituta. Quemadmodum et Paulus ait : « Canet enim tuba, et omnes mortui resur» gent incorrupti [4]. » Et quod duos ordines dixerit, priorem et posteriorem resurrectionem, affirmat Apostolus, dicens : « Primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi; postea fi» nis[5]. » Quod vero una rursus sit, et in uno tempore futura cunctorum resurrectio, iterum ait Paulus : « Quoniam ipse

[1] Luc. x, 19. — [2] 2 Thess. II, 10, 11. — [3] Matth. xxiv, 24, t Marc. xiii, 22. — [4] 1 Cor. xv, 52. — [5] Ibid. 23, 24.

» Christus in jussione, in voce Archangeli, e cœlo descen-» det, et in sono tubæ : canet enim tuba, et qui mortui » sunt, resurgent primum, deinde nos qui vivimus, in nu-» bibus rapiemur [1]. » Ecce etiam nunc ordine prioris ac posterioris explicatur resurrectio, non ut in Apocalypsi exponitur, sed commutat. Nam ibi primam resurrectionem Justorum ponit, deinde cunctorum hic; vero primam omnium, deinde Justorum. Quocirca nihil obest ordo prioris ac posterioris. Explicatio enim quæstionem dissolvit, cum sanctificationem Justos appellet ac seipsum. Dixit etiam Moyses : « Deus Abraham, et Isaac, et Jacob, Deus vivorum » est, et non mortuorum [2] : » ut in duabus rebus istis constet dici duas resurrectiones, non quidem tempore, sed ordine : quare ideo et Christum dixit judicem vivorum esse et mortuorum. Quin et Evangelium consule, et duarum resurrectionum unionem videbis atque divisionem : cum eodem tempore et practica sententia fieri dicatur ex eo, quod dicit : « Statuet oves a dextris, hædos autem a sinis-» tris [3]. Ecce igitur in eodem utrumque dixit : statuet non quidem nunc, sed postea. Sed quia primum Justis Christus dixit, quod ipsi « Ibunt in vitam æternam [4], » propterea et Joannes dixit Justos primum resurrecturos. Et mille annos posuit [5], pro incircumscripto et innumerabili, atque immenso tempore, ut ante dixi. Etenim Christus, ex quo ad peccatores dixit quod ipsi ibunt in supplicium æternum, numquid Justi, postquam cum Christo mille regnaverint annos, iterum ad judicium sunt venturi? absit. Quid enim? morientur-ne denuo, ut tertia propter eos resurrectio fiat? Et quomodo dicit Paulus, quod post resurrectionem a mortuis, « Omnes nos qui vivimus, qui residui su-» mus, non præveniemus eos qui dormierunt [6]? » Perspi-

[1] I Thess. IV, 15, 16. — [2] Exod. III, 6, et Matth. XXII, 32. — [3] Matth. XXV, 33. — [4] Ibid. 46.— [5] Apoc. XX. — [6] I Thess. IV, 14.

cuum est igitur fore ut, cum resurrexerimus omnes nos simul justi, hoc est, vivi et mortui, tunc non præveniemus (inquit) nos qui vivimus, mori, sed in nubibus obviam rapiemur. Vide igitur, quod Justi resurgentes, non amplius morientur, ut tertia resurrectio fiat, et Christo ad judicium sistantur.

XL. Quod vero Christi prima sit facta resurrectio, deinde Justorum in lege, postea cunctorum peccatorum, quodque omnia simul momento temporis, non temporum decursu transigentur a Christo in separatione illa, ipse Paulus etiam seipsum adjunxit, dicens: « Nos qui vi» vimus: » ostendens simul utriusque Testamenti resurrecturos Justos cum peccatoribus. Et non est separata Justorum Veteris Testamenti resurrectio ab illa, quæ peccatorum erit: nec alia illorum ab ea, quæ in Evangelio Justorum recensetur. Et non dixit: « Vos qui vivitis, » perinde ac si nonnulli essent qui tunc viverent, cum Christus de cœlo in terram descensurus resurrectionem faciat, sed seipsum adjunxit, dicens: « Nos qui vivimus. » At Paulus sub Nerone mortuus est, et in suburbiis Romanæ urbis sepultus. Quomodo ergo quispiam possit opinari tunc a Christo judicium factum iri, ac separationem illam ultimam, cum adhuc hominum frequentia in terris commorabitur? Quod vero rursum non quasi jam aliquibus justis resurgentibus, et mille annos super terram regnantibus dixerit: « Nos qui vi» vimus, » exinde perspicuum, quod Christus non esset cum ipsis in terris. Si enim cum ipsis non esset, ne simul quidem cum illo regnassent. Quod si non simul regnassent, quorsum resurrexissent? Quo pacto igitur Apocalypseos consummabitur sermo, cum dicat Joannes quod Christus regnans præerit Justis? quod sane etiam fiet. Si vero dixit quod tunc ex cœlo descendet, jussurus Angelo, ut clangore tubæ sonet resurrectionem, hoc quippe est illud, « Descen-

» det in voce Archangeli » præcursoris, atque præconis, « Et in jussione, ac sono tubæ [1], » constat non fuisse in terra ante mille annos, sed quando illuc accessit. Quomodo igitur antea quidam Justi surrexerant, ut annis mille regnarent, cum Christus cum iis in terra non esset ? Verum neque sic humiliter Christus in terram veniet in suo adventu, sed in gloria atque honore. Ipse enim dixit quod « Sicut » fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem : ita » erit et adventus Filii hominis [2]. » Vere igitur civitatem Hierusalem, eam, quæ de cœlo in paradisum descendet, dixit fore Apocalypsis. Hæc enim terra erit nova, quæ immortalitatis statum ac conditionem continet. Valde ergo errant qui dicunt localem fore secundum Christi adventum, cum palam ac manifeste ipse dicat Christus : « Ecce hic, aut il» lic, ne credideritis : ecce in deserto est, nolite exire [3]. » Hoc enim « Ex cœlo descendet, » non dicit eum præconis voce non præeunte venturum, sed « In voce Archangeli, » id est, Angeli proclamantis adventum ipsius futurum, et per Angelum publicantem, quod Christus secundum suum velit adventum peragere, ad separationem Justorum, et injustorum in terris. Quamobrem dicit jussu Christi Angelum e cœlo descensurum, et per mandatum ipsius, quod Angelo datum erit, Christi descensum futurum, ut divina impleatur Scriptura de secundo adventu ipsius. Nam si et super terram paradisus est, oporteatque in eo Justos cum Christo regnare : at certe ita quoque cum ipsis Christus erit, sicut sol lucens et a Patre non separatus, atque a cœlis novis sempiterne, efficaciterque resplendens, ut facilis sit Justis ad ipsum ascensus, et ipsius ad eos descensus, cum gloriæ nube simul extollantur. Quemadmodum et Paulus ait : « Quoniam in nubibus obviam rapiemur, et sic

[1] 1 Thess. IV, 15. — [2] Matth. XXIV, 27. — [3] Ibid. 23 et 26, et Marc. XIII, 21, et Luc. XXI, 8.

» semper cum Christo erimus [1] : » sive in terra nova paradisi, sive in cœlis, ubi cœlestis Hierusalem, quæ est regnum Christi.

XLI. Quin et aliud quiddam Paulus significare volens, dixit Christum in sola jussione facturum esse resurrectionem, ut cuncti homines ipsius adventum conspiciant. Propterea enim ait quod « Mortui resurgent primum [2]. » Quid ita? ut Christum videant. Rursus autem divisionem adduxit, quam Christus dixit in agnis et hædis. Unde tanquam inter Justos connumeratus et ipse Paulus, istud adjecit : « Nos qui vivimus, » sancti nimirum qui appellantur. Nam et Christus dixit : « Ibunt hi in vitam æternam : » quodque Justorum dignitas sit et amplitudo, audire se viventes. Si autem dixeris : « Ecce et iniqui æternis cruciatibus addicti, non sunt vocati viventes, et tamen vivunt : nam si in vita non essent, quo pacto cruciarentur? » quod vitam peccatorum mortuam esse judicaverit. Ait enim Christus : « Et ibunt hi in supplicium æternum [3]. » Bene ergo dixit Paulus quod « Vidua, quæ in deliciis est vivens, mortua » sit [3]. » Et Christus justorum judex est et injustorum. Quoniam non omnis vita est similis : vivunt enim et animalia rationis expertia, sed a mortuis nihil differunt. Ideo etiam qui jugulant ea, non condemnantur. Et peccatorum vita mors est, quoniam corruptioni, et morti allaborant viventes, ut supplicio moriantur æterno. Salvator dicit : « Ego » sum vita [4]. » Recte igitur Justi viventes appellantur : quoniam Deo perfrui in continua præsentis vitæ contemplatione, et nihil mali facere, aut pati, illud est vere vita.

XLII. Caput porro, ac summa eorum, quæ de resurrectione sunt dicta, est, quod una sit : quodque omnes in momento et ictu oculi citissime resurgemus. At quinam

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] Ibid. 15. — [3] Matth. XXV, 46. — [4] Joan. XIV, 6. — [5] 1 Tim. V, 6. — [6] 1 Cor. XV.

immutabuntur Sancti? qua in re? quia vivi sunt, secundum sensum, atque intelligentiam, quam antea diximus. Unde ipse Joannes ostendit quid sit resurgere, « Quoniam » transivimus, inquit, a morte ad vitam [1]. » Sic igitur « Primitiæ Christus [2], » quoniam ipse est vita. « Deinde hi, » qui sunt Christi [3], » quoniam et ipsi immutati sunt, ex mortuis facti viventes. « Deinde, inquit, finis [4], » id est, peccatorum condemnatio. Vitam porro in eo positam esse, ut bene afficiantur, et gaudeant, non judicentur; contra vero, mortem testatur Christus, cum ait : « Qui non credit sermonibus meis, jam judicatus est [5] : qui autem credit in » me, non morietur in æternum; et si mortuus fuerit, vivet [6]. » At utraque res naturæ carnis inest in vita. Alii autem paucissimi ipsam vitam vilem ac mortis participem faciunt. Illa ergo vere est vita, non judicari et condemnari perpetuo. Quemadmodum enim mors est suppliciis deputari æternis : sic vita requiem obtinere æternam. « Primitiæ » Christus. » Non dixit : « Prima resurrectio Christus, sed tanquam ex manipulorum area, « Primitiæ, » ut non dicas secundam resurrectionem, dum audis : « Deinde hi, qui sunt » Christi. » Non enim propter tempus aliquod, dixit futuram resurrectionem eorum, « Qui sunt Christi : » verum ob præelectionem Dei. « Postea, inquit, finis, » non quod post resurrectionem consummatio, verum quia post Sanctorum plenitudinem, cum non amplius futurus est sanctus, humanum genus, tanquam Deo inutile consummabitur. Dicit enim Paulus non iniquum esse Deum, qui infert iram suam adversum homines. Si porro primitiæ Christus, cur separationem, atque divisionem dixit : « Deinde hi, qui » Christi? » Non sane propter duas resurrectiones, primam et secundam, dixit hoc; nam si propter duas resurrectiones

[1] Joan. v, 11, 24. — [2] 1 Cor. xv, 23, 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 24. — [5] Joan. III, 11, 18. — [6] Ibid. 11, 25, 26.

dixisset: « Deinde hi, qui sunt Christi, et tunc finis, » etiam infidelium primitiæ Christus invenietur. Sed absit hæc a nobis cogitatio. Non enim impiorum primitiæ Christus: sed piorum ac justorum duntaxat. Quomodo vero resurrectio ante consummationem erit, quando Christus veniet in secundo adventu suo? Quod si veniet, ut cum Justis regnet; et iterum revertitur, ac denuo judex fit; tres adventus faciet. Et quo pacto in nulla istud Scriptura conscriptum reperitur? quin et impossibile id est. Nam si ante consummationem venerit, mundus adhuc corruptibilis existens, etiam Justos corruptioni obnoxios reddet, rursusque morientur, et ipse una cum iis corruptioni subjacebit. At non ita se res habet. « Statutum enim est, inquit Apostolus, » omnibus hominibus mori, post hoc autem judicium [1]. » Sic et « Deus semel mortuus est : et mors ultra in illum » non dominabitur [2]. » Una ergo erit resurrectio Justorum, et iniquorum, in momento, et in ictu oculi invadens.

XLIII. Ad te porro pœnitentiæ filium meus dirigitur sermo, ut discas quantorum, ac qualium bonorum participem efficiat pœnitentia. A sanctis locis facta est præteritio atque taansgressio : ut intelligas bonum esse fœnori dare Deo præsentia, et vanitatibus non illudi. Si Deo dederis quæ tibi in exercitium tradidit, confundes serpentem : quoniam inane et momentaneum oblectamentum sprevisti, per quod primos parentes supplantavit. Si gloriam corruptibilem contempseris, Deo soli perspicuum te ipsum reddes, et draconem devastabis : nam primis parentibus gloriæ Divinitatis desiderium suggessit. Si nolis videri sapiens, ac prudens in vita, et circumspectus, perterrefacies inimicum : quia per scientiam et cunctarum rerum experientiam, conatus est primos decidere parentes : « Comede, inquit fructum duplicem [3]; et eris sicut Deus, habens scientiam atque

[1] Hebr. IX, 27. — [2] Rom. VI, 9. — [3] Gen. II, 3.

experientiam boni et mali, neque amplius opus tibi erit aliquo alio. » Persuasa est mulier, oblectata est dulcedine, multarum rerum appetiit experientiam atque scientiam, de qua secum animo cogitabat, ut ne ulla re indigeret. Extendit manum, et opere transgressionem perfecit. Non serpens fructum accepit, et mulieri tradidit; non enim volebat hominem fructus malitiæ esse expertem. Eva itaque eum accipiens comedit. Nam Deus vitio obnoxium ac subditum hominem non damnat, nisi re ipsa et opere perfecerit. Efficitur autem etiam cogitatione opus, nam consensus mentis, ac cogitationis est manus. Invidia manu non fit, verum animo perficitur. Considera igitur et pœnitentiam in similibus fieri delictis; ac propterea sermonem de primis longiorem feci parentibus, ut te pœnitentiæ terminos scire doceam. Sermone perficitur diffamatio : nihil enim hic manus injuriæ infert. Sic ergo pœnitentiam age, ut creditorem inducere queas ad remittendum tibi debitum. Quinquaginta denarios, et quingentos tibi remittit Deus : vide ne ultra addas, ut non sicut Esaü, pœnitens reproberis. Duo debitores, peccatores descripti sunt [1] : quoniam duo sunt charitatis præcepta, in Deum nimirum, et in proximum. Si in hominem peccaveris, quinquaginta denarios debes : at si in Deum impius fueris, quingentos. Duo ergo debita, animæ sunt, et corporis. Quinquaginta denariorum debitum corporis est : at quingentorum animæ et intellectus. Qui negat, anima facit malum, vel extrinsecus appetitus, et oppugnatus; vel a memoria, aut ab excandescentia, vel a contemptu. At qui fornicatur, ab utroque malum committit, ab anima, et corpore : aut per inflammationem, aut per inflationem, aut per delicias, aut ob aliquam domus, et hostium eversionem. Adhibet anima linguam in negatione; et corpus mentis operatione utitur ad perficien-

[1] Luc. VII, 41.

dam fornicationem : et propterea tanquam sese adjuvantia pariter condemnantur; quare et simul pœnitentiam facere debent. Ad impietatem homicidii anima cor adhibet : ad lucrum avaritiæ, artificio, et astutia utitur : simul ambo malum faciunt : quare et simul pœnitentiam agere debent. Quoniam igitur Esaü non legitime pœnitentiam fecit, reprobatus est.

XLIV. Quamobrem non pœnitentia imbecillior fuit ad reconciliandum peccatorem, sed levitas actionis radicem acerbitatis continebat in mente, quemadmodum ait apostolus Paulus: « Herbam detondit, et radicem reliquit[1]; » et videbatur pœnitentia, at non erat pœnitentia, sed impostura. Lacrymatus est, non quia peccavit, sed quod Deum non illuserit. Plangebat postulans benedictionem, non ut Deo gratias ageret, verum ut carnalibus frueretur. Intus radix erat amaritudinis : at folia, id est, verba, in ore. Mente impietatem cogitabat, et ore benedictionem curabat. Occupabat mentem malitia, et per solam linguam voluit benedictionem lucrari.

XLV. Sed ista cur dico? ut tu, si amaritudinem in anima habeas, primum eam radicitus evellas, ac postea sic ad Deum accedas. Non novit medicus dolorem ac morbum ægrotantis : verum non sic Deus. Ideo pœnitentiam nosse oportet ubi vulneratus sit. Dicit enim Deus velut medicus. « Dic tu primum peccata tua, ut justificeris[2], » et ne alia pro aliis dixeris : nam tibi ipse injuriam facis. Luges instar Esaü? et interius excandescis tanquam serpens? non te admittit Deus sic pœnitentem; si ipsum de venia obsecras, et iram adversus aliquem foves, efficieris instar Esaü contra Jacob, qui optabat benedictionem accipere, et sperabat Deum ipsi in necem fratris auxiliaturum, factusque est fletus ejus execrabilis, quoniam luctum parentibus conciliare

[1] Hebr. XII. — [2] Isaï. XLIII, 26.

nitebatur. Quem rogabat, ut ipsi benedictionem impertiretur, hunc mori optabat, dicens : « Quando morietur pater » meus, et occidam fratrem meum [1] ? » Non solum fratricidam eum iracundia atque indignatio effecit, sed etiam parricidam : nam semper malitia occultata scelus adauget. Unde progressu temporis ipsum etiam Deo odibilem excandescentia reddidit. Nosti an peccaveris, et num spiritale sit peccatum, an carnale? Quemadmodum nosti, ita et pœnitentiam facito. Nam pœnitentiæ non est impossibile, neque difficile, etiam mortuam animam, vivam exhibere Deo. Peccatum spiritale ad mortem respicit [2], ait Joannes. Sic ergo pœnitentiam age, quasi de vita desperares, ut per mortem corporis animæ mortem extermines.

XLVI. Dicit quoque ad suos Discipulos Salvator : « Qui » perdit animam suam, inveniet eam [3]. » Quo pacto? quoniam qui mori per pœnitentiam eligit, per gratiam in ipso vivet. Incurabilia medici non sanant, inquit, neque cuncta peccata sacerdotes placare atque conciliare possunt. Et quomodo quidam putant se in Ecclesia quodvis peccatum jure ligare, ac solvere? Pro homicidio admisit quidem holocausta, sed sacrificium in sententiam vertit. Nam et impius sacerdos ille, qui solvere conabitur, quæ ligavit Deus. Solius quippe Dei est, fratres, a mortuis suscitare : at pœnitentiam etiam concessit hominibus in malis incurabilibus. David insanabile habebat vulnus : at ita illum sanavit pœnitentia, ut neque cicatricem retinuerit vulneris. Per pœnitentiam quippe ejus adductus est Deus, et exterminaret adulterii et homicidii maculam. Non per sacerdotes et vitulos : verum pœnitentia omnem Manassis impietatem delevit. Moysi præcepit Deus ut cunctas gentes Chanaan disperderet, atque exterminaret : et absque sacrificiis, ac sacerdotibus, confessio Gabaonitas non solum conservavit,

[1] Gen. XXVII, 41. — [2] Joan. V. — [3] Matth. X, 39, et XVI, 25.

verumetiam ut Israëlitis aggregarentur effecit. Fides, per conversionem ad Deum, meretricem Rahab Sanctis annumeravit, cum et meretrix esset, et Chananæa, quam conditionem utramque lex capitalem esse decreverat. Ammonitas et Moabitas in æternum cum exhæredasset, abdicassetque Deus, Ruth, licet Moabitidem, inter pias mulieres admisit : quippe ex qua sanctissimum David produxit : cujus veræ iniquitatis vera pœnitentia effecit, ut ne vestigium quidem in illo remaneret : quippe quæ ita adulterii cicatricem delevit, ut etiam a constuprata Bersabea Salomonem regem constituerit. Sicut etiam ipse pœnitens precatus erat, dicens : « Secundum multitudinem miserationum » tuarum dele iniquitatem meam [1]. » Exauditusque est vir non per sacerdotem ac legem, sed per pœnitentiam, quæ in Ecclesia prædicatur : quia eximia et admirabilis est pœnitentia, quoniam etiam legem superabat.

XLVII. Recte quoque ait in pœnitentia : « Et in Deo meo » transgrediar murum [2]. » Nam lex, veluti murus, impium vetat ad Deum accedere ; at pœnitentia alas ei præbens, efficit ut altius evolet usque ad conspectum Dei. Superat sententiam, et per pœnitentiam subjiciens se Deo, ostendit sacerdotibus legis, quæ ipsi placare ac conciliare nequeunt, pœnitentiam facili negotio efficere. Propinqua Salvatoris est ejus potentia : quoniam quos lex non justificat, pœnitentia perficit. Non erat perfectus David, quoad legem : at certe Ecclesiæ prædicatione justificatus est.

XLVIII. Pœnitentiæ multos conservat : at legis gladius contra eos est ad necem, nisi legitime resipiscant. Væ hæreticis dicentibus non esse pœnitentiam; ex his enim insipientes sunt, qui dicunt : « Non est Deus. » Nam si in hominibus infirmis, et medela indigentibus, non est pœnitentia, simile erit dicere : « Non est Dominus Deus. » Ostendit nimirum, ibi pœ-

[1] Psal. L, 3. — [2] Id. XVII, 30.

nitentiam viguisse, ubi supplicii metus in transgressores exacuebatur : et in Ecclesia non erit pœnitentia, ubi gratia et dignis, et indignis, sicut sol, exoritur? Elegit Deus proprias sententias in synagoga mutare, ut pœnitentiæ gratificetur : et in Ecclesia ipsam repudiabit? Non est sane, sicut hæretici dicunt : nam pœnitentia Ecclesiæ unita est, novitque eos, qui non permanent in impietate, Deo adducere, atque reconciliare in vitam æternam. Ipse dixit septuagies septies remittendum esse in nos peccantibus : et non vincet homines, benigne cum iis agens? Publicanus sua humilitate vicit Pharisæum : et tu dicis Deum benignum non esse? In justificationibus legis sese jactabat Pharisæus : at Publicanus sua annuntiabat peccata, et sine opere pœnitentia confitentem justificavit. Cur ita? ut multi ad pœnitentiam convertantur. Et tu negas Deum benignum esse, negasque peccatorum ab eo pœnitentiam recipi? » Dic » primus peccata tua, ut justificeris [1]. » Ait Deus : « Tantam indulgentiam in crudelitatem convertis, o hæretice. »

XLIX. A verbis inchoat pœnitentiæ principium : quoniam quæ verbo fit confessio, initium pœnitentiæ est; propterea et salutis initia dantur Publicano, nec perfecte ipsum debitis liberarunt : quia nondum perfecte pœnitentiam fecerat. Disce Dei rigorem, et accuratam exactionem, et intellige pœnitentiæ utilitatem. Pro actionis ratione mercedem tribuit. Verbo confessus est, et ad efficacis pœnitentiæ profectum receptus est. Nam quid Publicanus ait? « Domine, » inquit, propitius esto mihi peccatori [2]. » Quid vero ad ea Christus? « Amen dico vobis, quia justificatus descendit » Publicanus supra Pharisæum [3]. » Non dixit quod a condemnatione liberatus, justificatus sit; ut formam tribuat, quo pacto strenue pœnitere oporteat, non solo verbo, sed etiam opere. Justificata est Sodoma præ Hierusalem, sicut

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Luc. XVIII, 13. — [3] Ibid. 14.

ait propheta Ezechiel, non ob virtutem, sed propter excessum impietatis Judæorum, si cum Sodomis conferantur [1]. Sic quoque Publicanus est justificatus, in comparatione ad Pharisæum. Latro confessus verbo, salvatur : non enim supererat ei tempus, ut etiam opere pœnitentiam ageret. Ex mutatione, animi propositum et voluntatem efficacem ostendit : quia si spatium temporis habuisset, strenue resipuisset. Quemadmodum igitur verbo potest impius condemnari : ita etiam verbo pius effici potest. Moyses etiam tacens clamabat ad Dominum : ergo etiam cogitatione consequi licet remissionem. « Orabo spiritu, inquit apostolus »Paulus, orabo et mente [2] : » ut significet utrumque utile esse, et unumquodque, quando fuerit tempus, posse fieri : solum spiritali attendendum est contemplationi.

L. Ad te sermonem converto, qui pœnitentiam oblitteras, ac rejicis : quoniam et in Ecclesia mos ejus servatur, ac ratio. Novi te dicere post baptisma non esse pœnitentiam. Sed quid ais? Qui enim adoptionis nobis gratiam per baptisma donavit, nonne etiam remissionis peccatorum gratiam præbebit? Qui magna donat, in parvis non se benignum exhibebit? Qui mortuis resurrectionem concedit, infirmis sanitatem non dabit? Qui cæcis oculos donat ad vivendum, eos distillatione laborantes, ac lippientes non exteret atque deterget? Qui vibices se cicatrices purgat, scabie laborantes non curabit? Qui libertatem ex servitute tribuit, defensionis colloquium aversabitur? Qui adoptionem præstat, confitentem filium non suscipiet? Ex servo filium effecit : et aberrantem filium non assumet? Magnum, et quod cuncta superat, non ægre fert Deus se nimirum hominum vocari Patrem : et pusillum renuet, ut filiorum confitentium propitiator fiat? Non assentimur tibi, o hæretice, volenti divinam damnare benignitatem. Habeo fon-

[1] Ezech. XVI. — [2] 1 Cor. XIV, 15.

tem, et tua non indigeo siccitate. Habeo Christum, et tuam redarguo iniquitatem. Pro nobis mortuus est, et non intercedet pro nobis? Pro nobis dignatus est crucifigi, et misereri recusabit? Si tantopere dilexit nos, ut etiam alapis propter nos cæsus sit, et cum fontem habeat misericordiæ, esurientes despiciet? Si quis divitiis abundans, servum, aut filium redimere velit; proponatur autem ipsi ut pretium redemptionis pendat, vel moriatur, nonne pretium persolvere malit? Si Christus fontem misericordiæ non haberet, fortasse quis diceret eum ideo mortuum esse, quod non haberet unde dilectum redimeret. Rem summam, et eximiam fecit, et vilem atque abjectam ipse non præstabit? Nos cum impii essemus, non repudiavit, et resipiscentes non suscipiet? Peccantes ad se invitat et allicit, et conversus avertet? Maledicorum misertus est, et obsecrantibus misericordiæ viscera non præbebit?

LI. Verum semel, inquies, miseretur, et postea punit. Quid? hodie-ne Pater est, et cras inimicus efficitur? hodie amat atque desiderat, et cras, ob paupertatem odit? Hodie benignus est, et cras inhumanus, atque crudelis? Hodie adulationibus atque blanditiis inductus facit, ac præbet, et cras prudentior factus se illudi non sinet. Apage : non est id, quod dicis, o homo. Non est, inquam : invariabilis enim Deus est, et incommutabilis. Idcirco etiam Paulus ait sine pœnitentia esse dona Dei. Et quomodo, qui orare jussit, ac dicere : « Dimitte nobis debita nostra [1]; » dimittere eum pœnitet? Numquid ad Catechumenos dixit, ut orarent? Nonne fidelium est oratio? quo pacto ergo dicis post baptisma non esse pœnitentiam?

LII. « Imo, inquit Paulus, ait impossibile eos, qui se» mel illuminati sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, » rursusque crucifigere sibimetipsis Christum, et trangresso-

[1] Matth. VI, 12.

» res recipi [1]. » Breviter ergo tibi sensum dicti exponam, ne in longam narrationem oratio pertrahatur. Non de pœnitentia id dixit Paulus; verum de secundo baptismate, quod iterum baptizari cum sit impossibile, qui semel in Christo baptizatus est. Quoniam idem ait Apostolus : « Quicumque » in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati su» mus [2]. » Propter baptisma igitur dixit impossibile esse eos, qui prolapsi sunt, rursus crucifigere Christum, id est, rursum baptizari. Una est crux : « Unum est (inquit) etiam » baptisma [3]. » Ad Hebræos quippe scribens, volebat ostendere Christi baptisma non esse commune. De baptismate igitur loquitur : putabant enim id legali esse simile. Ut persuaderet ergo iis, dicit apud nos impossibile esse eos, qui prolapsi sunt, iterum baptizari. Nam diversa ipsi faciunt baptismata. Quemadmodum etiam antea de purificatione verba faciens, reprehenderat. Et Christus quoque ostenderat legale baptisma esse commune, cum diceret Pharisæos assidue baptizari, ac lavari, cum essent immundi [4]. Ait enim, ne quod foris est calicis, et paropsidis laves : sed quod intus est, plenum rapina, et amaritudine. Non ergo dixit Paulus de pœnitentia impossibile esse semel illuminatos resipiscere, sed de non rebaptizando. Tu quidem cogitationibus, ac solis verbis perperam usurpatis uteris : at ego tibi reipsa, ac sensu vero testimonium Apostoli proferam. Ostendo tibi verba tua calumniari falsoque accusare Apostolum, teque ad pœnitentiam cohortor. Galatis a fide dissidentibus quid dicit? « Filioli, inquit, mei, quos iterum » parturio; donec in vobis formetur Christus [5] : » Quoniam enim erant geniti per Pauli dolores, id est, per tentationes, ac tribulationes, ideo inquit : « Quos iterum parturio. » Cur ita? nisi quia in Christo baptizati essent? Si autem

[1] Hebr. VI, 4-6. — [2] Rom. VI, 3. — [3] Ephes. IV, 5. — [4] Matth. XXIII. — [5] Gal. IV, 19.

civitatis Ecclesiam totam fidelium hominum, qui a fide recesserant, non abjecit; verum secundo, aut sæpius baptizari prohibuit, numquid non baptizatis dicebat : « Currebatis bene, quis vos fascinavit veritati non obedire[1] ? » Numquid ad non baptizatos dicebat : « Tanta passi estis » sine causa, si tamen sine causa[2] ? » Nonne ad non baptizatos aiebat : « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur » virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei[3] ? » Quod si Apostolus clericis non præcidit pœnitentiam, tu dicere audebis post baptisma pœnitentiam non esse? David dicit : « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me[4] : » et quomodo qui post gratiam Spiritus sancti peccant, non habent pœnitentiam? Propheta erat : at post peccatum pœnitentiam egit, et Deus ipsi veniam concessit : mihi autem legitime pœnitenti non indulgebit? dicit ille : « Redde mihi » lætitiam salutaris tui[5]. » Ablata quippe ab eo per adulterium erat; verum per pœnitentiam reddita est : quoniam deinde ad mortem usque prophetavit.

LIII. Petrus Apostolus, post acceptum Apostolatum, cum virtutes fecisset et signa per gratiam Spiritus sancti, et baptizasset in Hierusalem, negavit Christum, et facta pœnitentia, non est repudiatus : flevit enim amare, et dulcedinem gratiæ consecutus est : nam Christus ipsi condonavit : non enim remittere poterat homo. Scandalizatus autem erat præsenti comprehensione, et non Deum negavit, sed scandalum crucis pro excusatione adducens comprehensionem Christi : quare et Deus ipsi præter opinionem ac voluntatem neganti citius ignovit. Deus erat Christus etiam ante crucem; verum Divinitas cunctis super terram occultabatur. Non videbat Petrus id quod invisibile erat; sed in id, quod cernebatur, nunc raptus cecidit : ve-

[1] Galat. III, 1. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Psal. L, 13. — [5] Ibid. 14.

rumtamen, cum pœnitentiam egisset, admissus est. Ne pro contemptionis prætextu adducas Petri negationem : ille quippe imprudens abreptus est : et tu fidem constanter, et imperturbato animo, habere, atque tueri debes. Diuturna confirmatus doctrina, mox Christum obtinuit, et veniam consecutus est : ignoras autem tu, an dimiserit, an non? Neque enim licet hominibus ista concedere, quamvis fuerint, ut Noë, et Job, ac Daniel. Necessitas respondet pro Petro : et comminationes mortis, iis qui sine necessitate quid tale committunt. « Tenebræ enim sunt dies Domini, et » non lux[1]. »

LIV. Est ergo pœnitentia, o homo : nam nihil Deo impossibile. Illis porro non est pœnitentia, qui ad peccandum pœnitentia abutuntur, tanquam ad lucrum et quæstum. Qui perseverat in peccato, spe pœnitentiæ, non obtinet pœnitentiam, et in talibus dictum est, non valere pœnitentiam : quia Deum illusoribus oblectari arbitrantur.

LV. Qui Deum despicit ut Deo placeat, quo pacto pœnitentiam possidet? Qui novit peccatum perniciosum esse, et ab eo non abstinet, indignus venia post mortem erit, quoniam nequitiæ servum se reddidit. In judicio non est pœnitentia, quia judex non ad ignoscendum consistit, verum ad judicandum ex exactionum confessionibus. Sententia in judicio sequitur, et quomodo possibile erit pœnitentiam in resurrectione agere? Siquidem resurgeremus ad liberorum propagationem, et alium vitæ statum; spes nobis esset pœnitentiæ, tanquam rursus vitæ exercitium habentibus et voluntatem liberam, et mentem atque cogitationem in nostra potestate. Nemo vidit latronem coram tribunali vinculis liberum, neque adulterum, neque sepulcrorum depopulatorem secure incedentem. Sic igitur et in judicio pro vinculo habemus reprehensionem, et pro cus-

[1] Amos v, 18.

todia increpatoriam exhibitionem, ac pro servitute conscientiam, et voluntatis impetum otiantem atque cessantem ob judicis inquisitionem. Non prædico pœnitentiam, ut non contemnas; sed neque rejicio eam, ut non desperes. Non dico, ut nunc despicias, et tunc pœnitentiam agas. Non doceo in vita peccare, et in judicio resipiscere. Ait etiam Propheta in inferno confessionem non esse[1]. Licet quoque peccantibus nobis post baptismum pœnitentiam agere: non licet autem in pœnitentia spem ponentes contemnere. Si scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi; multo magis malum scienti, et illud facienti[2]. Si porro res bona sit pœnitentia, qui eam differt, malum facit; et hæc adversus eum indignabitur, et conqueretur, quod putarit ipsam reformidare malum, ita ut juvare te nequeat. Quod si vitio, et malitia gaudens, in iis perseveras, etiam te aversabitur; quoniam cum ejus bonitatem nosses, nequitiam illi prætulisti. Pœnitentia remissionem prædicat: non libens autem admittit spernentes ipsam; permanet vero cum iis, qui convertuntur, et in malitia perdurantes detestatur. Audi quid dicat Deus: « Impius cum in profundum malorum ceciderit, contemnet[3]. Proinde ait: « Clamabunt ad me, et » non exaudiam eos[4]. »

LVI. Dicis post baptisma non esse pœnitentiam? et quomodo ait evangelista Joannes, quod « Christum advocatum » habemus apud Patrem, » et quod ipse « Propitiatio pro » peccatis nostris est; non pro nostris autem tantum, sed » etiam pro universo mundo[5]? » Et seipsum comprehendit Sanctus, ut ostendat transire etiam pœnitentiam ad eos, qui post tantam talemque gratiam peccarunt: qualem quantamque gratiam sanctissimus Evangelista contecutus erat Joannes. Et tu dicis post baptisma pœnitentiam non esse?

[1] Psal. VI, 6, et Isaï. XXXVIII, 18.— [2] Jacob. II.— [3] Prov. XVIII, 3. — [4] Mich. III, 4, et Zach. VII, 13. — [5] Joan. II, 1, 2.

Tu servus ille es nequam, qui talentum fodit in terra : non enim pœnitentiam prædicasti, ut sermo per eam animas peccatorum in salutis acquisitionem a condemnatione lucrifaciat. Disce igitur impium ac nefarium esse non parere pœnitentiæ. Cum ergo a talento hic sermonem auspicati sumus, in talenta terminemus, Deo salutem nostram multiplicantes, ut in resurrectione nos recipiat, per misericordiam, et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De pœnitentia.

I. Qui e sinu Patris descendit Dominus, nobisque factus est via salutis, ipse nos beata ac divina illa sua voce de pœnitentia instruit, dicens : « Non veni vocare justos, sed » peccatores ad pœnitentiam [1]. » Et rursus : « Non indigent » qui sani sunt medico, sed qui male habent [2]. » Si hæc ego dixero, nolo me audias. Si vero Dominus illa dicat, quare contemnis, et vitam tuam negligis? Quod si conscius tibi sis vulnerum cogitationum actuumque in te latentium, quare occulta illa tua vulnera negligis? Quid times medicum? non est durus, neque vero immitis atque immisericors : non utitur ferro, neque medicamento austero, vel cauterio : solo verbo sanat. Si ad eum accedere velis, plenus est bonitate, plenus misericordia. Propter te ex sinu Patris advenit, propter te incarnatus est, ut ad eum sine timore accedas. Propter te factus est homo, ut te a gravibus tuis vulneribus liberet. Te multa cum dilectione om-

[1] Matth. IX, 13, et Marc. II, 17. — [2] Luc. V, 31.

nique bonitate ad se vocat. Accede, peccator, et sanaberis facile : abs te pondus peccatorum projice : preces offer, et lacrymas putredini impone. Hic enim cœlestis medicus cum bonus sit, lacrymis atque gemitibus vulnera curat.

II. Accede, peccator, ab bonum medicum, et pro optimo medicamento lacrymas offer. Sic enim vult cœlestis Medicus unumquemque suis sanari lacrymis et salvum fieri. Hoc enim medicamentum non strictius devincit, neque exacerbat vulnus, sed brevi te compendio sanat. Tuas expectat medicus videre lacrymas; accede, et noli timere. Ostende ei vulnus, et pro medicamento lacrymas ac gemitus affer. Ecce enim ostium pœnitentiæ apertum est : festina, peccator, priusquam illud occludatur. Non expectat ad tuam negligentiam tempus; ut neque ipsum ostium, te segnem et desidem cernens, tuum semper contemptum sustinebit. Quare tuam odisti vitam, miser? Quid præstantius tua anima, o homo? At tu eam, o peccator, spernis. Ignoras, dilectissime, qua hora cœlestis Medicus ostium medicinæ suæ occludi jussurus sit. Accede, obsecro, festina ut cureris. Gaudium ex tua conversione afferre vult cœlesti exercitui. Sol jam ad vespertinam inclinat horam, et propter te adhuc expectat, ut ad mansionem occurras. Quousque inimicum tuum immundum perfers, impudenter ejus voluntatem perficiens? Ille enim te quærit in ignem projicere. Hoc ejus est studium : hoc ipsius munus, quod suis largitur amatoribus. Ipse concupiscentiis suis pessimis et immundissimis continuum cum omnibus hominibus bellum gerit. Ipse rursus scelestus adversarius in desperationem perducit obedientes sibi. Indurat eorum cor, et exsiccat lacrymas, ut non compungatur peccator.

III. Fuge hunc omnino, o homo; odio, et abominationi blanditias ejus habe. Detestare malignum, et fuge dolosum : homicida enim est ab initio usque ad finem. Fuge ipsum, o homo,

ne te interficiat. Audi, dilectissime, beatam illam vocem Domini assidue dicentis : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia quietus sum, mitis, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris [1]. » Requiem dicit, et vitam tibi promittit de die in diem. Accede, ne timeas : bonus est et nullius indigens Dominus : non requirit chirographum omnium peccatorum. Perfugium a cunctis malis ipse est : sanat vulnera, donatque vitam sine invidia, ut benignus. Suscipit facile coram ipso procidentes, quandoquidem Deus magnus, et præcognitor futurorum est, sciens universas cogitationes nostras. Quando quis ad eum accedit, ut sanetur, videt cor ejus, omneque propositum : cumque immutabilem piamque cogitationem habeat accedens, tunc benignissimus Deus, ob magnam suam bonitatem, protinus ab inquirentibus se invenitur : et priusquam homo oculos ad Deum attollat, dicit ipsi : « Adsum : » et antequam ad eum accedat, thesaurum coram inquirente aperit. Priusquam effundat lacrymas, thesauros effundit ; et priusquam ipsum imploret, reconciliatur ei. Priusquam ipsum oret, misericordiam ab eo consequitur. Charitas enim Dei sic requirit, et sic vult : et qui in veritate accedunt ad eum, non cunctatur audire. Neque rursus accedenti ad ipsum impio improperat, dicendo : « Cur tanto tempore serviisti inimico, me autem Dominum tuum volens sprevisti ? » Non quærit præteriti temporis quantitatem ; sed tantummodo humilitatem, lacrymas ac gemitus sibi procidentis intuetur Dominus. Et quia futurorum præscius est, quippe Deus et creator noster e vestigio cuncta peccata nostra, et offensiones cogitationum et actuum remittit : primamque stolam afferri ei jubet, cum annulo etiam in manu dextera : omnes-

[1] Matth. xi, 28, 29.

que Angelos sibi gratulari præcipit super anima ista peccatoris inventa.

IV. Beati enim nos cuncti sumus homines, qui Dominum adeo habemus dulcem, malitiæ immemorem, benignum, pium, misericordem, longanimem, et iniquitates semper nostras, si tamen ipsi voluerimus, remittentem. Ecce enim hortatur: ecce longanimiter suffert: ecce cuncta nobis bona sua largitur in hoc sæculo, et in futuro, si voluerimus ipsi. Venite ergo, obsecremus, quandiu tempus nobis suppetit. Donec hic in præsenti vita sumus, semper Deum exorare atque placare possumus. Facile nobis est indulgentiam deposcere: opportunum nobis est januam misericordiæ ejus pulsare. Fundamus lacrymas, quandiu tempus est suscipiendi nostras lacrymas, ne abeuntes in sæculum illud, absque ulla utilitate plangamus: ibi enim pro nihilo ducentur lacrymæ. Quantum hic voluerimus, tantum benignissimus remittet Deus: hic enim nos obsecrantes audit: hic nobis sibi supplicantibus remittit: hic nostras iniquitates, nobis resipiscentibus, delet. Hic oratio et obsecratio, ibi vero est inquisitio. Hic longanimitas, ibi severitas. Hic indulgentia, ibi accurata exploratio. Hic voluntatis libertas, ibi judicia. Hic securitas, ibi angustia. Hic voluptas atque fruitio, ibi tormenta. Hic habendi cupiditas, ibi cruciatus. Hic risus, ibi luctus. Hic negligentia atque incuria, ibi autem supplicium. Hic contemptus, ibi ignis æternus. Hic ornatus vestium, ibi vermis nunquam dormiens. Hic elatio, ibi humiliatio. Hic rapinæ, ibi stridor dentium. Hic cuncta deaurata, ibi tenebræ et caligo. Hic desidia, ibi nulla delictorum venia. Atque omnia ista scientes, fratres dilectissimi, cur nostræ salutis adeo sumus ignavi? non igitur hic mens nostra, fratres, defixa hæreat. Neque dulcescat nobis amor rerum terrenarum, ne planctus ibi noster amarus fiat.

V. Quare sanari contemnimus, quandiu tempus adhuc superest? Per modicas lacrymas exiguo hoc tempore, ac per pœnitentiam remittit Deus cuncta delicta. Plange hic modicum, ne plangas ibi in sæcula sæculorum in tenebris exterioribus. Æquus hic esto, ne ibi in ignem projiciaris inextinguibilem. Quis nos non lugeat, et quis non defleat? Odio enim habentes vitam, mortem diligimus. Tecum ipse reputa, frater charissime, et quæ potiora atque utiliora animæ tuæ sunt, tibi delige. Quæ enim tibi difficultas est, ut de peccatis in hac vita lugeas, et pœnitendo melior factus, hic obsecres potius, quam ut ibi in igne absque ulla utilitate plangas? Hic enim lacrymis indulgentiam consolationemque omnem assequeris: ibi autem, quamvis lacrymeris, ad supplicium perges, et ad pœnam ob decem millium talentorum debitum. At tu parum quid in hac vita persolve, rogando Dominum, ut tibi animæ tuæ debita remittat. Si autem hic nolueris ex multis pauca reddere, ibi multis adhibitis cruciatibus omne tuum debitum persoluturus es.

VI. Atque ista vestræ charitati dico, fratres charissimi Deique amantes, non quod ego dignus sim, et a sorde in hac vita mundus, aut pure vivens, sed ex multo dolore ac tristitia cordis ista commemoro, mecum cogitans quid nobis immineat, dum interim nos negligenter vivimus. Ego autem, o fratres, immundus sum, et impie vivo actu et cogitatione, nullius boni prorsus mihi conscius: quin et nunc, et semper peccator ac remissus voluntati meæ deservio. Atqui hæc ideo charitati vestræ dico, quoniam dolore cordis mei semper angor ob futurum horribile Dei judicium: omnes enim contemptores sumus, perpetuo existimantes nos in hoc sæculo vano victuros in æternitatem; cum sæculum hoc transeat, et cuncta quæ in eo sunt. Et nos, dilectissimi, rationem de his omnibus sumus reddituri, tanquam scientes bona, et

facientes mala; hicque contemnentes, dilectioni Dei et regno ejus prætulimus terram et omnia quæ in ea sunt. Argentum et aurum non liberabit nos ab igne illo formidabili. Vestes et deliciæ in nostram condemnationem ibi reperientur. Frater ibi proprium non liberabit fratrem, neque pater vicissim suum filium : sed stabit unusquisque in ordine suo, in vita, et in igne. Multi sunt sancti, justi, ac pii, deserentes sæcularem vitam cum actibus ejus, qui præclaro instituto atque consilio liberæ voluntatis, bonaque spe præceptis Dei obtemperantes, confidunt se divinis fruituros bonis in paradiso deliciarum : Christum enim expetentes, omnibus corruptibilibus prætulerunt ipsum. Quapropter etiam quotidie in Deo exultant, et in Christo illuminantur, ac in Spiritu sancto indesinenter gaudent. Exultat in eis sancta Trias : lætantur super eos Angeli et Archangeli : congaudet super eos paradisus deliciarum. Vere sunt hi laudabiles, gloriosi, atque beati per omnia : quoniam Angeli et homines beatos eos prædicant, quod Dei dilectionem universo prætulerint mundo. Et Deus sanctus, justus, et verus largitus est eis suum regnum, majoremque iis gloriam donavit, ut videant ipsum cum sanctis Angelis semper in gaudio. At multi sunt homines, qui terrena appetunt, et corruptibilia mundi, quorum mens semper in corruptibilibus defixa hæret, et propemodum ut animantia rationis expertia, ciborum saturitate corpora sua nutriunt, quasi immortalem hanc vanam sibi vitam ducerent. Quid agis homo? Quid vitam ut rationis expers traducis? Prudentem, atque intelligentem, et discernendi compotem te creavit Deus. Ne similis fias tua imprudentia dementiaque jumentis insipientibus.

VII. Modicum saltem vigila, o homo; te ipsum recollige, et agnosce ut sapiens, quoniam propter te Deus excelsus de cœlo descendit, ut te ex terra in cœlum elevaret. Ad nuptias

cœlestis Sponsi vocatus es : quid contemnis ? et quorsum hæsitas ? Quo pacto ad nuptias ire poteris, quæso te, vestem pretiosam ac nuptialem non habens, nec lampadem ardentem tenens? Et quomodo intrabis ? Per contemptionem ingrederis ? At audies mox formidabilem illam vocem : « Amice, » quomodo intrasti ad nuptias, non habens vestem nuptialem » regni mei [1] ? » Per contemptionem intrasti, ut tua nuditate injuriam faceres convivis meis ? At Rex suis ministris præcipiet, dicens : « Ligatis manibus et pedibus, projicite hunc miserum in caminum ignis, ut crucietur in sæculum sæculi. Quoniam ego ipse a multis temporibus veni, et omnes vocavi ad nuptias : hic autem vocationem meam spernens, non sibi præparavit indumentum ad nuptias. Ideo jubeo tormentis affici miserum, quia regnum meum sprevit atque contempsit.» Non ergo ista times, o homo ? non contremiscis, cum prope sit sponsus, ut resplendeat ? Ignoras jam omnia parata esse, cœlestemque tubam divinum nutum præstolari ? Et quid acturus es ibi in hora illa, si te ipsum in horam illam divinæ beatitudinis non te præparaveris ? Dei enim beatitudo dignis continget.

VIII. Cœlestis tuba de cœlo resonabit, dicetque : « Surgite, dilectissimi Christi : ecce Rex cœlestis advenit, redditurus vobis requiem et gaudium in vita æterna pro labore illo piæ exercitationis vestræ. Surgite, et cernite Christum regem, sponsum immortalem, quem desiderabatis. Illius enim amore ac desiderio, facti estis incolæ super terram. Surgite, cernite regnum ejus, quod paravit vobis. Surgite, intuemini Christum desiderabilem vobis. Surgite, et videte Dominum, cujus vos aspectus sine satietate delectabit, quem dilexistis, propter quem tribulationes sustinuistis, pro quo pietatis ac religionis studia coluistis. Venite nunc, et videte eum cum magna fidu-

[1] Matth- XXII, 12.

cia, quem expetebatis. Gaudete et exultate cum ipso lætitia inenarrabili, « Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis [1]. » « Venite, perfruimini bonis, quæ oculus non vidit, nec auris » audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ vobis do- » nat ipse desiderabilis Dominus [2]. » Rapientur enim Sancti in nubibus lucidis in occursum ejus. Evolabunt justi et digni Deo in sublimitate aëris cum gloria inenarrabili, ad videndum Sponsum cœlestem et immortalem [3]. Quis putas ita dignus reperietur tunc, ut rapiatur in nubibus hora illa magno cum gaudio obviam Christo? Omnes quidem digni tunc rapientur in gloria : sed cuncti impii ac peccatores deorsum relinquentur cum confusione maxima. Beatitudo atque lætitia iis erit, qui hic diligentes fuerint : supplicium autem et confusio peccatoribus universis. Beatus ille, qui hic studuerit dignus inveniri in horam illam : contra miser atque infelix, qui seipsum tunc indignum reddiderit. Nubes e terra in cœlum omnes Sanctos rapient : rursusque impios Angeli abripient, ut in caminum ignis inextinguibilis immittant. Quis dabit capiti meo aquam longe immensam, et oculis meis rursus fontem lacrymarum jugiter scaturientem, donec tempus erit lacrymas suscipiendi, ploremque me ipsum die ac nocte, Deum rogans, ne in hora ipsius adventus inveniar indignus, et ne terribilem illam Domini sententiam audiam : « Discede a me, operarie iniquitatis : nescio te, quis, et unde sis. »

IX. Deus altissime, qui solus immortalis es, largire mihi peccatori in illa hora multas miserationes tuas, ne tunc mea appareat impietas, quæ nunc est occulta, coram spectatoribus Angelis, Archangelis, Prophetis, Apostolis, Justis ac Sanctis. Verum salva me impium gratia et miserationibus tuis, et induc me in paradisum deliciarum cum perfectis Justis. Suscipe deprecationem servi tui, Domine,

[1] Joan. XVI, 22. — [2] 1 Cor. II, 9. — [3] 1 Thess. IV, 16.

precibus et intercessione Sanctorum, qui tibi placuerunt. Gloria Christo. Amen.

SERMO III.

Oratio in vanam vitam, et de pœnitentia.

I. Quotquot vitæ vanitatem, et perituras res reliquistis, contendite ne rursus cor vestrum ad ea convertatis. Divitiæ transeunt, et gloria perit; pulchritudo marcescit, et omnia commutantur, et tanquam fumus evanescunt, et tanquam umbra abeunt, et tanquam somnium delentur. Ideo dicebat Salomon : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas [1]. » Ideo David psallebat dicens : « In imagine pertransit homo, sed » et frustra conturbatur [2]. » Vere enim frustra conturbantur, qui præsentis vitæ res diligunt. Vere frustra conturbantur, frustra tumultuantur, frustra jactantur, qui coacervant, et cumulant quæ brevi tempore pereunt, quæ deportare secum nequeunt; sed omnia relinquentes, nudi sicut nati sumus, ad terribilem Judicem proficiscimur. Et omnes thesauros, quos collegimus, derelinquentes, nudi, miserabiles, tristes, obscuri, contriti, abjecti, obtorto collo, timidi, trementes, demissa facie, dolentes, in terram vultu converso, eumque cum ignominia abscondentes, sic proficiscimur, sic consistimus ad illud magnum, ad illud horribile tribunal, quod non personam, non munera accipit; quod nostram cogitationem excedit. Ubi Angeli contremiscunt; ubi throni terribiles ponuntur; ubi libri rerum actarum leguntur; ubi fluvius ignis inextinguibilis, ubi immitis vermis, ubi sine luce tenebræ, ubi frigidus tartarus, ubi stridulus fremitus, et dolor dentium : ubi irrequietæ lacrymæ, ubi querula

[1] Eccl. I, 2. — [2] Psal. XXXVIII, 7.

suspiria, ubi inconsolabilis luctus; ubi non est risus, sed lamentatio; ubi non est vox, sed tremor; ubi non est lætitia, sed suspiria; ubi deliciæ non sunt, sed judicium, terribile quidem auditu, terribile vero visu, omnem creaturam repente excitatam, in unum coactam, suppliciis affectam, rationemque reddentem verborum, atque operum, cogitationumque, quibus sive noctu, sive interdiu deliquit.

II. Magnus pavor tunc, fratres, magnus tremor, magna necessitas, quæ tunc imminet, qualis nunquam extitit, neque futura est ante illam diem : quando Angeli præcurrent, et tubæ resonabunt, cadent astra, et sol obscurabitur, cœli volventur, atque universus orbis concutietur. Potestates præcurrent, Seraphim clamabunt, Cherubim agitabuntur : quæ supra, quæque infra sunt, quæ in terra, et quæ sub terra sunt, turbabuntur, atque quatientur. Monumenta aperientur, et corpora congregabuntur : judicia instruentur. Multus timor, inexplicabilis terror, inenarrabilis necessitas, quæ tunc futura est. Ingens illa tempestas, ingens procella, gravis vicissitudo : incomprehensibilis tumultus, immanis ululatio. Audiamus Danielem dicentem: « Videbam » in visione noctis, donec throni positi sunt, et Antiquus » dierum sedit. Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis » accensus. Fluvius igneus stetit in conspectu ejus. Millia » millium assistebant ei, et decies centena millia ministra» bant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt. Horruit spi» ritus meus. Ego Daniel videns, et visiones capitis mei » conturbaverunt me [1]. » Papæ! Propheta visionem futuri judicii aspiciens territus est, et exhorruit. Et quid nobis erit expectandum, cum ad rem ipsam accedemus? Quando ab ortu solis usque ad occasum astabimus nudi, et peccatorum sarcinam supra collum omnibus ostendemus. Tunc blasphemorum linguæ assidue adurentur, et non erit qui

[1] Dan. VII, 9-15.

refrigeret. Tunc detrahentium dentes a sævis angelis conterentur, tunc garrulorum ora obstruentur ab igne : tunc avarorum manus suspensæ trement, atque abrasæ excruciabuntur. Tunc oculi innuentium immisericorditer eruentur.

III. Ubi tunc parentes? Ubi fratres? Ubi pater? ubi mater? ubi amicus? ubi vicinus? ubi regum ostentatio? ubi principum potestas? ubi tyrannis? ubi judicantium superbia? ubi tunc famuli? ubi famulæ? ubi vestium ornatus? ubi splendida calceamenta? ubi ornamenta annulorum? ubi serica? ubi byssina? ubi carnes? ubi species auri? ubi argenti strepitus? ubi deliciæ? ubi vinum copiosum? ubi equi? ubi horti? ubi domus ornatæ, ac calce illitæ? Ubi inanes suffitus? ubi custoditi thesauri? ubi lecti exornati? ubi ii, qui pauperes despiciebant, et sese ferebant tanquam immortales? Ubi qui pauperes dedecore afficiebant? ubi qui miseros aversabantur? ubi qui se putabant sapientes esse? ubi qui inter tympana, et choros bibebant vinum, et affluebant deliciis? Ubi qui ridebant assidue, et religiosos irridebant? Ubi qui servos laboribus conficiebant, ac timorem Domini habebant pro nihilo? Ubi qui pietatem in Deum execrabantur? Ubi erunt illa hora qui supplicia non credunt, et tanquam immortales se gerunt? Ubi erunt qui dicunt: « Edamus, et » bibamus, cras enim moriemur [1]? » Ubi erunt, qui dicunt: « Da mihi hodie, et accipe die crastino? » Ubi sunt, qui aiunt: « Fruamur his quæ hic sunt, et de iis, quæ ibi sunt posthac videbimus? Ubi sunt, qui inquiunt : « Benignus est Deus, et peccatores non punit? »

IV. O quanta pœnitentia capientur, qui hæc dicunt! Quam plangent! et non erit, qui eorum misereatur. Quanta fundent suspiria! et nemo erit, qui redimat. Quam seipsos contundent, et dicent : « Væ nobis, nos ipsos illusimus : edocebamur, et minime attendebamus : admo-

[1] Isaï. XXII, 13, et 1 Cor. XV, 32.

nebamur, et minime pendebamus. Nos obtestabantur, et non credebamus : Scripta sacra audientes nos ipsos fallebamus. Justum judicium Dei : profecto jure, meritoque punimur. Vere eorum, quæ fecimus, fructum recipimus. Væ nobis, quia propter pauxillam, atque impuram voluptatem discruciamur : per breve tempus inertiæ dediti, ad æternum ignem condemnati sumus. Ob gloriam inanem, atque inhumanam, a vera gloria excidimus. Ob breves delicias, paradisi deliciis orbati sumus. Propter pereuntes divitias, regni divitias amisimus. In hoc sæculo vano nos delectati sumus : sed in eo, qui non fruiti sunt, nunc lætantur : qui jejuniis indulserunt, oblectantur : qui se puros servarunt, in cœlesti thalamo choreas ducunt : qui paululum plorarunt, in æternum exultant : qui terrena despexerunt, cœlestia receperunt. Soli nos infelices suppliciis merito traditi sumus, et modo clamamus, et non est qui misereatur; ingemiscimus, et non est, qui liberet.

V. Ne igitur etiam nos cum illis insipientibus ejusmodi voces in futuro sæculo effundamus; venite, anticipemus finem nostrum; prævertamus furem animarum nostrarum; curramus, dum tempus habemus. Ingemiscamus, pœnitentiam agamus, expergiscamur, obsecro, a somno socordiæ nostræ; ex onere negligentiæ extollamus manus ad eum, qui potest salvos facere, dicamusque : « Jesu Christe, « Salva, » perimus [1]. » Festinemus solum ante quam sol occidat; ante quam janua claudatur : postquam janua clausa fuerit, nemo operatur : postquam conventus vitæ dissolutus fuerit, nemo negotiis operam dat : postquam spectaculum finem habuit, nemo coronatur, nemo certat, nemo pugnis contendit. Ideo, obsecro, curramus : cursu enim opus est, fratres, et cursu veloci, ut perveniamus, ne et nos pulsantes audiamus : « Noscio vos [2] : » celeriter pedem moveamus, erubesca-

[1] Matth. VIII. 25. — [2] Id. XXV, 12.

mus. Quoties Dominum contempsimus! quoties beneficum irritavimus! ipse beneficia largitur, et nos quotidie ingrati sumus: ipse miseretur, et nos aspernamur: ipse nutrit, defendit, præcavet, et nos in dies singulos ipsius mandata transgredientes, non confundimur. Erubescamus in posterum: tempus enim appropinquavit, et dies advenit, et oportet nos rationem redere ei totius vitæ nostræ[1]. Abstineamus deinceps ab immoderatis voluptatibus, a turpi risu, ne amare lugeamus. Desinamus tandem conviciis fratres afficere, injuriis persequi, odio prosequi. Desinamus pecunias congerere, delicate vivere, scortationibus indulgere. Demus operam precibus, obsecrationibus, jejuniis, pœnitentiis, et novæ vitæ commutatæ argumenta præbeamus. Confiteamur, convertamur, fratres. Conversionis enim tempus: pœniteat nos, pœnitentiæ enim tempus est, et lacrymarum multarum. Demonstremus Deo pœnitentiam sollicitam, et judicii diem in mente habitam, peccatumque tandem nobis execratum, sententiam vero correctam. Laboremus, quæso, hic breviter, ne ibi longis suppliciis castigemur: breve certamen ineamus, ne subdamur pœnis æternis. Tempus prope est, at vero judicium longum, et finis propinquus. Timor multus, et nullus liberator. Quæret enim unusquisque tempus, quod male perdidit, et minime inveniet.

VI. Væ negligenti, quia requiret aquæ guttam adustus, et minime reperiet. Væ ei, qui non credit, quia in æternum punietur. Væ ei, qui pœnitentiam non agit: quia ad severissimum judicem ibit. Væ ei, qui non currit, quia immitibus angelis tradetur. Qui aurum perdit, invenit alium: qui tempus perdit, fratres mei, aliud pro illo non reperit. De reliquo ne parcamus nostris corporibus, sed illa affligamus, quia « Beati qui lugent, qui esuriunt, et si-

[1] Rom. XIV, 12.

» tiunt [1]. » Etenim corpus lutum est, et veniet hora, diesque terribilis, et mala, et improvisa : et terra in terram ibit, et pulvis iterum pulvis fiet. Vigilemus, obsecro, itineri insistamus, ad sobrietatem redeamus. Veniet enim hora, et omnino veniet. Ne nos ipsos fallamus. Jam vero genio indulgeamus, tandem aggeremus divitias quinquaginta annis, aut centum, et post hæc senectus, et post hæc quid? Impotentia, et post hanc terribilis illa hora, quæ ab omnibus expectatur, et horretur, et negligitur. Magnum est videre animam separatam a corpore, magna hora necessitatis illius, quando vox occupabitur, quando lingua verbum clarum proferre non potest. Deinde vertimus oculos indesinenter huc, atque illuc, et astantes nobis amicos, vel fratres non internoscimus. Et si forte cognoverimus, ipsos alloqui non possumus. Filios lamentantes, ac lugentes videmus, atque hoc affecti dolore proficiscimur. In illa hora actionum sollicitudo non est, neque amicorum, neque ulla alia cura tenet nos, nisi nostrorum delictorum. Et quo pacto Judicis in conspectum ibimus? Et quam defensionem afferemus? et quam indulgentiam obtinebimus? Et qualis tandem locus nos recipiet?

VII. Tandem dum hæc cogitamus, repente imminent nobis angeli truces a Deo missi. Tunc nos illos aspicientes, adventumque eorum horrentes, si forte imparati inveniemur, quanta perturbatione capiemur, et a cubili fugere cupientes, vires deficient! Tunc aspiciemus ipsos oculis miserabilibus, et tristi vultu, orantes, deprecantes, supplicantes, obtestantes, clamantes : « Miseremini nostri Angeli sancti benigni, » dicentes : « Miseremini nostri : ne me sterilem, et impurum ad Creatorem abducatis, ne me peccatorem a corpore separetis, ne quæso, atque obtestor. Sinite me, ut parvo tempore pœnitentiam

[1] Matth. v, 6.

agam, suspirem, lugeam, misericordiæ operibus vacem. Exoro, placamini, quoniam male meam vitam impendi, atque consumpsi. » Hæc a nobis audientes Angeli respondent nobis : « O misera anima ! o anima vilis ! omnes dies tuos negligenter duxisti, et modo pœnitentiam agere vis? O anima, denique sol occubuit, denique tuum tempus finitum est : excisio advenit; Deus jussit, infelix anima, te exire in portis æternis secundum opera tua. Non est tibi jam salus, sed æternum supplicium. » Hæc audientes, et vera credentes, non fabulosa, contendamus ante illud tempus bene esse parati, et quamvis in consuetudine, in peccatis simus; sed abscindamus illa pœnitentiis : ne decipiamur, fratres. Judicium est, atque æternum supplicium, et ignis inextinguibilis, et vermis, qui non moritur, et tenebræ exteriores, et tartarus, et stridor dentium, et ejulatus, sicut Dominus in Evangeliis horum omnium mentionem facit, et non mentitur. « Cœlum, et terra transibunt, verba autem » mea non præteribunt [1]. » Idcirco formidemus, atque horreamus omnes, qui in peccatis viximus, et curemus ut cum Angelis numeremur per pœnitentiam.

VIII. Ne dicas mihi : « Furatus sum, occidi, neque me suscipit Deus; scortatus sum, neque me audit Deus : » nil tale dicas. Suscipit omnes, sicut latronem, sicut adulteram, sicut publicanum. Solum ne obdormiscamus, oro; ne simus negligentes pulsando per pœnitentiam, et dicendo : « Domine, aperi nobis, aperi no» bis [2] » indignis, vilibus, et peccatoribus propter nomen sanctum tuum. Ne claudas, te deprecamur; ne orbes nos misericordia tua, gloria tua, regno tuo : tu enim es Deus nostri pauperum, et omni alia spe carentium, et tuum est regnum, et potestas, et gloria Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth, xxiv, 35. — [2] Id. xxv, 11, et Luc. xiii, 25.

SERMO IV.

De pœnitentia et compunctione.

I. Fratres mei dilectissimi, dum tempus habemus, lugeamus in oratione nostra, ut liberet nos ab illo gemitu Dominus, qui finem non habet, atque a stridore dentium, et ab igne gehennæ, gratosque nos faciat in vita sine termino, unde effugit dolor, mœror, et suspiria ; ubi non est mors, et corruptio, sed per omnia gaudium, et lætitia, atque exultatio, et reliqua bona, quæ præparavit Deus diligentibus se. Beatus, ac ter beatissimus, qui dignatus fuerit illis bonis : infelix, et miser, qui ipsis privabitur. Ait enim Dominus : « Quid proderit homini, si mundum lucretur, et » detrimentum animæ suæ faciat [1]. » Ne igitur dulce sit nobis sæculum hoc malum, ut ne nobis amarus sit ille ignis inextinguibilis, et vermis æternus, et venenatus. Ad sobrietatem redi, o piger, atque in vita tua Christum imitare. Aspice eos, qui tecum sunt, quomodo decertant, atque ad propriam salutem incumbunt. Quomodo eorum lampades splendidæ sunt, atque ipsorum os semper laudes canit Deo immortali. Noli elatos imitari, sed in agone pugnantes : non qui delicias, sed qui jejunia sectantur : non qui rident, sed qui plorant : non qui tripudiant, sed qui orant : non qui cum risu carmina dæmonum cantant, sed qui psallunt eloquia spiritalia : non qui citharas pulsant, sed qui lectioni dant operam : ne æmularis ditescentes, sed humiles spiritu.

II. Gratias age Domino cum Davide, quod in humilitate nostra Dominus recordatus est nostri. Noli diligere delicias,

[1] Marc. VIII, 36.

sed perpessiones; non ebrios, sed famelicos, sitientesque: non qui contendunt cum humilibus, sed pacem sequuntur, et misericordiam; non feroces, sed mites. Ne versemur cum conviciatoribus, quia maledici regnum Dei non possidebunt. Nunquam amicitiam ineas cum hæreticis, neque manduces, neque bibas cum iis: minime cum illis iter facias, neque ingrediaris illorum domum, neque ecclesiam: omnia enim quæcumque habent impura sunt. Quemadmodum loquitur Paulus: « Coinquinatis, et infidelibus nihil est mundum, » sed inquinatæ sunt eorum mens, et conscientia[1]. » Muni igitur animam tuam, dilectissime: noli amicus esse hæreticis, ne particeps fias societatis eorum: quia, sicut dixit Dominus, non habent remissionem peccatorum, neque in hoc sæculo, neque in futuro: profecto ne ii quidem, qui cum illis versantur. Unusquisque enim metet, quod seminavit. Vide, frater, ne inimicitiam habeas cum aliquo, si fieri potest, neque horam unam, neque dormias unquam, simultatem cum aliquo exercens: ne forte nox alium ab alio sejungat, et invenias inexorabile judicium. Nunquam cesses orare, quando potes in faciem; quando minime potes, ora in spiritu. Ne expectes diem dominicam, neque loci differentiam, neque Ecclesiam: verum ubicumque extiteris, sive in campo arans, sive ambulans in via, sive oves pascens, sive in domo tua dormias, ab oratione tua ne desistas. Vide igitur, dilectissime, ne inimicitiam habeas: non enim admittit Deus orationem eorum, qui proximo suo non ignoscunt. Cave ne venena facias, neque incantationes, neque divinationem, neque amuleta, neque ab alio parata gestes. Non enim sunt præsidia, sed supplicia. De his loquitur Isaïas propheta: « Væ qui scribunt, injustitiam scripse» runt[2]. » Tu autem, ut fidelis, hæc fuge, habens veritatem, et salutarem, vivificamque crucem, atque in ipsa Dominum

[1] Tit. 1, 15. — [2] Isaï. x, 1.

clavis affixum, qui custodit omnes diligentes crucem immaculatam, ac vivificantem. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De Pœnitentia.

I. Discamus, o peccatores, quid sit misericordia. Discat avarus, quo pacto se in alios benignum exhibeat. Compatiamur nobis mutuo in pace, fratres, pleno affectu, omnique benignitate, antequam animas nostras possit improbus adversarius expoliare. Quæ mihi per Spiritum sanctum denuntiata sunt, cunctis manifesta cupio. Tametsi demens ego sum, nec eorum quidquam servaverim, quæ didici; discat alius, et servet. Ut tamen sermo, sive ex me, sive ex vobis non moriatur, aut absque fructu maneat; ne regis talentum, ad negotiandum in eo datum, abscondamus, quod vitæ quæstu plenum est. Nolim me ducem sequaris, discipule, si a via recta deflexero : et si peccantem me conspexeris, ne insistas vestigiis meis. Deum et Scripturas sacras contemplare : his tua nutriatur anima. Quæ tradunt, præcipiuntque, exequere; et sicut edoctus es, ita in iis ambula, et persevera. Doceri ab aliis vehementer cupio : docendi munus perhorresco. Cum mente revolvo, qua ratione vitam traduxerim, timore, ac tremore corripior : iniquitatibus enim me scatere comperio. Dum me ipsum examino, vulnera mea nequaquam alligo, neque evellere conor quæ in me exorta sunt zizania; sed semper in spe expecto. Ne suspires, discipule; nam et magister tuus simul vapulat. Quid inani cruciaris dolore, o fili? quorsum frustra lamen-

taris? Malignus ille perpetuas menti tuæ offundit tenebras, ut sis ei pars hæreditatis. Quoniam Satanas subdole, ac fraudulenter multos mœrore conatur afficere, gloria expellere, et desperantes in gehennam detrudere. Furto tibi sublatus est thesaurus? sed adhuc bonæ negotiationis tibi aperta remanet via : tempus adhuc tibi suppetit recuperandi thesaurum tuum; modo ne desperes, sed sedulo, ac sollicite eum collige, atque recupera. Et si telo vulneratus sis, penitus animo ne concidas. Ad mortem usque perferas, ne timeas ictum. Ostende tuam in certando scientiam, ac robur, ut refulgens gloriæ corona texatur tibi. Et si a latrone spoliatus sis, a cursu incœpto cave desistas. In bello contingit, ut et feriamus et vulneremur. Etiamsi pruina tuum agrum læserit, iterum ac tertio fodito, impigreque ipsum excolito, et diligenter serito. Ecce plenæ tibi nubes, ac pluviæ adveniunt. Ne te latro pellat via. Non terrearis : neque, onere in medio viæ relicto, procedas : sed regiæ semper viæ insistas. Ex conflictu, ubi vulneratus es, victoriam referre contende.

II. Quo modo antea tuo thesauro spoliatus es, poteris rursus etiam tibi eumdem recuperare : « Nam in loco, » in quo rex Achab fudit sanguinem Naboth, ibi canes » linxerunt sanguinem impii Achab, sicut scriptum est[1]. » Nabothem ejecit propria vinea; te autem peccatum removere vult a Christo. Achab Satanæ typum gerit; at Jezabel figuram iniquitatis : uterque vero tuum sitit sanguinem. Sicut sanguinem Naboth expetivit impius Achab, qui sicut dolo Justum illum peremit : ita et justo Dei judicio pœnas luit. Ad occidendum dolo Justum celer ille fuit, sed ipse quoque periit, simul atque Justi vindex ultorque Deus apparuit. Et nunc quidem invisibilis nobis est colluctatio, sicut ait Scriptura : « Nostra autem colluctatio non

[1] 3 Reg. XXI, 19, et XXII, 38.

»est cum sanguine, et carne, sed adversus principatus et »spiritualia nequitiæ[1].» Satanas latenter atque dolose homines impugnat: Christus autem omne ipsius consilium evertit, nobisque ad eum conculcandum vires addit. Non est tibi levis risuque digna colluctatio, frater; siquidem Angeli omnes, et horum Dominus tui sunt certaminis spectatores, quod adversus inimicum suscepisti. Si victor inde evaseris, tunc Deus et Angeli plaudent, lætantesque Angeli, Deum collaudabunt, quod tibi adversus hostem malignum vires ac robur præstiterit. Quamobrem bellum tibi magis magisque augetur, ut et ipse proberis, et Deus laudetur, et homines sint tui imitatores.

III. Si igitur, ut præfati sumus, telo inimici confossus fueris, noli omnino animo concidere; sed quotiescumque victus fueris, ne jaceas in arena, verum confestim surge, et inimicum superare contende. Etenim paratus est Agonotheta dexteram tibi porrigere, ut e tuo lapsu consurgas. Cum enim tu dexteram prior extendis, ipse quoque suam tibi porrigit dexteram, ut te sublevet. In id iniquus hostis studium omne operamque suam impendit, ut te, cum cecideris, in desperationem adducat. Tu igitur charissime, noli fidem ipsi adhibere: sed etsi septies in die cecideris, surgere contende, et Deo per pœnitentiam reconciliari. Quis enim, nummo e marsupio extracto, marsupium ipsum abjicit? aut quis unquam mercator, relictis nundinis, collectas reliquias ac merces in mare projicit? Cave te ipsum armis spolies, quæ Christus tibi dedit, et terga vertas inimico in tui Domini contumeliam. Clarum tibi et manifestum exemplum dabo. Vani hujusce sæculi athleta etiamsi ab antagonista graviter vulneretur, non tamen animo concidens, certamen devitat. Qui enim nunc vincitur, paulo post eum victorem esse contingit. Ne dif-

[1] Ephes. vi, 12.

feras de die in diem ad Dominum converti, ne forte ex improviso te occupet tremendi Judicis sententia, te ad ipsum vocantis, ut lucrum ei reddas, quod ex talentis ipsius comparasti. Noli, pro laudibus, et præmiis, pedibus manibusque ligatis, reus fieri tenebrarum exteriorum. Contende, quandiu tempus habes, Judicem prono vultu adorare, ut cuncta tibi peccata condonet; ut nos tecum, frater, gaudeamus, et laudes Deo persolvantur : cui convenit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

De pœnitentia.

I. Ne ergo vano percellamur timore, ac timore quidem, qui non est timor : « Perfecta enim charitas foras mittit timorem[1]. » Et quis timor mundanus ad timorem divinum comparatus ? Quæ gloria hominis corruptibilis ad Dei magnificentiam, ineffabilemque potentiam, et gloriam immarcessibilem ? Cum igitur adhuc terrenarum rerum cupiditate distrahimur, mentem nostram per fidem, et cognitionis illuminationem ad invisibilia adjicere nequimus : quamvis, vel ex iis, quæ cernuntur, ineffabilem immortalis Dei potentiam conjectantes, timeamus ipsum. Rex volens transponere aliquam petram, nisi vectibus atque adminiculis utatur, eam suo movere loco non poterit : ipse autem in terram aspiciens, tremere eam facit. Non igitur mente obstupescis, considerans quis montes, et pondera vel solo aspectu moveat; et quo pacto rursus solo verbo voluntatis suæ, universum firmat orbem ? Non admiraris autem et super coruscatione fulguris et sonitu tonitrui, quod non modo

[1] 1 Joan. IV, 18.

his terreantur homines, verum et jumenta, et feræ, et volucres, et quæ in aquis vivunt? Sed quæcumque dixerimus, non assequemur.

II. Quare procidamus ipsi, et ploremus coram bonitate ejus, confitentes atque dicentes : « Tu noster Deus, et non est alius Dominus. Tibi peccavimus, tibi genibus advolvimur : neque enim est qui resistat tibi. Si vis, potes nos salvare, Domine. Bonus es, Domine, et misericors. » Et licet simul rapti cecidimus, per pœnitentiam sanari studeamus. Si vero ut homines abrepti perturbationibus sumus, ne in finem usque animum nostrum despondeamus : sed agnoscentes illum, qui nos vocavit, Deum, et vocationem, qua vocati sumus, ipsum dicentem audiamus : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum[1]. » Neque vero super aliquibus peccatis limitavit pœnitentiam, super quibusdam autem non ; sed ad omnem plagam peccati, nobis magnus ille animarum nostrarum Medicus dedit magnum hoc remedium. Perversos igitur animæ nostræ mores excindamus, et loco cauteriorum, timore utamur divino, in quo poterimus peccati impetus reprimere, ut non confundamur in resurrectione mortuorum : quando omnia prodibunt in lucem, sive boni quid egerit quis, sive mali. Ait enim sacra Scriptura : « Quæ est vita nostra? » Vapor est, ad modicum parens, et deinceps exterminabi- » tur[2]. » Concupiscentias igitur aculeatas, atque spinosas omittamus, casta cogitatione insultus libidinosarum cogitationum repellentes. Quia scriptum est : « Sancti estote, » quoniam ego sanctus sum[3] : » ut gratia Salvatoris nostri Dei vitam sortiamur incorruptibilem, obliviscaturque nostrorum peccatorum Dominus per suas miserationes, nostramque conversionem, et veram pœnitentiam. Et si quis eorum, qui videntur abundantius laborasse, murmuret de

[1] Matth. III, 2. — [2] Jacob. IV, 15. — [3] Levit. XI, 44.

magna misericordia Domini, uti quod celeriter assumptus sis, pro te rationem est redditurus omnis creaturæ Dominus dicens: « Amice, non facio tibi injuriam. Nonne denario » convenisti mecum? tolle quod tuum est, et vade. Volo et » huic novissimo dare, sicut et tibi [1]. Deus enim qui justifi- » cat: quis est qui condemnet [2]? » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

SERMO VII.

De pœnitentia et patientia.

I. Quis, obsecro, secum cogitans expendensque vitam hanc lubricam esse et rursus fugitivam atque instabilem, ac tanquam tabernaculum, quod dissolvitur, non retinet suam animam prudenter munitam; ne irruat super ipsum horribilis ac magna illa, quæ improbos ac peccatores manet, Dei sententia? Cujusmodi nobis suffecerint fontes lacrymarum, ut antequam periculum faciamus, flammam restinguamus? Et quis placatum pro nobis reddet Judicem, ne nos peccatores condemnet? Quis putas Sanctorum remissionem nobis peccatorum a benignissimo Deo implorabit? Quisnam Dei iram in miserationem, et rursus justitiam in misericordiam convertet? nisi solus, qui supplex ipsum deprecatur Judicem, quique ligat onus peccatorum suorum, portatque ac solvit, et quando voluerit sublevat. Ligamus enim vehementer onera, peccando: rursusque sublevamus, si forte pœnitentiam egerimus. In nobis igitur est solvere et ligare; ad Deum vero pertinet procidentibus sibi condonare. Vere etenim benignum habemus Dominum,

[1] Matth. xx, 13, 14. — [2] Rom. viii, 33.

prævia pœnitentia sarcinas servorum solventem. Quare ante nostram hinc emigrationem, supplici confessione instanter ipsum deprecemur Judicem, ut nos a minis suis liberet. Si Noë, et Job, ac Daniel amici atque Prophetæ Dei, magnam in Domino habentes fiduciam, steterint pro filiis, Deum deprecantes, ut suam ab ipsis ultionem averteret, nihil omnino profecerint, neque eorum susceptæ sint preces: quid nos agemus, si nos ipsi neglexerimus? Quis autem nos ab ira Dei liberabit, nisi solus qui judicat et justificat Deus? Considera quantum pro beneficiis a Deo acceptis retribuerint sancti Martyres in terra certantes? Quanta iis in Deum per martyrium fuerit fiducia? Crimina deleverunt, et non tantum munera acceperunt in hac vita, sed quod amplius est, etiam cœlorum regnum, atque paradisum consecuti sunt. Quoniam pro compensatione, sanguinem suum pro pretiosissimo, et incomparabili sanguine Domini fuderunt. Ac deinde etiam in stadio ac cursu, non filiis duntaxat, sed et conjugibus divinum præferentes amorem atque desiderium, coronati sunt; ut quibus placuerit per probationem verberum venire ac sequi, coronas eorum certaminis accipiant: tantopere enim Salvatoris amor ac desiderium, mentem eorum ad suum pertraxit stadium, ut pro corruptibilibus incorruptibilia bona consequi liceret. At nos servi, quid Domino, ac Regi gloriæ retribuemus? Qui etiam sæpe ne verbo quidem nos a fratre offendi patiamur, oblivioni interim tradentes propria vulnera, occulta et manifesta, quæ novit Deus, et neque nivis ex aëre defluxum sustinentes. Alii ob amorem Dei dissecti meruerunt accipere coronam. Nos autem, cum sine tormentis martyres esse queamus, potius contraria agentes, inutiles permanemus: et a bestiis interea, intellectualibus, inquam, illis spiritibus, ac improbis dæmonibus capimur.

II. Quid facis, o homo, virtutis contemptor? Dedit te

Creator tanquam aurum conflandum atque probandum, per contumelias scilicet, ac tentationes, ut vas electionis ac puritatis in multa patientia ac longanimitate efficereris. Siquidem vir expers tentationum probari nequit, maxime vero solus ego, qui hæc composui, quique in cunctis non inutilis solum, sed et peccator sum; qui omni virtute destituor; qui non sum dignus vocari frater vester, quoniam tribulationem, quæ mihi coronam conciliasset, subterfugi, reprobus permanens, quique Martyrum celebrare laudes ausus sum. Quando enim similium præconia laudesque attingo, acerbe defleo, graviterque arguor stimulis conscientiæ agitatus, et malorum me operum ferit retributio in judicio futuro. Non enim sum dignus in altitudinem cœli defigere oculos, eorum depressus gravamine. Si enim Martyrum celebrare encomia incœpero, bestiæ instar me inter cogitationes aggredietur conscientia, redarguarque a Deo, qui occultissima quæque omnium contuetur hominum. Ait enim : « Et tu quis es qui gloriaris in operibus alienis, cum ipse valde sis inops ? Quam ipse daturus es rationem Deo, qui ex tenebris te in lucem adduxit? Audes prædicare virtutes, quas ipse non imitaris ? » Aut potius quandiu ego non tacebo, qui ipse nihil omnino boni possideo, edicere vestra? cum autem benignissimum habeam Dominum, non cessabo Martyrum referre laudes. Sic reputa; ego solus indignus sum, et omni virtute carens; tamen apud argentarios pecuniam depono, ut quando venerit Dominus, cum usura eam repetat : et ut talenti actionem ac crimen effugiam, ne cum homine illo improbo, qui talentum in terra defodit, condemner. Præbeoque consilium cupienti salvari, non ut me peccatorem imitetur, verum ut verba mea vult sapiens accipiat. Quanquam in minus esse opus dicere arbitror. Omnes enim norunt voluntatem Dei, parvi, ac magni, ac nobiles, et mendici. Et novit quisque, si quod sibi sit

utile consideret : tum etiam quæ Dei sit voluntas, et quomodo oporteat salvari.

III. Audistis, arbitror, quod præparata nobis est gehenna et ignis inextinguibilis ; stridor dentium, et tenebræ exteriores, insuper et vermis, et formidabilis fluvius exurentis ignis ante conspectum Judicis vehementissime trahentis, et nobis per minas a benignissimo Domino intentatus, nisi mandata ejus divina servaverimus : nisi flammam illam lacrymarum rore asperserimus ; nisi per pœnitentiam, gehennæ incendium restinxerimus : nisi sobrietate, ac pudicitia vermem illum occiderimus ; nisi infallibilem Judicem, quandiu in mortali sumus vita, rite placaverimus ; nisi in hoc sæculo eum, qui nos ibi judicaturus est, in confessione præoccupaverimus : nisi pœnitentiam ei exhibuerimus, quæ sola flectere potest Judicem. Diabolo enim ac angelis ejus, non nobis tormenta apposuit Deus : sed propter nostram improbitatem atque malitiam, supplicio intolerabilium mulctamur tormentorum. Et quæcumque callido atque versuto draconi intentatæ sunt minæ, eas nostra sponte sustinemus. « Discedite enim, inquit, in ignem æternum, » paratum improbo draconi, ac angelis ejus[1] : » Non ait : « Hominibus : » nam si in præsenti vita tantam adversitatem, suppliciorumque hic genera inenarrabilia perferunt, qui improbe vivunt ; quanto magis infallibile, et incorruptum illud, dico, judicium judicantis, dira præbebit, et intoleranda iis, qui male in eum deliquerint, nobis, inquam, peccatoribus, in futuro tempore ? O quanta nostra est cæcitas. Rogemus Deum, ut nos exaudire dignetur, aperiatque portam a nobis occlusam, introitus ad ipsum, hoc est supplicationis, et orationis.

IV. Quid facis, o homo, qui insipientia laboras ? Semper porta Domini cunctis patet hominibus, parvis simul ac

[1] Matth. xxv, 41.

magnis ; et nobis ipsis molestum est eam aperire nobis, quin et nobis ipsi hanc obseramus. In nostra enim potestate est, eam nobis vel aperire vel claudere. Quod si a peccatis abstinuerimus, semper apertum erit ostium miserationum Domini nobis mortalibus : at si peccaverimus, continuo occludetur. Famulis ad ipsum Deum in oratione accedentibus, janua a Deo non præcluditur, sed omni tempore patens est quærentibus eum. Quoniam ipse dixit, qui petentibus postulata concedit, petendum, quærendum atque pulsandum : ut confestim, et incunctater detur. Cave, tibi ipse crudelis sis miser. Cave quoque, Deum inhumanum dixeris. Sed nos rei sumus, qui per malitiam nobis aditum intercludimus, et januam precationibus fabricamus. Pace igitur facta, tibi ipse reconciliare; animamque, quam ligasti vinculis, solve ac libera. Stat enim Deus adhuc te expectans, ut tu homo reconcilieris Domino. Ipse enim semper tuum sitit reditum, uti viventem honorifice excipiat. Concilia igitur et consocia internum hominem cum externo, ac deinceps ex acerbissima servitute in libertatem te assere. Sicque quam tibi occluseras januam, semper ad supplicationes tuas apertam reperies. In quo, Patri gloria, et Filio, et Spiritui sancto nunc, et in sæcula. Amen.

SERMO VIII.

De patientia et compunctione.

I. Creator noster Deus infirmitatem mentis nostræ, et versutiam adversarii exploratam habens, sacras nobis donavit Scripturas, veluti armamentaria atque thesauros medicamentorum. Sunt autem in armamentariis tela et

arma diversa. Ait enim David : « Et posuisti ut arcum æreum » brachia mea[1]. » Ac rursus : « Emisit sagittas, et dissipavit » eos, et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos[2]. » Et alibi dicit : « Et accipiet armaturam zelum suum, et armabit » creaturam ad ultionem inimicorum. Induet thoracem » justitiæ, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet » scutum inexpugnabile, æquitatem : acuet autem diram » iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum con- » tra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tan- » quam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et » ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mitten- » tur grandines. Excandescet in illos aqua maris, et flumina » concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et » tanquam turbo venti ventilabit illos[3]. » Et Elisæus dixit : » Noli timere ; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. » Cumque orasset Elisæus, ait : Domine, aperi oculos pueri, » ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit. Et » ecce mons plenus equorum, et currus ignis in circuitu » Elisæi[4]. » Esaïas vero : « Et posuit os meum, quasi gladium » acutum : et in umbra manus suæ protexit me : posuit me » sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me[5]. » In Ezechiele autem dicit : « Et tu, fili hominis, sume tibi » gladium acutiorem novacula radente pilos : assume eum » tibi[6]. » Idcirco et Apostolus nos instruit, dicens : « Induite » vos armaturam Dei : ut possitis stare adversus insidias » diaboli[7] ; » ut cum nos invaserit inimicus, armis jam dictis nos munitos offendat. « Arma autem nostra non carnalia » sunt, sed potentia Deo[8] : quoniam non est nobis colluc- » tatio adversus carnem, et sanguinem, sed contra spirita- » lia nequitiæ[9].

[1] Psal. xvii, 35. — [2] Ibid. 15. — [3] Sap. v, 18-24. — [4] 4 Reg. vi, 16, 17. — [5] Isaï. xlix, 2. — [6] Ezech. v, 1. — [7] Ephes. vi, 11. — [8] 2 Cor. x, 4. — [9] Ephes. vi, 11.

II. Cæterum in thesauris multa ac varia recondita sunt salutis adminicula, et de pœnitentia ac de salute animæ sermones, ut si quis contra diabolum in acie constitutus vulneretur, mox studiose ad medicamentorum thesaurum recurrere discat, adhibitoque ad vulnus curandum pharmaco pœnitentiæ, et sanitate recuperata, iterum pro suo Domino in prælium descendat. Cumque despicientia atque desidia telum sit inimici, quo multos vulneratos dejicit; nobis adversus negligentiam, pro vexillo patientiam assumamus oportet, frequentius nobiscum id Scripturæ recolligentes: «Viriliter age et confortetur cor tuum, et sustine »Dominum[1];» ut verbo isto confirmata anima, facilius injectas ab inimico perturbationes perferre queat, et velut baculo innixa, aut tanquam vehiculo sustentata sublevetur labore. Quare crebris illud usurpemus sermonibus, et nobiscum et cum aliis colloquentes: «Viriliter age, et confor»tetur cor tuum, et sustine Dominum.» Plurimum enim nobis conducet hoc dictum, sive jejunemus, sive vigilemus, sive oremus, sive operemur, sive quid aliud faciamus. Siquidem ad incœptum virtutis opus perficiendum, alacritatem in nobis excitat. Donec igitur suppetit tempus, decerta, ut et suo tempore metas, non deficiens. Non delecteris odio. Detestare invidiam, rixas, atque contentiones, et vanam gloriam. Aversare mores pravos et detractiones. Adhuc enim modicum et invidia hæc et inimicitia adversus proximum cessabit: paulo post namque separabimur ab invicem.

III. Et quorsum, fratres, in nobis livorem atque invidiam regnare permittimus? Cur te ipsum, o homo, extollis, qui paulo post in terram et cinerem resolveris? Ama compunctionem, appete tolerantiam. Dilige continentiam, ut multis tentationibus curisque vanis libereris. In lacrymas

[1] Psal. XXVI, 14.

orans prorumpe, ut requiem invenias, quo abiturus sis. Opus tuum cura, ut sapiens et intelligens. Nam impudentia et risus nihil tibi in hora mortis proderunt, sicut neque scurrilia. Hæc enim in cordibus stultorum vigent, et dominantur. Sed neque fallax simulatio, nisi ex corde timueris Dominum. Ama humilitatem ex corde vero, et invenies gratiam apud Deum omnipotentem, et hic et in futuro. Quodsi vero te ipsum exaltaveris, sicut folium, quod a vento in arbore rapitur, facillime commoveberis. Quæ enim in hac vita sunt dulcia, fugiunt, velut umbra. Ne sis domus amaritudinis, ne te corrumpat venenum ejus, antequam proximo acerbitatis virus impertias. Ne erubescas in corde humili reverentiam servare. Qui enim pervertunt te, nequaquam in die necessitatis tibi proderunt. Deum time totis viribus tuis, et ipse tibi monstrabit viam, qua te salvari oporteat. Posside autem humilitatem ac mansuetudinem, et superveniet in te gratia timoris Domini. Nihil habet inquinamentum carnis, præter condemnationem et ignem inextinguibilem : sanctificatio autem, et in hoc sæculo laudem et gloriam, et in futuro coronam immarcescibilem possidebit. Corpus tuum, frater, templum est Spiritus sancti in te habitantis [1]. Curam ergo templi habe, ne inhabitantem in te contristes.

IV. Sed forte dixerit quispiam : « Et ego me vellem ab omni inquinamento purum conservare, sed quid agam? neque enim vinco. » Similis ejusmodi est, qui hostes vult vincere absque pugna, atque labore; quandoquidem et contra nos ipsi tela iis porrigimus, qui nos oppugnant. Cum enim segniter, atque incaute disponimur ad muniendas fores animæ, nonne insidiatores salutis sumus propriæ, aditum patefacientes adversariis? Quando enim oculis nostris, libere contemplandis quæ non oportet, utimur; cum

[1] Cor. III, 16, 17, et VI, 19.

ne proprium quidem corpus, fas est eum secure, qui in virtute exercetur, contueri; hinc nobis damna conciliamus. Quando rursus aditum nostrum flagitiosis rumoribus, et canticis meretriciis accommodamus; annon ipsi nobis malum accersimus? Similiterque os nostrum detractionibus, ac turpiloquiis contaminantes, non refrenantes linguam nostram, verum sicut scriptum est: «Lingua cons»tituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, »et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a ge»henna[1].» Nares unguentis odoriferis et aromatibus opplentes; manus quoque inordinate admoventes iis, quæ non oportet; et pedes in viam non rectam dirigentes. Cumque sic ista agamus, quomodo temperantiæ drachmam Domino persolvere poterimus? imo ne faciem quidem terræ per continentiam, strenuosque labores adæquantes.

V. Sed quî fieri potest, ut fumum arceamus, quominus per eas, quæ patent, ingrediatur fores, igne contra assidue succenso? Quod si fumum propellere velis, fores munitas serva, ne domus tua per sensus nigrescat: brumali tempore fenestras pessulo obfirma, ne a frigore lædatur corpus tuum. Circa utilitatem porro animæ, quomodo usque adeo nos pigros ostendimus? Rationem nos dare cordium Scrutatori oportebit de custodia templi nobis concrediti. Domum ex luto, lapidibus, ac lignis fabricatam, ubi corpus foveatur, curamus sedulo, at ea præstantiorem negligimus. Magna igitur confusio tunc erit, et judicium durum ei, qui polluerit templum Domini, nisi prævia pœnitentia consecutus sit remissionem, lacrymisque suis maculas expiaverit. Odio habentes vanam gloriam et socordiam, atque iracundiam, formasque inutiles, contemplemur optima vivendi instituta Sanctorum, quorum etiam imitemur vitam. Sobrii simus, et vigilemus, ne forte nos fœminarum coar-

[1] Jacob, III, 6.

guat industria, atque sedulitas. Disce sollicitudinem pari cum humilitate junctam Rebeccæ, et virtutem sanctæ illius mulieris admiraberis, quomodo advenam hospitio exceperit. Scriptum enim est : « Descenderat autem Rebecca » ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur : occurritque ei servus, et ait : Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit : Bibe, domine. Celeriterque deposuit hydriam super brachium » suum, et potavit eum, quoadusque cessavit bibens : et » dixit : Et camelis tuis hauriam aquam [1]. » Atque multis ante sæculis evangelicam implevit vocem, qua sic loquitur Dominus : « Si quis te angariaverit ad milliare unum, vade » cum illo alia duo [2]. » Sic et Sancta hæc gratiam duplicavit, dicens : « Bibe, domine, et camelis tuis hauriam aquam, » donec cuncti bibant. » Et hæc dicens, non est contenta verbis, donec et opere sermonem compleret, secundum illud : « Non enim in sermone est regnum cœlorum, sed in vir» tute [3]. » Totam enim, inquit, hydriam evacuavit in cana» lem, et cucurrit ad puteum ad hauriendum, et hausit » aquam omnibus camelis [4]. » Et hic animæ ejus virtutem contemplare : nihil enim segniter, nihil superbe, nihilque arroganter factum comperies. Hominem peregrinum appellabat dominum, et viatori tanquam vera ancilla ministrabat. Ita quoque et Jacob egit, lapidem ab ore putei revolvens, et potans oves Laban fratris matris suæ [5]. Sed forte quis præteriens hic dixerit propter cognationem id accidisse : verum ab operibus Moysis convincetur talis. Dicit enim sacra Scriptura : « Fugiens autem Moyses de cons» pectu Pharaonis, moratus est in terra Madian, et sedit » juxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, » pascentes oves Jothor sui patris. Supervenerunt autem

[1] Gen. xxiv, 15-19. — [2] Matth. v, 41. — [3] 1 Cor. iv, 20. — [4] Gen. xxiv, 20. — [5] Id. xxix, 2.

» pastores, et ejecerunt eas. Exurgens autem Moyses, li» beravit eas, et adaquavit oves earum [1]. »

VI. Magna est gratia, quæ refulget in mentibus Sanctorum tuorum, Domine, cum matrem virtutum a simulatione alienam charitatem indutæ sint. Quocirca omni labore, ac studio ama divinarum Scripturarum audire dogmata. Quotidie de corpore nutriendo sumus solliciti, optime condiendo cibos ejus: de animæ alimento nihil penitus curamus; cum contra conveniat potius, Christo dilecti fratres, cibum carnis despicere, ut anima in Spiritu nutriatur sancto. Comede quotidie panem, quem divina largitur Sapientia, et bibe aquam ex spiritali scaturientem petra, ut mens tua corroboretur ad illuminationem intellectus. Nam corporeorum ciborum fruitio, quoadusque buccella pertransierit guttur, et e vestigio cessat eorum sapor, atque voluptas. Sed quorsum extolleris, o homo, et splendido vestitu delectaris? Quando enim quis tota die indutus pretiosa veste fuerit, ubi nox advenerit, exuitur ea, ventreque cibis repleto, convertitur ad somnum: et sæpe bestiolæ atque vermiculi super eum repunt impune, ipso interim dormitante atque stertente instar mortui absque ullo plane sensu. Mane autem facto, se lecto citissime movet, induensque se vestimentis suis splendidis, putat se in vanitate extolli, qui paulo ante in tenebris jacebat, et paulo post in sepulcro dissolvetur. « Si ergo volueris gloriari, in » Domino gloriare [2]. » Si autem et opes tibi fuerint, recte iis utendo et agendo, thesauriza tibi thesaurum in cœlis beneficentia. Nam si ad mortis usque horam cuncteris, Angelis sæpe tunc animam ad emigrandum sollicitantibus, quibus etiam nolles divitias tuas relinques. Ne ergo verearis initium bonæ capessere vitæ. Si enim vel gustaveris saltem dulcedinem sancti Spiritus, illuminabitur tibi mens tua ad

[1] Exod. II, 15-17. — [2] 2 Cor. X, 17.

incorruptibilium rerum curam et meditationem. Idcirco dicit Spiritus sanctus : « Gustate et videte, quoniam suavis » est Dominus[1]. » Felix ille, qui in hora mortis inventus fuerit hostia sancta beneplacens Domino, multoque cum gaudio migrat e corpore, et relinquit vanitatem hujus vitæ, quem militiæ cœlestis Angelorum exercitus contemplantes, collaudabunt, velut conservum probatum in Domino.

VII. Rursus audeo impuro ore obtestari te sanctum, et immaculatum, purissimumque Dominum : et ex corde malo atque adultero, quotidie ad te sanctum, et Redemptorem suspiria gemitusque emitto. Siquidem quotidie ab adversario ad impurarum cogitationum meditationem pertrahor, et cœlum aspicere confundor. Siquidem confusio et improperium mihi præ multitudine iniquitatum mearum ingeritur. Supplico autem tuæ bonitati, compatere ut misericors, expelle ex mente mea corruptorem dolosum, et vindica me ante mortem a portione impiorum. Recordare mei, Domine, in misericordia, et miserationibus : et inclina aures tuas in orationem servi tui, ne cum superbis ego condemner; ne a conspectu oculorum tuorum repellar; ne fiam sempiternæ particeps perditionis; ne in profundum demergar abyssi; ne in penetralibus concludar inferni; ne mihi substernant putredinem, et diversorium meum ne sit vermis; ne in æternis concludar tenebris, sub montium fundamentis vinculis constrinctus sempiternis; ne truculento tradar angelo, neque in igne comburar inextinguibili. Recordare mei, Domine, et salva me, Sancte, qui inter Sanctos requiescis. Dixisti, Domine : « Petite et dabitur vo- » bis. » Misericordiam ac commiserationes deposco; præbes enim abundanter cunctis, et non improperas, Domine Deus omnipotens. Bonus enim es, et benignus. Da nobis gratiam invenire in conspectu gloriæ tuæ, Domine. Glorificetur in

[1] Psal. XXXIII, 9.

nobis tuum sanctum nomen, Domine. Glorificent nos Justi cum lætitia et exultatione, in æterna tabernacula tua, Domine, liberatos e superborum manibus. Quis horridum audiens verbum, ad te singulis horis clamitare cessabit? Ait enim sacra Scriptura: « Si Justus vix salvabitur, im» pius et peccator ubi parebunt [1]? » At nos tuis miserationibus confisi, insistimus orationi, deprecantes, ut ab inextinguibili liberemur igne, metuque futuro. Olim siquidem Angelus tuus, Domine, comam prophetæ Habacuc apprehendens, in momento temporis eum statuit in Babylone super lacum leonum, ubi inclusus detinebatur Daniel, rursusque confestim in terram suam ipsum restituit [2]. Nos autem tua, Domine, gratia refoveat, et sine timore traducat per chaos illud ingens atque horrendum, quod firmatum est in medio Justorum et injustorum, ut liberati dicere possimus: « Gloria Patri, qui nos liberavit ex tenebris inferni, et posuit nos in paradiso voluptatis. Gloria Filio, qui nos liberavit ab inextinguibili igne, ac verme æterno, nosque dignatus est hæreditate cœlestis atque supernæ Hierusalem. Gloria Spiritui sancto, qui nos liberavit ex corruptela peccatorum, et confusione sempiterna, nosque coronavit in exultatione, in lumine vero, et exuperanti gloria in sæcula. Amen. »

SERMO IX.

Parænesis de patientia, et de animæ compunctione.

I. Charissimi, præbeamus nos tanquam strenuos milites, pro rege nostro Christo alacriter mortem oppetentes.

[1] 1 Petr. IV, 18. — [2] Dan. XIV.

Quando enim adhuc in sæculo eramus, quando in humanis negotiis versabamur, talia non patiebamur, neque tot ærumnas sustinebamus; nunc autem, cum accesserimus ad Dominum, ut ei maxime placeamus, incursiones ejusmodi, tentationes, vexationesque in nos improbi hostis excitantur. Vides autem nos hæc Domini causa perpeti : cum enim nobis inimicus invideat, nosque a vitæ via conetur abducere, in mollitiem, desidiamque nos inducit, ne Deo complacentes, salvemur. Quantum igitur adversum nos malignus exurgit : tantum nos in patientia inveniamur viriles, magnanimi, strenui et alacres, paratos nos præbentes ad sustinendum usque ad mortem, propter spem in Christum, et cunctæ ejus insidiæ dissolventur. Habemus siquidem defensorem et propugnatorem nostrum Christum, quique nobis oppressis et sperantibus in ipsum patientiam præbet, illosque confundit; nobis interim præmia victoriæ atque laborum, id est, regnum cœlorum, propter Dominum, reportantibus.

II. Præbeamus ergo nos velut incudes percussi, et nequaquam terga vertentes; neque aliquam notam mollitiei, vel despicientiæ, desidiæve per flagella atque tentationes in nos admittentes. Cæsi vincamus adversarium, per patientiam. Etenim Dominus noster sic hanc vitam traduxit, flagellatus, contumeliis affectus, consputatus, lapidatus, ac denique ignominiosa quoque morte crucis, ab impiis affectus : omniaque sustinuit propter nostram salutem, nobis exemplum vitæ relinquens, ut qua via tribulationum, tentationum, ac mortis ipse ambulavit, eadem quoque qui in ipsum vere credunt, et cohæredes regni ejus fieri desiderant, iter suum instituant. Ut quemadmodum ipse per multas passiones, postremo autem in cruce moriens, vicit crucifixus, et moriens superavit, interemit, condemnavitque peccatum in carne, abigens adversarias potestates,

sicut scriptum est: « Expolians principatus et potestates in » cruce, ostentavit palam, triumphans illos in semetipso [1]: » Ita et nos omnem ipsius insultationem, angustiamque ab hoste improbo illatam, viriliter alacriterque etiam ad mortem usque si sustinuerimus; tunc adversarium superabimus, per fidem et patientiam, ac spem firmam in Dominum. Sicque probati inventi, et hinc redemptionem merebimur, sanctique Spiritus sanctificatione implebimur, et hæreditatem deinde vitæ æternæ consequemur. Nam in spiritali certamine, victoria contra adversarium per passiones et mortem comparatur. Patiendo igitur et moriendo propter Dominum, promptissime superabimus omnem inimicorum potestatem. Neque ergo nobis laboriosum sit quamcumque tribulationem ac tentationem perferre: sed desiderium omne in Dominum, et ob oculos mortem ejus statuentes, cum patientia quæcumque sustinebimus. Et sicut dictum est a Domino: « Quotidie tollentes crucem ejus, quæ est mors, sequamur ipsum. » Atque ita facile quamcumque afflictionem tolerabimus, sive occultam, sive manifestam. Si enim mortem a Domino sustinere expectamus, et coram oculis ponentes, semper desideramus, quanto magis qualescumque afflictiones graves, opportune importuneque cum omni prorsus gaudio sustinebimus? Propterea graves nobis, molestæ, et intolerabiles res adversæ videntur; cum mortem Domini continuo ob oculos constitutam non retinemus, ipsumque non semper mens concupiscit. Nam qui Christum possidere desiderat, etiam pro ipso pati optabile omnino illi est et expetendum. Itaque Christi amatores in hoc apparent, quando omnem tribulationem ipsis supervenientem generose alacriterque propter spem in Deum sustinent. Quocirca obsecremus Dominum ut intellectum nobis concedat, ad cognoscen-

[1] Coloss. II, 15.

dam divinam ejus voluntatem, promptcque præstandam eam, in omni patientia et longanimitate, cum gaudio et exultatione, quam ipse largiatur nobis, confirmans nos in omni beneplacito suo : ut probati, dignique reperti, æterna perfruamur salute. In Christo Jesu Domino nostro, cui glória et potentia, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

De compunctione animæ.

I. Venite, dilectissimi. Venite, patres et fratres mei, grex Patris electe, signati milites Christi. Venite, filii, et sermonem animabus vestris salutarem audite : venite, negotiemur, donec hæc duret celebritas. Venite, apprehendamus vitam æternum. Venite, mercemur salutem animarum nostrarum. Implete oculos vestros lacrymis, et confestim oculi mentis vestræ aperientur. Venite cuncti pariter, divites et pauperes, principes et subditi, senes cum junioribus, filii ac filiæ, et omnis ætas, qui cupitis ab æterno liberari supplicio, et regni cœlestis hæredes fieri. Cum sancto David imploremus misericordam et benignissimum Dominum, dicentes : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia » de lege tua [1]. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam » in morte [2]. » Clamemus ut clamavit cæcus ille juxta viam sedens : « Miserere mei, fili Dei altissimi [3]. » Et si aliqui prohibuerint, aut increpando silere jusserint, nos magis clamemus, et non defatigemur clamando, donec oculos cordis nostri aperuerit dator luminum Jesus. Accedite ad Christum, « Accedite ad eum, et illuminamini, et facies

[1] Psal. CXVIII, 18. — [2] Id. XII, 4. — [3] Marc. X, 47, et Luc. XVIII, 38.

» vestræ non confundentur [1]. » Assumamus bonam mentem, atque desiderium de regno et paradiso, et illico cunctæ res sæculi hujus vobis vilescent. Contendite ad undecimam hanc horam [2] : accelerate,ne excludamini. Ecce enim vespera appropinquat, et mercedis distributor venit cum gloria ac majestate magna, ut reddat unicuique secundum opera sua [3]. Resipiscamus ac pœnitentiam agamus, fratres, dum tempus habemus. Audite, quid dicat Dominus : « Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœni- » tentiam agente [4]. »

II. Cur negligentia obtorpescis, peccator? Cur animum despondes, atque desperas? Si in cœlo gaudium erit, te pœnitentiam agente, quid times? Angeli gaudent, et tu desidiose ac segniter vivis? Archangelus prædicat pœnitentiam, et tu timore concuteris? Immaculata, et indivisa, ac adoranda Trinitas ad pœnitentiam te invitat, et tu suspiras? Ne dulcescat nobis hic cura atque sollicitudo hujus sæculi, ut non amarescat nobis illic æternus ignis, et vermis nunquam dormiens. Ploremus hic paululum, ut non plangamus illic in æternum, tormentis cruciati. Videte, et nemo negligenter hic agat : quia repente instar fulguris horribilis, adventus Christi erit. Non metuitis, quia unusquisque pro ratione suorum meritorum in illa hora accipiet? Singuli proprium tunc onus portabunt, singulique metent ibi quæ hic seminarunt. Omnes illic nudi astabimus coram Christi tribunali, et unusquisque nostrum pro seipso rationem tunc reddet Judici. In illa hora nemo alteri auxiliari poterit : non frater fratri, non parentes filiis, neque filii parentibus, non amici amicis, non maritus suæ conjugi; sed unusquisque cum metu et tremore tunc ibi astabit, expectans, ut sententiam quæ a Deo feretur, au-

[1] Psal. xxxiii, 6. — [2] Matth. xx, 9. — [3] Id. xvi, 27. — [4] Luc. xv, 7.

diat. Cur ergo negligentes ac desidiosi nunc sumus, et non parati potius atque instructi? Cur de iis, quæ nostræ tunc defensionis atque excusationis esse possent, modo non magis sumus solliciti, dum tempus adhuc nobis suppetit? Cur adeo parvi pendimus atque despicimus sacras Scripturas, et verba Christi? Annon putatis quod sermones ipsius, et sanctorum Apostolorum, ac Prophetarum condemnabunt nos in illa die coram tremendo illo tribunali, si non servaverimus, et egerimus, sicut ipsi præcipiunt nobis? Audite quid Dominus ad suos dicat Discipulos : « Qui vos » audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit, et Patrem » meum [1]. » Et rursus alibi ait : « Qui spernit me, et non » accipit verba mea, ego non judico ipsum; sed habet, qui » judicet eum : sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum » in novissimo die [2]. »

III. Sed quisnam nos sermo in novissimo judicaturus est die? Sanctum ejus Evangelium, et reliquæ sanctorum Prophetarum, et Apostolorum sacræ Scripturæ. Propterea obsecro vos, fratres, ne contemnamus ea, quæ scripta habentur. « Cœlum et terra transibunt, verba autem Christi » non præteribunt [3]. » Venite, charissimi, antequam adveniat dies illa tremenda atque expavescenda, projiciamus nos ipsos in pelagus miserationum Dei. Ipse quippe Deus omnes cohortatur atque invitat, dicens : « Venite ad me » omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos [4]. » Omnes vocat amator hominum, tolerans malorum, misericors, et longanimis, qui vult omnes homines salvos fieri. Non proprios ac particulares aliquos hortatur et vocat; sed omnes. Venite, inquit, ad me omnes, sive divites, sive pauperes, quia « Venientem ad me non ejiciam foras [5]. » Quis porro est, qui ad me venit? Qui habet mandata mea,

[1] Luc. x, 16. — [2] Joan. xii, 48. — [3] Matth. xxiv, 35, et Marc. xiii, 31. — [4] Matth. xi, 28. — [5] Joan. vi, 37.

et servat ea : qui sermones meos audit, et credit in eum qui misit me. Beatus sane, qui verbum ipsius audit, et custodit : infelix autem, qui audire atque obedire contemnit[1] : quia cum in novissimo die verbum illud judicabit, sicut scriptum est : « Horrendum est incidere in manus Dei vi- » ventis[2]. » Resipisce, frater, et noli timere. Pœnitentiam age, peccator, confidens et respiciens in immensam benignitatem Christi dicentis : « Non veni vocare justos, sed » peccatores ad pœnitentiam[3]. » Resipisce igitur, ac pœnitentiam age, ut non confundaris coram horrendo illo tribunali, ubi cum tremore millia millium Angelorum et Archangelorum astabunt ; quando occulta reddentur manifesta ; quando libri aperientur, in quibus opera uniuscujusque descripta sunt ; quando segregabuntur ab invicem, sicut oves separantur ab hædis.

IV. Vere tremenda atque expavescenda illa erit hora, quoniam justus Judex cum horrore increpabit. Quis igitur non contremiscet ? aut quis non formidabit horam illam ? Ideo et Judex fortis ac potens, et judicium inexorabile erit, nostraque opera ob oculos constituentur, et fluvius igneus ante tribunal ; hymnusque Justorum cum Angelis absque silentio fiet, et planctus peccatorum intolerabilis, lacrymæque inutiles. Tunc quoque thesauri aperientur, et Justi recipient. Beati, qui hic esurierint, atque sitiverint, quoniam ibi saturabuntur[4]. Væ autem his, qui saturati hic sunt, quoniam illic esurient, et sitient[5]. Et beati, qui hic luxerint, ac fleverint, quoniam ibi ridebunt, et consolabuntur. Væ autem iis, qui nunc rident, quoniam ibi lugebunt atque plorabunt sine ulla intermissione. Et beati, qui misericordes hic fuerint, quoniam misericordiam illic consequentur. Væ autem iis, qui misericordes non fuerint,

[1] Joan. xii, 44 et seqq. — [2] Hebr. x, 31. — [3] Matth. ix, 13, et Marc. ii, 17. — [4] Matth. v, 6 et seqq. — [5] Luc. vi, 25 et seqq.

quoniam nec ibi misericordiam invenient. Audistis quo pacto qui legitime hic decertaverint, beati prædicentur : et contra, quomodo lugebunt ibi, atque affligentur negligentes. Hæc omnia considera ac perpende tecum, charissime, et festina ac stude ut salveris; non attendens eos, qui negligentia et deliciis hic assidue relaxantur: « Quoniam » sicut fœnum velociter exarescent [1]. » Noli amare sæculum hoc præsens : nam supplantat amatores suos, et dum ad horam delectat, nudos eos hinc in æternum illud sæculum emittit. Ausculta et attende sacris Scripturis, et non errabis, neque decipieris a vano et maligno sæculo isto. Audi quid dicat theologus Joannes : « Nolite diligere mundum, » neque ea quæ in mundo sunt : quoniam omne quod est » in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia » oculorum, et ambitio mundi; et mundus transit : qui au» tem facit voluntatem Dei, manet in æternum [2]. » Audi dicentem Dominum : « Quid proderit homini, si universum » mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patia» tur [3]? » Attendite diligenter, et cum timore sermonem ejus considerate; quoniam sermo, quem locutus est, et edocuit, ille nos in novissimo die judicabit [4]. Non est mendax Dominus : absit; ipse enim veritas est. Et si certo compertoque nosti ipsum esse veritatem, et sermones ipsius veros, cur negligis atque contemnis, miser? Quid expectas, et cogitationibus distraheris? Quis pro te rationem redditurus est? Annon nosti quod unusquisque pro se ipso rationem Deo reddet [5]? Nonne nosti, quod unusquisque metet quæ seminavit [6], et quilibet proprium onus portabit [7]?

V. Dum tempus habes, onus peccatorum tuorum discute ac dissipa. Invitat enim te amator hominum Deus, di-

[1] Psal. xxxvi, 2. — [2] 1 Joan. ii, 15-17. — [3] Matth. xvi, 26. Marc. viii, 36, et Luc. ix, 25. — [4] Joan. xii, 48. — [5] Rom. xiv, 12. — [6] 2 Cor. ix, 6. — [7] Gal. vi, 5.

cens : « Venite ad me omnes qui onerati estis [1]. » Ecce omnes adhortatur. Nemo dicere audeat : «Non peccavi.» Qui dicit se non peccasse, cæcus est ac manu palpans, et miserabilior omnibus hominibus. Ait enim Joannes evangelista : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur, et veritatem non facimus, et ipsi nos seducimus, et Deum mendacem facimus [2]. » Nemo enim mundus est a sorde [3]. Atque eo spectat lacrymarum usus, ut sordes peccatorum abluamus, cantantes cum sancto David : « Lavabis me, et super nivem dealbabor [4]. » Et rursus : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo [5]. » Ille una nocte peccavit, et quotidie lacrymatus est, atque ideo etiam beatus effectus est. Prospiciebat plane Propheta in illum qui ait : « Beati qui lugent [6]. » Nihil igitur hujus sæculi rerum prætereuntium lugeas. Non oblectamentis vitæ præsentis capiaris : neque divitias hujus mundi appetieris. Aversare vestimenta mollia, ornamenta quoque ac coronamenta. Detestare varia tincturarum genera, stibia, venustates, fastum, atque superbiam, dæmoniaca item ipsorum cantica, citharas, ac tibias, manuumque plausus, et inordinatas atque indecoras voces. An ignoras, miser, ista omnia diaboli sata esse? Hæc enim cuncta gentes mundanæ faciunt, quibus nulla salutis spes est. Ne igitur similes reddamur gentibus, quibus non est spes salutis, ut non aggregemur ipsis. Audite dicentem Apostolum : « Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et cæteræ gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum [7]. » Quapropter, relictis gentilium operibus, non convertamur iterum retrorsum, eademque agamus. Semel abrenuntiasti Satanæ, et angelis ejus; pactus autem es

[1] Matth. XI, 28.— [2] I Joan. I, 6, 8 et 10.— [3] Job. XXV, 4.— [4] Psal. L, 9. — [5] Id. VI, 7.— [6] Matth. V, 5, et Luc. VI, 21.— [7] Ephes. IV, 17, 18.

Christo coram multis testibus. At vide cuinam pactus sis, et ne parvipendas. Id porro noveris, quod Angeli in hora illa voces tuas, et pacta tua, abrenuntiationemque tuam descripserunt : et in cœlis usque ad horribilem illum judicii diem conservant.

VI. Non pertimescis? Non exhorrescis? In die judicii proferent Angeli chirographum tuum, et verba oris tui coram formidabili tribunali : ubi etiam Angeli cum tremore assistent : tuncque lugubrem illam auditurus es vocem : « Ex ore tuo te judico, serve nequam[1]. » Revera enim amare tunc ingemisces, et lacrymas effundes in hora illa, et nihil proficies. Miserere igitur nunc tui ipsius, et animam tuam ne oderis. Aperi oculos tuos, et vide quo pacto multi decertant : quomodo omni studio salvari contendunt : quomodo se ipsos ad omne opus bonum impellunt : quomodo se ipsos ab omni invidia, a maledicentia, ab odio, a risu, a fornicatione, a deliciis, a pugnis atque contentionibus custodiunt : et quo pacto angustam amplexi sunt viam, jejunantes, vigilantes, afflictiones atque adversa sustinentes, gementes et flentes : quo pacto lampades lucidas præpararunt : quo pacto os eorum omni tempore immortalem Sponsum laudat et glorificat, oculique ipsorum in ejus pulchritudinem intuentur, et anima eorum exultat. Considera ac vide, quoniam appropinquat, et non tardabit. Veniet enim, ut diligentes ipsum lætos reddat. Veniet, et consoletur lugentes hic ac flentes, non quidem mortuum, vel temporarium aliquod pecuniarum detrimentum ; at propter damnum peccati, et propter deperditum regnum, cujus non erit finis, et ob beatas illas paradisi delicias, unde ejecti sumus, transgredientes præceptum Dei : quo iterum redeunt qui hic lugent ac plorant. Veniet, ut coronet eos, qui legitime hic certaverint[2], et angustam arctamque viam

[1] Luc. XIX, 22. — [2] 2 Tim. II, 5.

amaverint. Veniet, ut misericordium misereatur. Veniet, ut eos, qui propter ipsum hic voluntariam paupertatem subierunt, beatificet. Veniet, ut bonis eos repleat, qui propter ipsum esurierunt et sitierunt[1]. Veniet, illuminaturus abscondita tenebrarum, et manifestaturus consilia cordium[2]. Et ut breviter dicam, veniet, redditurus unicuique secundum opera sua[3]. Veniet, sed non amplius a terra, sicut antea, verum ex cœlis cum potestate et gloria ingenti. Tunc tubæ resonabunt e cœlis, et Virtutes eorum commovebuntur[4]. Terra tota instar aquæ maris, a facie gloriæ ipsius contremiscet. Fluvius igneus coram ipso præcurret, qui terram ab iniquitatibus expurget[5]. Deinde clamor repente fiet: « Ecce sponsus venit[6]. » Ecce jam gaudium expectatum adest. Ecce nunc Justorum gloria, Sol justitiæ adventat. Ecce venit Rex regum, cujus regni non erit finis. Ecce justus Judex venit. Ecce venit, exite obviam ei. Tuncque cum gaudio prodibunt, habentes lampades suas lucidas, et vestes splendidas : audientque vocem Sponsi ad ipsos dicentis : « Venite benedicti Patris mei, possidete pa- » ratum vobis regnum a constitutione mundi[7]. »

VII. Plane igitur ad illum clamorem in occursum ei procedent, portantes manibus suis lampades lucidas, alacres ac læti magna cum fiducia, exultantes, beneque sperantes, quod lampades ipsorum non sint extinctæ. Tunc autem te ipsum in magna tribulatione, atque angustia, et gravi calamitate, necessitateque intolerabili constitutum videns, lampademque tuam extinctam cernens, valde confusus dices : « Commodato mihi præbete, fratres mei, modicum olei, quia lampas mea extincta est. » Illique respondentes, dicent tibi : « Ne forte non sufficiat nobis et vobis : ite

[1] Matth. v, 6. — [2] 1 Cor. iv, 5. — [3] Rom. ii, 6. — [4] Matth. xxiv, 29, et Luc. xxi, 25, 26. — [5] Dan. vii. — [6] Matth. xxv. — [7] Ibid. 34.

» potius ad vendentes, et emite vobis [1], » Et tunc abibis cum magna afflictione, et dolore, ac gemitu, amare illacrymans ac plorans, et nusquam inveniens ubi oleum tibi compares, eo quod soluta jam sit atque finita vitæ præsentis celebritas : omnisque vita ipsorum trepidabit, velut aqua maris. Præterierunt et qui præ foribus Ecclesiarum sedere solebant pauperes, oleumque illic vendebant. Undique igitur in summam angustiam anxietatemque tunc conjectus, plorans, ac lugens, dices : « Vadam et pulsabo ad ostium misericordiæ Christi : quis scit, an aperiet mihi ? » et accedens pulsas; respondetque interius tibi sponsus : « Amen dico tibi, nescio te : discede a me, operarie iniquitatis [2]. Non es misertus aliorum ; nec a me modo misericordiam obtinebis. Noluisti voces audire pauperum : neque ego jam tuam audire volo. Sacras meas Scripturas audiebas, et deridebas : atque ideo huc introire tibi non concedam. Prophetas et Apostolos meos non recepisti : ideo verbum, quod locutus sum, illud te judicabit in die isto novissimo. Discede a me : non recipit te angusta porta. Carnem tuam pavisti, animam vero tuam occipisti : quomodo ergo vis huc intrare, et regnum meum contaminare? Carnis tuæ stolam polluisti : os tuum conviciis ac maledictis replevisti, et proximum tuum odisti : voluntatem diaboli perfecisti, meam vero abjecisti : et nunc introire huc postulas, quo nihil præmisisti, ubi nihil habes repositum ? non lacrymas, non ploratum, ac ejulatum, non jejunia, non vigilias, non psalmodiam, non virginitatem, non patientiam, non eleemosynam. Cumque ex his nihil huc præmiseris, quid quæris ? Istud quippe domicilium inhabitant, qui propter me voluntariam paupertatem sectati sunt. »

VIII. Hoc regnum misericordium est. Hæc lætitia eorum, qui in mundo luxerunt atque planxerunt, est. Istud gau-

[1] Matth. xxv, 9. — [2] Ibid. 12, et Luc. xiii, 27.

dium eorum, qui pœnitentiam egerunt, et sua peccata deplanxerunt, est. Hæc requies vigilantium est, et jejunantium. Hæc vita viduarum et pupillorum est. Hic qui in mundo esurierunt ac sitierunt, lætantur et exultant in sæcula. At tu recepisti bona tua in vita tua, discede a me in ignem æternum. » Ista porro audiens, stabis confusione plenus. Consistente autem sic te ibi, resonabit ad aures tuas vox lætitiæ et exultationis, et agnosces uniuscujusque sodalium atque amicorum tuorum voces : et tunc acerbe ingemiscens ac plangens, dices : « Hei mihi misero atque infelici ! quomodo hac sum privatus gloria, et a sociis amicisque meis propter mala ac stulta opera mea privatus? Revera justum est Dei judicium, et merito jam patior. Nam illi in summa abstinentia vivebant : ego autem convivia ac prandia sectabar. Illi divinas laudes canebant : ego autem tacebam. Illi precibus intenti erant : ego vero mente vaga distrahebar. Illi se ipsos humiliabant : ego vero superbiebam. Illi se ipsos despiciebant : ego vero mihi placebam. Illi lacrymas profundebant : ego vero ridebam. Ideo nunc illi gaudent atque exultant : ego autem in luctu ac dolore versor. Illi lætantur : ego vero plango. Illi cum Christo in sempiterna regnant sæcula : ego autem cum Antichristo in ignem æternum mittor. Væ mihi infelici? quid mihi accidit? quantorum bonorum jacturam feci, ut modico hic tempore voluntatem diaboli peragerem? Nunc agnosco unumquemque secundum opera sua recipere. Nunc agnosco me a vanissimo mundo illusum ac supplantatum esse. O quibus quantisque me bonis privavi ! et quam confusionem, et quanta mihi ipsi mala conciliavi ! » Hæc et similia cum planctu ac dolore dices, et nihil omnino proficies : nullus enim ibi pœnitentiæ locus erit, vel utilitas. Propterea denuntiant testanturque nobis per sanctos Apostolos et Prophetas divinæ Scripturæ, « Quod bona, quæ præparavit Deus

» diligentibus se, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in » cor hominis peccatoris ascenderunt[1]. » Audisti rursus dicentem Dominum : « Nolite timere eos, qui occidunt cor» pus[2]. » Et alibi rursum : « Beati qui persecutionem patiun» tur propter me[3]. » Atque ideo dicit etiam Apostolus : « Nolite errare : Deus non irridetur. Quod enim semina» verit homo, hoc et metet. Quoniam qui seminat in carne » sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat » in spiritu, de spiritu metet vitam æternam[4]. Nam qui se» minant in lacrymis, in exultatione metent[5]. »

IX. Attendite igitur, fratres mei, et mementote eorum, quæ scripta sunt : « Exiit qui seminat seminare semen suum[6]. » Et quis exiit, ac seminat? Bonus paterfamilias Dominus noster Jesus Christus. Cæterum quid seminavit? Verbum Evangelii, et sancta sua præcepta. At ubi seminavit, et in qua terra? In cordibus hominum per omnes fines mundi. « Sed non om» nes obediunt Evangelio[7] : » neque omnes faciunt novalia, ut ubi ceciderit semen Domini, ibi fructificet : verum in terra inculta, et inter spinas decepti suscipiunt verbum : atque inter curas, et divitias, ac voluptates sæculi ambulantes, suffocant illud, et non producunt fructum[8]. Vos autem, dilectissimi, cor vestrum ad susceptionem Evangelii præparate, et nequaquam mentem vestram sollicitudo nimia hujus sæculi suffocabit. Non ob delicias, sed necessitatis ergo curramus. Si enim quæ sunt satis, tantummodo persequimini, non erit quod multum laboretis. Sin vero delicias atque divitias consectamini, hic jam labor multus, et cursus instabilis, ac tribulatio inexplebilis, et vita curis atque anxietatibus plena. « Unum porro est necessarium[9], » fratres mei, sicut ait Dominus. Verumtamen et ista aliqua-

[1] 1 Cor. II, 9, et Isaï. LXIV, 4. — [2] Matth. x, 28. — [3] Id. v, 10. — [4] Gal. VI, 7, 8. — [5] Psal. CXXV, 5. — [6] Matth. XIII, 3. — [7] Rom. 16. — [8] Matth. XIII. — [9] Luc. x, 42.

tenus oportebat curare ac facere propter necessitatem corporis; et illa assidue ob salutem animæ vestræ: nihil enim nobilius sublimiusque est anima : cujus causa, fratres, curramus, satagamus, ac prompti paratique simus quotidie. Ne in corporis cura universum tempus nostrum insumamus; sed quandocumque corpus esurit, et nutrimentum appetit, cogita et animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle. Et quemadmodum corpus nisi pane sustentetur, vivere nequit : sic et anima nisi spiritalis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est. Ex duplici siquidem parte consistit homo, ex anima videlicet, et corpore. Atque ideo dicebat Salvator : « Non in solo pane vivet homo[1]. » Quocirca tu tanquam bonus dispensator, animæ cibum ipsi præbens animæ, et corporis escam ipsi corpori, non modo corpus enutries, verum et animam fovebis, eamque haudquaquam desolatam famelicamve relinques. Cave igitur ne tuam interfici animam permiseris : sed pasce ac fove illam per verba divina, in Psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, in lectionibus sacrarum Scripturarum, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in lacrymis, in spe atque meditatione futurorum bonorum. Hæc et his similia nutrimentum et vita sunt animæ.

X. Attendite, fratres, ne quis infructuosus reperiatur. Qui enim in carne sua seminat oblectamenta mundi, delicias, prandia, atque convivia, de carne etiam metet corruptionem. Qui autem in spiritu seminat orationes, jejunia, et vigilias, de spiritu vitam metet æternam. Considerate et videte nusquam eos laudari, qui deliciis indulgent, qui elationibus atque distractionibus mundanis sunt dediti, quique risibus et ineptiis gaudent : nam ista omnia gentilium ac paganorum sunt facta. Nostra porro lex est : « Beati » pauperes spiritu. Beati qui lugent. Beati misericordes.

[1] Matth. IV, 4, et Luc. IV, 4.

» Beati qui persecutionem patiuntur[1]. » Beati qui maledicta et opprobria sustinent. Beati mundo corde. Beati continentes et abstinentes. Beati qui baptisma sanctum conservarunt. Beati qui propter Christum huic sæculo renuntiarunt. Beati corpora virginum. Beati qui habent uxores, tanquam non habentes. Beati qui vigiliis et orationibus intenti sunt. Beati qui prævident venturum, ut judicet vivos ac mortuos. Beati qui lacrymas in suis precationibus effundunt. Hæc sunt sacræ orthodoxorum Scripturæ monumenta. Sed quæ, obsecro, scriptura beatos prædicat eos, qui tibiis citharisve ludunt, aut risibus vacant; vel deliciis atque ebrietatibus tripudiisque se dedunt; aut mundum, et quæ in mundo sunt, diligunt? Hæc omnia lex nostra non suadet. Ista Dominus noster non edocuit: verum miserabilia atque infelicia illa censuit, dicens : « Væ his qui nunc rident: quo» niam lugebunt et flebunt. Væ qui saturati estis : quoniam » esurietis. Væ vobis divitibus[2]. » Et rursus per Prophetam ait : « Væ his, qui dicunt malum bonum, et bonum malum : » qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem : qui po» nunt amarum dulce, et dulce amarum. Væ qui justificant » impium pro muneribus, et jus justi tollunt. Væ his, qui » consurgunt mane, et siceram sequuntur, qui expectant ves» peram : vinum enim comburet eos. Nam cum citharis, et » tympanis, ac tibiis vinum bibunt; opera autem Dei non » respiciunt, et opera manuum ejus non considerant[3]. » Hæc, et istis similia hominum mundanorum sunt et carnalium; non autem eorum, qui Christum diligunt. Vis porro etiam pauca Christi devotorum, qui per angustam incedunt viam, audire? Apostolum ausculta dicentem : « In omnibus » exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministri, in multa pa» tientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, » in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in

[1] Matth. v, et Luc. vi. — [2] Luc. vi, 25 et seqq. — [3] Isaï. v, 20-24.

» vigiliis, in jejuniis [1], » et aliis, quæ ibidem sequuntur. Rursumque Dominus : « Surgite et orate, ut non intretis in » tentationem : Spiritus enim promptus est, caro autem in» firma [2]. »

XI. Quorsum ergo debito obstricti manetis, fratres? Ecce audistis quomodo beati prædicantur, qui per angustam incedunt viam, et quo pacto miseri atque infelices habentur, qui latam ac spatiosam inambulant. Venite igitur, et relicta via lata, quæ in perditionem deducit, laboremus hic exiguo tempore, ut postmodum in omnem æternitatem regnemus, semper præ oculis habentes eum, qui ad judicandum vivos et mortuos veniet; semperque memoria recolentes vitam æternam, ac regnum immortale, mansionem cum Angelis, et conversationem cum Christo. Cogita atque perpende tecum, quomodo hæc vita nihil contineat, nisi lacrymas, improperia, maledicta, convicia, labores, morbos, senectutem, peccata, et mortem. Quare noli diligere mundum, et vide ne ejus capiaris oblectamentis, teque supplantet, ac nudum in alterum illud sæculum mittat. Memineris ejus qui ait : « Sine intermissione orate [3]. » Ne oblecteris iis, quæ in hac vita jucunda videntur. Psalmus in ore tuo sit assidue. Deus enim, cum nominatur, dæmones fugat. Et si manum operi admoveris, lingua psallat, et mens oret. Ipseque Dominus per seipsum hortatur et admonet, ut jam hinc paremus nos ipsos. Et si in aliquo peccavimus, atque offendimus, dum tempus pœnitentiæ habemus, per lacrymas nobis remedium adhibeamus. Tempus pœnitentiæ perbreve est : at regni cœlorum nullus erit finis. Sanctos quidem beatos ac felices prædicamus, et coronas eorum concupiscimus : verum certamina ipsorum imitari nolumus. An putatis eos absque laboribus ac tribu-

[1] 2 Cor. VI, 4.— [2] Matth. XXVI, 41, et Luc. XXII, 46.— [3] 1 Thess. V, 15.

lationibus sic coronatos, quemadmodum et vos cupitis? Vis audire qualem in hac vita requiem habuerint Sancti? « Alii quidem, distenti sunt : alii vero ludibria et verbera » experti sunt, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, » secti sunt, in occisione gladii mortui sunt : circuierunt in » melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, » quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus erran- » tes, in montibus, et speluncis, et cavernis terræ[1]. » Ecce audistis pauca ex multis, Sanctorum nimirum delicias et requiem in hac vita, et quo pacto læti ac hilares ista omnia sustinuerint, quoniam in illa bona respiciebant in cœlis reposita : « Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, nec » in cor hominis ascenderunt[2]. » Si a supplicio liberari velis, neminem maledictis ac contumeliis proscindas.

XII. Væ homini impio atque iniquo : quoniam dum omnes illuminabuntur, ille tenebrarum caligine obscurabitur. Væ blasphemo : nam lingua ejus colligabitur, et Judici respondere non poterit. Væ avaro : quoniam divitiæ ejus effugient, et ignis ipsum excipiet. Væ pigro ac negligenti : requiret enim tempus, quod male consumpsit, et quærens non inveniet. Væ fornicatori atque adultero : nam quia vestem nuptialem conspurcavit, ex regalibus nuptiis cum ignominia ejicietur[3]. Væ maledico atque contumelioso, et cum eo simul ebrietati dedito : quoniam inter homicidas referentur, et cum adulteris cruciabuntur. Væ indulgenti deliciis ac voluptatibus hoc brevi tempore : quoniam instar agni ad cædem quæretur. Væ hypocritæ : quoniam eum pastor negabit, et lupus rapiet. Felix vero atque beatus, qui per angustam viam ambulat : nam coronam ferens in cœlum intrabit. Beatus qui vitam sublimem ducit, humilem autem sensum habet : nam Christum imitatur, et cum ipso

[1] Hebr. XI, 35-38. — [2] Isaï. LXIV, 4, et I Cor. II, 9. — [4] Matth. XXII, 12, 13.

residebit. Beatus qui multis benefecerit pauperibus : nam multos, cum judicabitur, patronos inveniet. Beatus qui ad cuncta bona seipsum impellit : nam violenti regnum cœlorum rapiunt [1].

XIII. Quare compellamus nos ipsos ad omne opus bonum, fratres : adhortemur, ac commonefaciamus, et ædificemus alter alterum, sicut et semper facitis. De extremo judicio sit sermo atque colloquium vestrum, et de excusatione atque defensione illic nostra. Et sive aliquod opus suscipitis, sive in via ambulatis, sive in prandio ac convivio versamini, sive in vestris estis cubilibus, sive quid aliud agitis, semper de futuro judicio et adventu justi Judicis solliciti sitis : atque de eo assidue in cordibus vestris cogitate, et ad invicem sic dicite : « Qualesnam sunt tenebræ illæ exteriores [2] ? qualis est ignis ille inextinguibilis, et vermis nunquam dormiens [3] ? qualisnam stridor ille dentium [4] ?» Hæc ad invicem omni tempore diu noctuque colloquamini : et quomodo tunc præcurret fluvius igneus [5], ac terram expurgabit ab iniquitatibus inhabitantium in ea ? quomodo, ut liber, complicabitur cœlum [6] ? quomodo astra, ut folia a ficu, decident [7] ? quomodo sol et luna deficient ? quomodo cœli ad nutum ac jussionem Domini discindentur [8] ? quomodo Judex fulguris instar relucens e cœlo descendet [9] ? quo pacto turbatæ atque commotæ Virtutes cœlorum præcedent [10] ? quo pacto formidabilis thronus ac sedes præparabitur ? quo pacto pavimentum terræ concutietur, adventum Judicis expectans ? quo pacto resonabunt tubæ [11] ? quo pacto monumenta aperientur [12] ? quo pacto tumuli excutientur ? quo pacto qui a sæculo obdormierunt, tanquam e somno

[1] Matth. XI, 12. — [2] Id. VIII, 12. — [3] Marc. IX, 42, 43, et Isaï. LXVI, 24. — [4] Matth. VIII, 12. — [5] Dan. VII, 10. — [6] Isai. XXXIV, 4. — [7] Apoc. VI, 13. — [8] Matth. XXIV, 29, 30. — [9] Luc. XVII, 24. — [10] Id. XXI, 26. — [11] 1 Cor. XV, 52. — [12] 1 Thess. IV, 15.

excitabuntur[1]? quomodo rursum animæ ad sua corpora recurrent? quomodo obviam Sancti occurrent? quomodo digni introitu habebuntur parati? quomodo a Sponsi thalamo excludentur negligentes atque ignavi[2]. Hæc meditari bonum est ac utile. Ista curare atque sollicite dies noctesque cogitare, necessarium. Qui enim semper mortis recordatur, raro aut nunquam peccabit.

XIV. Ne totum vitæ nostræ tempus pro ventre curando, et his, quibus operiamur, decurramus. Hæc enim gentes faciunt, quibus nulla vitæ æternæ spes est. Ne igitur similes reddamur eis; sed Dominum audiamus dicentem : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc » omnia adjicientur vobis[3]. » Quæramus, o fratres, regnum illud, cujus non erit finis. Quæramus illud gaudium, quod in infinitam æternitatem nos deducet. Oremus, charissimi, cum labore atque dolore cordis, cum suspiriis et lacrymis, ne beata illa frustremur voce. Facessant a nobis hic deliciæ mundanæ, ut illic paradisi delicias lucremur. Ploremus hic modicum, ut illic rideamus. Esuriamus hic, ut ibi satiemur. Ingrediamur hic per angustam portam, et arctam viam, ut ibi per latam ac spatiosam viam incedamus. Iterum dico : « Videte ne decipiat vos hæc vita, atque illudat, et nudos ac miserabiles in illud futurum sæculum transmittat. » Multos enim supplantavit, multos illusit, multos excæcavit fraus atque fallacia mundi istius. Cæterum nos, fratres, attendamus nobis ipsis. Dominum dicentem audiamus : « Venite post me omnes[4]. » Cuncta relinquamus, et ipsum solum sequamur. Respuamus ac contemnamus omne gaudium mundi hujus : subsannat enim cunctos ipsum diligentes. Demus autem operam, ut vitam æternam apprehendamus, et chorum inter Angelos, con-

[1] Joan. v, 28. — [2] Matth. xxv, 11, 12. — [3] Id. vi, 33. — [4] Id. iv, 19.

versationemque cum Christo obtineamus. Quoniam ipsi gloria et potentia, cum Patre et sancto Spiritu in infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De compunctione.

I. Largitor cunctorum bonorum ac fons sanitatum, et thesaurus miserationum, tu solus et Deus bonus et misericors, qui semper bona præstas petentibus. Et quia ipse mecum assidue immensa tua remedia, ac dona optima, quæ singulis mihi diebus impertiris, experior; propterea confidenter te, Christe, Deus meus clementissime, supplex obsecro, gratia tua super me jugiter veniat, quæ mentem meam variis distractam colligat, occultaque rursus mea vulnera sanet. Ecce enim distractiones atque elationes mentis semper occulta mea vulnera instaurant redintegrantque; verum tu, longanimis, qui gratia et miserationibus semper curas, sana ut misericors ac pius frequentes infirmitates mei peccatoris. Ego vero dignas curationibus tuis mercedes reddere prorsus nequeo, Domine : tua enim remedia atque medicamenta omnem æstimationem excedunt pretii. Non cœlum, non terra pro merito tuarum curationum dignum quid tibi retribuere possunt. Sunt autem curationes bonitatis tuæ, multæ miserationes tuæ. Nullo siquidem æstimari vendique possunt pretio remedia atque medicamenta cœlestia et sancta; sed lacrymis illa, salvator, fletuque amaro largiris omnibus. Quis igitur non admiretur? quis non obstupescat? Et quis tantam bonitatis tuæ clementiam non prædicet, Salvator animarum nostrarum,

qui pro tuarum curationum præmio etiam nostras suscipere dignaris lacrymas? O lacrymarum vis! quousque pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipsum cœlum penetras? O vis lacrymarum, in cujus confidentia Angelorum ordines omnesque Virtutes semper exultant! O lacrymarum potentia, quæ, si velis, ante sanctum atque excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes! O lacrymarum vis! quomodo in ictu oculi, quasi pernicibus sublata pennis, in cœlum ascendis, et postulata tua a Deo obtines, qui occurrit tibi hilariter, indulgentiam ac remissionem peccatorum deferens!

II. Largire igitur mihi indigno, Domine, lacrymas per singulos dies, atque fortitudinem, ut fontes lacrymarum jugiter cum dulcedine fundens, cor meum illustretur in oratione munda, ut magnum illud delictorum meorum chirographum modicis lacrymis deleatur, ignisque ardens exiguo ibi fletu extinguatur. Nam hic si flevero, illic inextinguibilem ignem evadam. Quia enim singulis diebus tuam, Domine, longanimitatem provoco, ob oculos mihi et meam amaritudinem, et tuam clementiam constituo. Sed meam vincit amaritudinem longanimitatis ac patientiæ tuæ benignitas. Nam et aves quidem magno cum pietatis affectu suos enutriunt filios : et licet ab iis quandoque spernantur et irritentur, nunquam tamen illos negligunt despiciuntve, quoniam pietatis affectu superantur. Quod si aves sic pie afficiuntur, quanto magis tua gratia suis miserationibus vincitur, Domine, ut miserearis omnium desiderantium te? Quin et mater a suo despecta puerulo, corde tamen ideo ipsum deserere atque despicere nequit : visceribus enim pietatis superatur. Si autem et nutrix sic pietatis affectu trahitur, quanto magis gratia tuæ clementiæ, animarum amator Domine, suis quotidie vincitur miserationibus, ad commiserandum atque salvandum cunctos

semper desiderantes te? Quandoquidem ergo ab impuro hoste, qui me semper affligit, angor; clamabo cum lacrymis die ac nocte, tuam implorans misericordiam, ut ab impugnationibus ejus me liberes.

III. Quis enim poterit improbi illius consilia conatusque perferre, gratiæ tuæ auxilio destitutus, Domine? In horas quippe singulas cogitationibus et actibus meam affligit animam. Verum tua potentia, Christe, quæ fluctibus maris imperavit, ipsum quoque increpet, ut a me servo tuo vacuus et inanis recedat, diffugiatque. Singulis enim diebus suas in me machinas fraudesque renovat, dum mentem meam captivare studet, et a dulcissima optimaque meditatione divinorum tuorum mandatorum avocare. Quare gratiam tuam celeriter emitte, Domine, ut a servo tuo magnum hunc draconem cum universis cogitationibus suis sordidis malignisque depellat. Ipsa tua ad hoc te inducat parabola, Domine, qua dixisti judicem quemdam in civitate fuisse, qui nec Deum timebat, neque hominem plane reverebatur; in eadem vero civitate viduam fuisse pauperculam, quæ illum quotidie adibat, dicens : « Vindica » jam me de adversario meo [1]. » Cum autem diu ille mulierem assidue vexatam inclementer despexisset, prævaluit tandem viduæ patientia, ipsumque quantumvis immitem et immisericordem, ad æquitatem revocavit. Vidua injuriam passa immisericordem iniquumque judicem adit, ut ipsam de suo vindicet adversario. Ego autem misericordem, longanimem, benignumque meum accedo Dominum, potestatem in terra, et in cœlo habentem, ut cito me exaudiat. Os divinum, sanctum, et mentiri nescium, Deus benedicte, sicut promisisti, Salvator, fac, obsecro, celeriter vindictam omnium in te sperantium die noctuque. Ne tardes vindicare me, Domine. Ex manibus inimici eripe

[1] Luc. xviii, 3.

me, et ad te dirige, ut, illo per gratiam tuam superato, tibi benedicam, teque solum glorificem, o longanimis et misericors, qui omnes homines cupis salvos fieri. Et quia vitæ meæ tempus in vanitate ac turpibus cogitationibus defecit, dona mihi medicamentum efficax, quo plenissime ab occultis meis curer vulneribus. Et conforta me, ut saltem ad unam horam prompte laborem in vinea tua : nam ad undecimam jam horam tempus vanissimæ meæ vitæ pervenit. Scapham negotiationis meæ tuis mandatis guberna, et prudentiam mihi vili abjectoque negotiari concede, ut negotiationem meam perficere possim, quandiu adhuc tempus suppetit. Etenim navigationis jam finis instat, magnaque tempestas imminet, et tempus me variis distractum evocat.

IV, Huc age, o piger, omne lucrum negotiationis tuæ ex toto tempore vitæ tuæ reportatum ostende. Et hora mortis me terret miserum. Respicio enim opera mea, et contremiscit mihi anima. Intueor negligentiam torporis mei, et exhorrescunt ossa mea. Separationis enim hora mihi ante oculos venit, et ex ejus consideratione vehementer timeo. Quin et pro gaudio metu corripior, dum me opera gaudio digna fecisse cerno. Magnus enim pavor est mortis tempore omnibus peccatoribus mei similibus. Rursusque ingens gaudium est, dum anima a corpore separatur, cunctis Sanctis, universis Justis, cunctisque Ascetis. Magnus item separationis tempore dolor atque tristitia est imparatis atque torpentibus, dum suæ reminiscuntur negligentiæ, totiusque vitæ suæ retro temporis adeo negligenter transacti. Graviterque tunc cordis dolore excruciatur, qui hic dum viveret, salutis suæ curam neglexit; adeo quidem, ut pœnitentiæ ejus tormentum, ipsum quoque mortis ac separationis timorem excedat. Contra vero Justi, Sancti, et Ascetæ in hora mortis ac separationis exultant,

cernentes ante oculos magnum illum laborem suarum exercitationum, vigiliarum, orationum, jejuniorum, lacrymarum, humi cubationum, ac ciliciorum. Exultat illorum anima, ex corpore ad requiem commigrare incitata. Formidabilis item est mortis præsentia peccatoribus, laxeque ac molliter viventibus, et quibus in hac vita vanissima se puros servandi non fuit cura : dolorque vehementissimus, separationis tempore, peccatorem occupabit, quando neque omnino quid licebit, et severissimum præceptum egredi hora illa urgebit. Heu heu! o anima, quamobrem nunc vitam tuam negligis? cur aliis distracta, ita otiose dies universi temporis tui transigis? Ignoras repentinam ac subitaneam fore vocationem tuam? Quid, obsecro, illic tunc actura es, si hic ita jam fueris negligens? Ante tribunal tremendi Judicis quid pro excusatione tua habebis quod respondeas? Quomodo subrepat tibi inimicus tuus, non intelligis misera? et quomodo tibi divitias cœlestes in dies furetur, nescis, o distracta et negligens? Vigila, vigila belli tempore, o anima. Precibus intenta esto, cum lacrymis ora Deum, et cum dolore cordis ad eum clama, et statim tibi auxilium mittet, Angelum misericordem, qui te ex ipso belli periculo liberet, et a confusione inimici.

V. Diligenter cura, ne separationis hora in tristitiam incidas ac gemitum, inutiliterque plores in sæculum sæculi. Et venient cuncta in mentem tibi hora illa, dicesque intra te ipsam, acri dolore concitata : « Omnia ista ego quotidie mente revolvebam, mihique ipse ante denuntians dicebam : « Percurram dies meos, quibus in terra sum, ut ultra non peccem, neque iterum a divinis mandatis excidam ; sed cum alacritate magna, quæ ipsi placent peragam semper. At nunc inanis absque ullo penitus bono opere reperior. » Ad te ipsam, o anima, revertere, assidue decerta, semperque time. Deum tuum concupisce, illique per bona

opera obsequere, ut cum mortis hora separationisque tempus advenerit, te paratam, et magno cum gaudio expectantem ipsum inveniat. Intellige, o anima, institutum tuum, Deique vocationem. Non enim liberum animum, cunctisque rebus terrenis liberatum contristat angitque migrationis hora. Sed mors hominem distractum et peccatorem contristat. Contristat remissum ac negligentem, et quæ Deo placent omittentem. Contristat multa possidentem, qui curis et negotiis sæcularibus suam devinxit animam. Contristat opulentum, quod eum, licet invitum, ab hac vita separet. Contristat patres, quod a charissimis eos liberis segreget. Contristat mundanum, quoniam divitias suas deserit. Contristat fratres, quoniam cum luctu eos ab invicem dividit. Omnes isti superveniente mortis hora contristabuntur, quoniam sæculi rebus nimium districti fuerunt. At tu quare contristaris et ingemiscis, o anima, mundo libera, sæculique rebus exuta? In libertatem vocata, in ea sic semper permane, et in via Dei generose perge, alacriter quæ ipsi sunt placita perficiens. Quod si Deo ex toto corde et anima adhæreas, nunquam mortis horam reformidabis : quin et ipsa mors, et migratio de corpore tibi potius gaudio futura est.

VI. Salva me, patiens et longanimis Domine. Salva me, Fili Dei, qui solus sine peccato es, Christe. Et concede mihi, Salvator, æternæ vitæ meditationem, ut præter eam aliud nihil in corde meo unquam habeam : tuamque voluntatem, cooperante mihi peccatori gratia tua, perficiam semper, promptusque reddar ad benevole tua mandata exequenda : ut recte in pecunia abs te, Rex cœlestis, accepta negotiari queam; peractaque bona negotiatione in tuo agro, Salvator, laudem abs te, o Domine, consequar, dicamque cum fiducia et mundo corde, dum veneris, Domine : « Beatus sum, quia venisti, Domine : indue me veste

digna nuptiis Sponsi immortalis, quam tua ego acquisivi gratia.» Accendam et lampadem, quam mihi tua, Christe, largita est gratia atque longanimitas : egrediar cum gaudio obviam tibi, collaudans ac benedicens Sponsum immortalem : ut Justorum atque Sanctorum, qui tibi placuerunt, fieri merear particeps in sæcula. Amen.

SERMO COMPUNCTORIUS I.

I. Edessena ex urbe benedicta, quodam die diluculo surgens, cum duobus fratribus egressus sum : sublatisque in cœlum oculis, speculum illud nitidum, astrisque ornatum cum gloria fulgens, aspiciebam. Ego vero cum admiratione tacitus mecum ista revolvens : « Si hæc, inquam, tanto cum decore resplendent, Justi et Sancti divinæ obtemperantes voluntati, in hora illa, quando Dominus venerit, quanto magis ineffabili luce gloriæ Salvatoris fulgebunt?» Subito autem in memoriam mihi venit terribilis ille Christi adventus : unde contremuerunt ossa mea, corporeque simul et anima totus exhorrui : atque sic concussus, et perturbatus, magno cum dolore cordis flere cœpi : et ingemiscendo dixi : «Quomodo ego peccator in illa hora terribili ac formidanda inveniar? Quomodo ego coram tribunali tremendi Judicis astabo? quomodo ego elatus et superbus cum perfectis consistam? quomodo ego hœdus cum ovibus a dextris Christi statuar? aut quomodo ego arbor infructuosa, cum Sanctis illis, qui in hac vita justitiæ fructum tulerunt, collocabor? aut quando se mutuo in aula cœli cognoscent Justi, quid tunc faciam? quis me tunc agnoscet? In thalamo justi, et impii in igne. Rursus

Martyres sua ostendent supplicia, suasque virtutes Ascetæ. Sed ego quid ostendam, nisi socordiam ac negligentiam meam?

II. O anima superba atque elata! O anima peccatrix! O anima impudens! O anima, quæ semper vitam tuam odisti! quandiu rerum terrenarum cupiditate traheris? quandiu prava improbarum cogitationum consuetudo in te dominabitur? An ignoras malis cogitationibus per singulas horas fieri, ut tanquam caligine ac tenebris obducta, viam non reperias, qua ad Deum vigiles? Quid ulterius expectas, et differs negligens? An quod venire tardabit cœlestis Sponsus? Non tardabit, misera, sed ut fulgur horribile, e cœlo adventus ejus erit[1]. Quapropter advigila, ut parata in illa terribili hora inveniaris, ut ne luctu ibi afficiaris sempiterno[2]. Aliena peccata ne respexeris, quin tua potius defleto: neque consideraveris festucam in oculo fratris ac proximi; sed trabem, quæ in tuo est, assidue potius animadverte[3]. Ubi ex oculo tuo trabem eripueris, tunc ex fratris quoque, et proximi oculo festucam eximes. Quod si te curare non potes, est quod gravem cæcitatem tuam defleas. Quomodo enim aliis lumen præbere poteris? Prius ergo tibi ipsi medere, o anima! et postea fratrum infirmorum sanitati attende. Nullam socordiæ tuæ excusationem habes. Cuncta enim tibi largitus est sanctus Deus, judicium, et intellectum, et cogitationem rerum spiritualium. Quæ tibi prodesse possunt, agnosce.

III. Tunc duo illi fratres et ipsi illacrymantes, his me verbis interpellabant: « Quid ita acerbe plangis, o pater? » Et ego ad ipsos: « Meam, inquam, socordiam, o filii charissimi, defleo. Cum enim cognitionis nobis lumen tribuerit Deus optimus, ego quotidie illud repello. Nam si divinæ

[1] Luc. XVII, 24. — [2] Matth. XXIV, 42. — [3] Matth. VII, 3-5, et Luc. VI, 41, 42.

voluntatis mandata perfecissem, beatus sane in hora illa forem : et non solum ego, sed et omnes qui obediunt voluntati ejus. » Idcirco, fratres, nullam penitus ibi excusationem habituri sumus, quoniam scienter peccamus cuncti. Divinam itaque providentiam, et quanta nobis pro sua bonitate largiatur Deus, consideremus universi. Semper ejus gratia corda nostra visitat : et, si locum, ubi requiescat, invenerit, ingreditur, semperque in anima inhabitat : sed si cor immundum offenderit, illico recedit. Rursusque miserationes ejus cogunt eam ad nos peccatores invisendos venire ; quoniam omnes mutabiles sumus, libera voluntate, non natura : elati semper invenimur et segnes, invidi et improbi, mala alii contra alios assidue cogitantes, pravisque ac impudicis cogitationibus gaudentes, in iisque, velut in fœtidissimo cœno, perpetuo jacemus. Unde fit, ut cum ad nos visitandos gratia ingredi cupiat, improbarum cogitationum fœtorem turpissimum in cordibus nostris reperiat : quare illico recedit, cum locum introeundi ac quiescendi in nobis, sicut volebat, non inveniat. Verumtamen cor nostrum dulcedine luminis sui pulsat, ut resipiscat, quoniam visitavit illud, et non invenit locum introeundi. Ut sic lucis dulcedine allectus homo, ipsam inquirat : nequit enim penitus nos gratia deserere : a propria enim ipsius benignitate eo adigitur, ut omnium nostri misereatur.

IV. Cernis providentiam Dei? Cernis Christi in nos pietatis viscera? quanto nos desiderio Deus sanctus desideret? et quantopere nos salvari cupiat? Felicem atque beatum illum, qui purum semper cor gratiæ parare studet, ut cum ad introeundum venerit, offendens in eo suavissimum virtutum odorem, atque animæ sanctitatem, sæculis omnibus ibi mansionem faciat! Quid igitur misericordissimo Deo pro tot tantisque bonis ac donis retribuemus? quam illi

gratiam referemus, quod de cœlis e sinu Patris descendit? quod pro nobis in utero incarnatus est? quod nostri causa alapis cæsus est? Tametsi in terra mille annos viveremus, ne pro uno quidem colapho dignas Deo gratias referre possemus. Istud enim, filii mei charissimi, pertimesco : exploratissimam enim habeo negligentiam meam : ne omnes, qui me jam intuentur, ac beatum prædicant, fictamque pietatem ac religionem meam collaudant, ibi me irrideant, cum me igne cruciari aspicient.

V. Parce, parce, Domine clementissime, Christe Salvator, Fili unigenite, mihi servo tuo inutili; ne coram tribunali cum tremore et ignominia magna ibi deprehendar, ludibrioque sim spectantibus tam Angelis, quam hominibus. Verum hic me, Salvator meus, tanquam clementissimus pater et filiorum amantissimus, erudi et corripe; ibi autem, ut cœlestis Deus et solus absque peccato, ignosce mihi. Nisi enim in hac vita, Salvator, misero peccatori sanam mentem dederis, tuoque lumine cor ejus illustraveris, ut quotidie peccata sua per pœnitentiam abluat; illic absque defensione quid faciet? Antequam ego in terra essem, placuit tibi pro infinita misericordia tua, Domine, in utero matris meæ peccatricis formare me : et in lucem indignus ego jam editus, factus sum dignus, ut vas fierem gratiæ tuæ, et velut cithara bona, quæ verba salutis omnibus audientibus dulciter occineret. Hæc ego ignavus et peccator dona accepi, et tantæ tuæ gratiæ me per desidiam ingratum præbui. Tu dulcia sanctitatis cantica in ore inertis famuli tui exprimere dignare. Sicut voluit gratia, sic mentem tenebris circumfusam collustravit, ut laudes tuas dulciter personaret. Hujus ego rei gratia rursus ad te supplex recurro, Fili unigenite, Salvator animarum nostrarum, ut sicut hic gratia tua mihi quantumvis indigno fuit cunctis horis illuminatio, protectio, susceptio, perfugium

et gaudium; ita et illic, Salvator, sub umbra alarum ejus in horrendo illo judicio protegar; ut ad dexteram in regno tuo collocatus, gratiæque miserationes consecutus, et misericorditer salutem obtinens, longanimitatem tuam collaudem celebremque, mundissime Opifex, qui inutilis et peccatoris servi tui lacrymas nequaquam despexisti.

SERMO COMPUNCTORIUS II.

I. Compungere, o anima mea, compungere super universis bonis, quæ a Deo accepisti, et non custodisti. Compungere de omnibus, quæ fecisti, malis. Compungere in cunctis, in quibus te diu patienter Deus expectavit. Compungere, et pœnitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus. Resipisce, misera anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris. Hei mihi peccatori, qui puritatem cordis mei ob ignaviam meam contaminavi! Nam negligentia et pigritia mihi cordis libertatem obscurarunt. Improba concupiscentia mihi, ut dominus servo, imperat: egoque mox cum timore, infantis instar, obedio; meque dum decipit, oblector. Quis porro mihi condoleat, aut solatium præbeat? Solus ipse Salvator meus, qui propriam bonitatem possidens, in me desperabundum respexit. Hei mihi peccatori, quoniam solus ego vulneratus sum! Hei mihi, quoniam mundum me fecisti, Domine! ego autem me mea negligentia peccando fœdavi. Similis cum essem Angelis, me ipsum abjeci. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ sunt, et non est finis multitudinis earum. Quo pacto autem supplicabo tibi, Salvator meus, qui os meum conviciis et maledictis replevi? aut quomodo

collaudabo te, qui conscientiam pollutam habeo? aut quomodo te diligam, qui odio plenus sum? Quo pacto veritas in me inhabitabit, qui me ipsum mendaciis munivi? quonam pacto invocabo te, qui tua non custodivi mandata? Verum cum sis ipse mendacii expers, ne, quæso, me abjectum despexeris, neve detestandum me abjeceris, neque pene desperatum me deserueris. Valde enim lætatur inimicus meus, dum me de propria desperantem salute cernit: in hoc quippe solo lætatur atque exultat, ut me per desperationem captivum aspiciat. Verum ipse per viscera misericordiæ tuæ spem ejus confunde, meque ex dentibus ipsius eripe: et a fraudulenta atque maligna ejus mente, totoque, quem in me movet, conatu libera.

II. Ideo cunctos vos hortor, qui conscientia scelerum et iniquorum operum angimini, ne de vobis ipsi desperetis, neque adversarium vestrum lætificetis. Sed audacter ad Deum accedite, et coram ipso plorate, et nequaquam vos ipsos desperetis. Vehementer enim super pœnitentiam agentibus gaudet Dominus noster, conversionemque nostram libenter suscipit. Ait enim: « Post hæc omnia ad me » revertere[1]. » Rursusque per sancta Evangelia dicit: « Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego » reficiam vos[2]. » Nemo igitur se ipsum desperet, etiamsi peccaverit: requirentibus enim ipsum, mercedis retributor erit; aspernantibus vero, et nullam pœnitentiam agentibus, rigidum se præbebit atque austerum. Qua ergo via poterit quis eum inquirere et invenire? Primum quidem omnium, mutua erga fratres servanda est charitas. « Deus » enim, ut ait, est charitas[3]. » Si quis igitur charitatem possederit, Deum possidebit. Si quis humilitatem possederit, Christi similis est. Qui autem sine humilitate est, a Christo alienus est. Si quis obedientiam possederit, Deum imi-

[1] Osee XIV. — [2] Matth. XI, 28. — [3] I Joan. IV, 16.

tatur : qui vero contradixerit, Christo alienus redditur. Si quis præfecto paret, Angelos imitatur : qui autem resistit ei, diabolo familiarem se reddit. Si quis veritatem diligit, vere Christi amicus est : qui autem mendacio gaudet, diaboli discipulus efficitur. Qui fratrem suum amat, a Deo amatur : at qui odio fratrem persequitur, Deo exosus erit. Si quis fratrem apud alios calumniatur, cum diabolo condemnabitur : qui autem proximi causa patitur, Christum talis hæreditate possidebit. Si quis in peccatis aberrantem detestatur, se ipsum condemnat : qui autem lapso compatitur, ac condolet, mundam suam animam efficit. Qui erratum proximi publicat, suam animam contaminat :a t qui compassionis quodam affectu illud occultare studet, iræ tempore is protegetur. Si quis superbia inflatur quasi de vita a se recte instituta, seque perfectum existimat, laborem hic perdidit, et mercedem recepit : qui vero recte a se facta per humilitatem celare nititur, hic a Domino exaltabitur, suamque ab ipso mercedem accipiet. Si de bonis quis gloriatur successibus, hic cadet : qui autem se ipsum humiliat atque extenuat, in sublimiorem se altitudinem provehet. Qui ad iracundiam celer est, extra Dei justitiam est, neque cum ipso Christus demorabitur : qui vero mansuetudinem possidet, et benignitatem atque æquitatem amplectitur, hic domicilium est Spiritus sancti.

III. Si quis fratrem delinquentem aversatur, hic seductus est, mentemque vanam possidet : qui autem in charitate compatitur, in virtutibus perfectus est. Si quis fratrem peregrinum fastidierit, hunc aversabitur Deus : qui vero in charitate eum excipit, Deum ipsum suscipit. Si quis fabricationibus delectatur, et ædificiis, æternis se bonis spoliare satagit : at qui in spiritualibus occupatur et certat, hic æternorum bonorum dulcedinem novit. Qui splendidarum vestium elegantiam curat, divina stola exuetur :

at qui se vestibus ex consuetudine obtegit, spiritalem is stolam induere sedulo cogitabit. Si quis precationis ac psalmodiæ tempore negligens, distractaque mente fuerit, Deum hic ad iracundiam provocat : qui autem prompte ac sedulo psalmodia delectatur, Spiritus sancti hic particeps efficitur. Si quis circa Scripturarum utilitatem ac lectionem non elaborarit, easque avide non evolverit, arborem se is infructuosam reddit : at qui studiose illas excusserit, atque examinaverit, fructum duplicat, instar ligni secus decursus aquarum plantati[1]. Si quis in nocturnis precibus somno se dederit, eumque prætulerit, carnalem se, non spiritalem esse demonstrat : qui autem sibi vim facit ad vigilias cum alacritate, hic cum desiderio Christum quærit. Si quis in verbis inanibus multus sit, abominabilem seipsum coram Deo et hominibus reddit : qui autem silentio se accommodat, Deum glorificat, et a multis diligetur. Si quis ex fratribus abundans indigentiori non suppeditat, hic sanctimoniæ expers est, et bonis ipsius alii ad delicias abutentur : qui vero præbet indigenti, regnum cœlorum possidebit. Si quis tanquam validus et sanus in infirmiorem impotentioremque effertur, is et a Deo maledicetur, et ab ipso audiet : « Omnis qui seipsum » exaltat, humiliabitur[2] : » at qui succurrit atque compatitur, a Domino audiet : « Quod uni ex minimis meis fecis» tis, mihi fecistis[3]. »

IV. Si quis conturbat fratres, unum apud alterum traducens, hic Angelis et hominibus execrabilis erit : qui autem irascentes atque lugentes placat ac mitigat, hic filius Dei vocabitur. Si quis jejunium despicit, et carnalia desideria perficit, a puritate et castitate alienus est : qui vero seipsum jejunio conficit, operator omnis puritatis ac continentiæ pudicitiæque existit. Si quis edacitate epulisque

[1] Psal. I, 3. — [2] Luc. XIV, 11. — [3] Matth. XXV, 40.

delectatur, hic aperte gastrimargiæ spiritui servit : qui autem temperantiæ seipsum tradit astringitque, facile passiones cogitationesque improbas refrenabit. Si quis fœminarum congressibus delectatur, et apud eas alacrem hilaremque se reddit, passionibus pravis deservit, et cum conscientia bellum gerit : has vero qui aversatur, seque a consuetudine hujusmodi abstrahit, belli molestia liberatur, pacemque cum conscientia retinet. Si quis carnali sanguinis nobilitate gaudet, fiduciam in ea reponens, hic seipsum secundum Deum non tradidit, sed illudit, et illuditur suis cogitationibus : at qui a carnali se consanguinitate retrahit, in eamque cæco non fertur affectu, hic vere mundo renuntians, divino se servitio emancipat. Si quis ad præceptum superioris obmurmurat, obedientiæ mercedem aperte deperdit : qui vero alacriter mandatum exequitur, hic præclaram animæ pulchritudinem conservat. Si quis admonitus aversatur, et admonentem damnans, in eum stulte insurgit, Christum is repellit, omnique se commodo atque utilitate expoliat. Ejusmodi nos omnes cogitationibus, fratres, probos efficere ac decertare debemus : ideoque nobis ipsi attendamus, charissimi, ut ne per carnales affectiones atque passiones æternis bonis destituamur.

V. Hei mihi! cujusmodi præparatæ sunt deliciæ atque oblectamenta, nec est qui enitatur atque decertet, quique serio agat aut desideret : sed contra potius præsentia anteponimus, et temporalia minimeque permanentia : at bona illa æterna ne cogitatione quidem complectimur. O excæcationem! O imposturam inimici! Hei mihi! qualia tormentorum supplicia peccatoribus mei similibus et negligenter viventibus parata sunt? et non est qui reformidet ac contremiscat; sed tanquam nugas æstimamus quæ dicuntur, læti atque gaudentes passionibus corporis. Constricti enim

sumus iis velut catena aliqua ferrea, nec est qui certet, quin et sic ligati adhuc gaudemus. O pessimum inventum impurissimi draconis. Quo pacto cunctorum mentes excæcat, ut contrarium sentiamus, noxiaque præ futuris diligamus bonis. Venite igitur, fratres mei : venite patres : venite Christi servi : compungamur corde, et die noctuque coram ipso plangamus. Venite, et nobis horam illam, inevitabilemque necessitatem in memoriam reducamus, compunctique plangamus. Venite, et ineffabilia atque inenarrabilia illa bona ad mentem revocemus, et compungamur. Venite, et tremendi illius atque horribilissimi tribunalis, et confusionis, quæ nobis futura est eo tempore, recordemur, ac nos ipsos deploremus. Venite, et nobiscum ipsi recolamus, fratres, qua ratione Justi quidem fulgebunt sicut sol; peccatores autem tanquam ollæ adustio invenientur; et compuncti corde, bonorum operum æmulationem resumamus. Adeste ergo, fratres mei, et nos ipsos per charitatem in timore Dei confirmemus, ut æternis bonis potiamur. Venite, procidamus ei in compunctione ac simplicitate cordis. Bonus quippe est, et misericors, salvatque pœnitentiam agentes. Rogemus ergo eum, ut nos in regnum suum introducat : quia ipsi debetur gloria in sæcula. Amen.

ANIMÆ AD DEUM RECURSUS.

Quomodo anima cum lacrymis debeat orare Deum, quando tentatur ab inimico.

I. Anima angustiis pressa ad te recurrit, sancte Domine, et cum lacrymis tuum implorat auxilium adversus corrup-

torem inimicum; et cum omni humilitate supplex te invocat contra affligentem se adversarium. Quoniam igitur audacter ad te accedit, celeriter exaudi eam; et quia summo desiderii affectu ad te confugit, illam sedulo visita et protege. Si afflictam despexeris, perit. Si in angustiis constitutam audire distuleris, jam deficit. Si vero miserationibus tuis visitaveris illam, invenitur. Si respexeris illam, salvatur. Si exaudieris illam, corroboratur. Æmulare pro illa, quoniam tibi desponsata est. Hoc etenim Paulus apostolus, qui illam tibi desponsavit, affirmat, dum ait te immortalem zelatorem esse[1]. Ne ergo despexeris illam, nequando arbitretur inimicus te illi libellum repudii dedisse, atque abs te dimisisse. Erudi me, Domine, miserationibus tuis, et ne tradas me in manus corruptoris. Ecce enim cogitationes meas undequaque collegi, nec in me quidquam boni comperio, quod in conspectu tuo memorari possit, nisi hoc solum, quod præter te, alium ignorem.

II. Immensa latitudo est gratia curationum tuarum, et omnibus ad te accedentibus sanitatem largitur. Etenim mea vulnera miserationibus tuis assidue sanantur, quæ eadem rursus propriæ negligentiæ vitio putrescunt. Nunc obliviscor medici, dum sanus sum, qui idem et mei obliviscitur in ægritudine mea. Quod molestiam tibi afferunt peccata mea, scio: quodque misericordiam consecutus, te iterum ad iracundiam provocem, non ignoro: et quod ex pietatis tuæ clementia me toleres, non obliviscor. Nam et indulgentissima mater, licet a suo infantulo irritetur, non tamen ob id despicere illum potest: vincitur enim propriis pietatis visceribus. Si ergo sic illa, quanto magis indulgentia tua? Ecce, Domine, et volucrum viscera super pullos suos funduntur, illosque certis horis visitant, et escam eis deferunt, elaborantque ut nutriant illos: propriis enim su-

[1] 2 Cor. xi, et 1 Cor. i.

perantur visceribus. Quod si animalia rationis expertia adeo indulgentia sunt, quanto amplius infinitis partibus gratia tua visceribus pietatis victa, eorum qui ad se accedunt, eamque vere requirunt, miserebitur ? Ecce rursus fons aquis abundans, indeficienter scaturiens, affatimque cunctos ad se venientes potans, laudem ab hominibus promeretur. Nec tam in fontem laus ea redundat, quod gratis potum cunctis exhibeat, quam in te potius, qui ejus affluentiæ merito laudaris : clarum enim est, quod per beneficium gratiæ tuæ, potum ille ubertim præbeat. Ecce immensum miserationum tuarum pelagus fons iste designat, ut qui cœlestes virtutes liberalissime nutris, omnemque, qui super terram est, spiritum provide disponis, cum laudibus non indigeas, neque glorificatione ullius rei creatæ : gloriosus enim es in substantia majestatis tuæ et in magnificentia gloriæ tuæ.

III. Charitas tua nostræ salutis cupida, se ipsam ad nos inclinat, ut dum ea a nobis glorificatur, nos quoque in ipsa per ipsam salutem consequamur. Certus sum enim quod hæc charitas gratiæ tuæ suscipiat atque amplectatur omnem ad se accedentem. Cumque omnia prænoscas, Domine, accedentis ad te cor intueris, siquidem mundum omnino exuit. Priusquam pertingat ad januam, tu ei aperis. Antequam tibi procidat, manum ei præbes. Antequam lacrymas profundat, tuas super illum miserationes effundis. Antequam sua tibi debita confiteatur, indulges atque remittis. Non improperas illi, dicens : « Quo pacto transegisti tempus? Ubi ætatem consumpsisti? Non perquiris quantitatem chirographi peccatorum ipsius. Non revocas in memoriam, quantum te per suam exacerbaverit negligentiam. Non exprobras quantum tuo spreverit ipse beneficia : at humilitatem potius, atque fletum, et bonum affectum cordis prospiciens, clamas : « Proferte stolam pri-

» mam, et induite illum; mactate ei vitulum saginatum ad requiem atque lætitiam [1]: » conveniant Angeli, et congaudeant super inventione filii perditi, ac conversione errabundi hæredis. Et velut negotiatorem aliquem cum multis opibus ad propria remeantem, ita eum, qui ex tota anima ad te accedit, gratia tua suscipit. Cupit enim videre lacrymas, sititque pœnitentiam intueri, gratulans iis, qui serio pœnitentiæ studio se dedunt.

IV. In me igitur, Domine, immensa pietatis tuæ viscera ostende, et remitte mihi, ut a corruptoris liberer nexibus: quippe qui ubi me vulneraverit, stans cominus irridet me. Et sicut in mari Discipuli ad te confugerunt, teque excitarunt, et per benedictam vocem oris tui procella venti cessavit, et tempestas fluctuum facta est tranquilla [2]: ita quoque exaudi lacrymas meas, quoniam die noctuque suscitant te. Annos duodecim medici laborantes, non potuerunt curare fluxum sanguinis [3], molestiam potius, quam sanitatem ægrotanti præbentes. At quod non potuerunt illi, tu præstitisti; et quæ illi confundebant, tu sanasti, remediumque absque ullo labore largitus es. Cum enim mulier illa se putaret tibi latere, clam ad vestimentorum tuorum fimbriam accessit: accessit, inquam: non quidem sanctum corpus attigit: sed sola vestis tuæ ora curationem illi præbuit, et liberationem a dedecore multorum medicorum. Libera, obsecro, et animam meam a confusione et improperio affligentis me inimici, piissime Medice. Ostende in membris meis multam sapientiam tuam, et incontaminata effice vulnera mea, eisque virtutis decorem insere, et prædicetur gratia tua, quoniam ipsa liberavit me, o Agne immaculate, qui pro salute mundi immolatus es, cœlumque ac terram pacificasti. Ne me, quæso, ad te importune ac-

[1] Luc. xv, 22, 23. — [2] Matth. viii, 26. — [3] Id. ix, 20, Marc. v, 25, et Luc. viii, 43.

cedentem abjeceris; neque dixeris mihi: « Quid mea causa passus es? » In die illa terribili atque tremenda nobis peccatoribus dices: « Nostis quid pro vobis sim perpessus? Cum enim invisibilis essem, vobis me videndum exhibui: cum immortalis essem, propter vos morte condemnatus sum: cum nullum in me peccatum cadere posset, propter vos alapis cæsus sum: ita cum crucifigerer, non irascebar: cum irriderer, non maledicebam. Ego Dominus, in quem nullum omnino cadere poterat peccatum vel crimen, ista omnia sustinui: vos autem, qui rei estis, quid pro me perpessi estis? » Idcirco nullus nostrum ad hæc excusationem habet.

V. Memento, Domine, ista te omnia sustinuisse nostra causa propter pietatem tuam, bonitatemque ac justitiam, et non propter nostra opera bona. Ut enim tunc pro nobis traditus es, bonus, sanctus, et omnis peccati expers; et nunc idem es, Domine. Neque enim mutabilis est summa pietas Divinitatis tuæ, quam habes secundum naturam. At nos et tunc impii atque improbi, et nunc peccatores et infirmi sumus. Donum ergo, quod nobis pro tua pietate donasti, a nobis ne abstuleris. Nam si tunc quidem propter nostram justitiam liberasses nos, nunc vero quia peccavimus, idcirco irascereris, et manum tuam a nobis auferres; merito diceremus: « O Sancte, tunc propter justitiam nostram liberasti nos; modo autem, quia peccavimus, recessisti a nobis. » Verum, ut jam dixi, et tunc impii fuimus, et nunc peccatores sumus. Donum ergo istud, quod nobis benignitate tua largitus es, in finem usque firmetur in nobis. Equidem, Domine, ego anima afflicta etiam atque etiam clamo ad te, atque adversus hostem meum interpellare te cogor. Respice, Domine, et esto mihi refugium; illiusque prædones tua increpatione coërce: nam singulis horis invadunt me, nec sentio: subrepunt mihi, nec intel-

ligo: distrahunt me, atque ad res inanes attollunt, nec compungor. Impediunt me, neque ut te implorem, sinunt. Norunt enim, si cum lacrymis ac gemitu ad te clamavero, te non dimittere.

VI. Hei mihi! quem et qualem adversarium in lucta habeo? Sed me beatam ac felicem, cui talis Redemptor est, talisque certantium in agone retributor. Basiliscus quidem bestia utrinque nocens est, aspectu scilicet, et acerbitate morsus. Sed iste draco ex parte utraque illo nequior est et perniciosior, in lucta, et in impudentia. At virtus tua sancta, quæ devoravit virgas in dracones mutatas, increpet et draconem istum, qui impudenter ad me accedit; et pugnæ quidem suæ improbitate ac petulantia, sustinentibus atque resistentibus thesaurum operatur; vexatione autem atque afflictione, quam ejus afferunt comminationes, latentem conciliat felicitatem. Nam istius quidem sæculi gaudium, tristitia atque dolore plenum est; tristitia autem tem ac gemitus, gaudium vitamque æternam parit. Semper infirmus fui, sumque adhuc, Domine: sed indesinenter me tua gratia visitat, et sanat. Singulis quoque horis neglexi ac negligo mercedem curationum ejus. Cumque omnem pretii æstimationem excedunt remedia gratiæ tuæ, illa tu gratis donas. Et quoniam lacrymis ipsa largiris, da et mihi, obsecro, per meas lacrymas curationem animæ meæ. Perspicuum namque est omnibus sæculum hoc præsens loco certaminis esse persimile: ubi validus ille draco cum omnibus decertans, ab aliquibus quidem superatur et conculcatur; nonnullos autem vincit et pessumdat ipse: a quibusdam dejicitur et irridetur; nonnullos dejicit et subsannat ipse. Atque alii quidem ex colluctatione cum illo coronantur, alii vero superantur. Illi quidem per ejus acerbitatem, æternæ vitæ dulcedinem consequuntur; alii autem dulcedine ipsius, et propria inertia emolliti ac deliniti, ama-

ritudinem æternorum suppliciorum incurrunt. Alii summa rerum omnium paupertate, ipsum facile prosternunt et vincunt : alios vero terrenarum rerum cupiditate devinctos ipse prosternit ac superat. Iis, qui ex animo Deum concupiscunt, levis ac nulla est illius pugna; illis vero, qui mundum diligunt, eadem gravis est et intolerabilis.

VII. Beati qui Deum diligunt, et per dilectionem ejus contemnunt universa. Beati qui die noctuque lugent, ut a ventura ira liberentur. Beati, qui sponte sua se humiliant, quoniam illic exaltabuntur. Beati qui continentes fuerint, quoniam deliciæ paradisi eos manent. Beati qui sua corpora in vigiliis et exercitationibus virtutis afflixerint, quoniam paradisi exultatio iis parata est. Beati qui sponte facti sunt templum Spiritus sancti, quoniam illi ad dexteram statuentur. Beati qui charitatem Dei in anima sua possederint; quoniam ipsi amatores Christi vocabuntur. Beati qui seipsos crucifixerint, quoniam die ac nocte meditatio eorum in Deum defixa est. Beati qui in veritate lumbos suos præcinxerint, lampadesque suas paratas habuerint, expectantes sponsum suum, quando revertetur a nuptiis. Beatus qui mentis oculis speculari potuerit futura bona, et supplicia æterna, omnique studio ad consequendam sempiternam felicitatem contenderit. Beatus, cui ob oculos assidue hora illa horroris atque formidinis plena versatur, Deoque placere studet, dum tempus adhuc suppetit. Beatus qui omnis perturbationis, instar Angeli, in terra expers fuerit, ut cum Angelis in die illa gaudeat.

VIII. Conemur ergo, fratres, superna respicere, superna sapere, superna cogitare, de supernis disserere, superna animo volvere, superna meditari, superna intelligere, superna loqui, superna perficere, superna pertractare : in omnibus et per omnia conversationem nostram in supernis habere, supernisque assuescere. Caveamusque ad inferiora

obtutus convertere, ubi voluptates, et concupiscentiæ inanis atque mortiferi sæculi hujus. At præclarum est oculis cordis semper videre atque prospicere, ne quid in pupillam oculi incidat, neve mentis aciem cogitatio aliqua improba, aut quid aliud Domino Deo displicens perturbet obtenebretque. Sed audi, quæso, qui legis; de me ipso autem loquor; habemus quid perpetuo cogitandum sit nobis: habemus Angelos, habemus Archangelos, habemus Virtutes, habemus Dominationum gloriam, habemus Cherubim, habemus Seraphim, habemus nos ipsos, habemus universorum Dominum Deum, bonum et sanctum nomen: habemus Prophetas, habemus Apostolos, habemus sancta Evangelia, sermones Domini: habemus Martyres, habemus Sanctos omnes: habemus Confessores, habemus sanctos Patres, Patriarchas: habemus Pastores, habemus Sacerdotes: habemus cœlos, et omnia quæ in eis sunt. Hæc meditare, in istis mentem tuam defige, erisque filius Domini Dei, gratia et benignitate Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi: cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESES, SEU ADHORTATIONES AD PŒNITENTIAM.

PARÆNESIS I.

I. Pœnitentia est civitas refugii, longe posita non est, cum sit unicuique nostrum præsens, et omnes ejus obsideamus januam. Hebræus longam ire viam cogebatur, designatam sibi refugii urbem tenere cupiens, nec tamen assequi semper, vixque unquam sine multo labore licebat, et periculum evadere. Felices vos, quibus illa sponte se

offert : disce Deo habere gratiam, qui tibi fugienti receptricem pro foribus statuit pœnitentiam. Si forte quispiam lectos ex agro lapides projiciens, aut ligna in sylva cædens, illac incedentem vulnerasset; non ideo quod invitus et imprudens id fecisset, censebatur culpa vacare; ut ergo pœnam evaderet, pœnitentiam ostendere debebat, et ad voluntarium exilium in urbem refugii concedere. Quale ergo extra pœnitentiam perfugium speret, qui inita subductaque ratione hominem sive telo, sive isto pejore dicto offendat? Illum proinde suspice et lauda, qui civitates refugii bene multas condidit, ut resipiscentium numerum conduplicaret.

II. Ad januam arcæ noëmicæ plurimi confluxere deprecaturi naufragium; neminem tamen illa recepit, exclusitque sceleratos, quæ muta animalia ultro admisit. Arcam, fratres, putate pœnitentiam, Deo nostram miserante infirmitatem; homines intrare recusantes trahit; brutis ratione carentibus ingressum negat. Arcæ thalamos breve spatium circumscribebat; tuus, pœnitentia, sinus tam late patet, quam ample se pandit animus sua crimina sincere damnantis.

III. Moses in tribus civitatibus refugii totidem virtutes adumbravit, fidem, spem, hujusque cognatam charitatem, cum extra hujusmodi septum nullam sit sperare salutem; hisque adjecit alias tres, triplicem designans futurum in populo nostro ordinem hominum, infimæ nimirum virtutis, mediæ ac summæ. Quanquam similitudines et comparationes non semper res ipsas perfecte assequuntur, sed ab eis sæpe deficiunt in multis, quæ proinde abjicienda sunt; nec enim tute nucleum quantumvis palato gratum comedes, nisi ante putamina reseces; quamobrem etsi Hebræis ex urbibus, quo profugerant, excedere tandem licebat, nobis certe pœnitentiam deserere nunquam licebit : rursus si Hebræi figuras abs se missas fecerunt, nos utique res

ipsas illis symbolis adumbratas usque retinere debemus.

IV. Porro Noëmus arcam reliquit, innocentiam nunquam dimisit, freta fugit, conservavit fidem. Vidit illum Cham ex non prævisa temulentia indecore nudatum; nunquam vidit Satanas culpa inquinatum, cum sane gratissimum ipsi fuisset ejus corpus cernere honestissime compositum, modo animum inhonesta cogitatione turpatum intueri licuisset. At tu cave, ne tibi diabolus auctor fiat, ut vultum magis, quam ingenium modestum habeas, extrorsum castis moribus et pudore integrum, introrsum perditum, et flagitii plenum. Quid, quod nec civitas refugii cuilibet sine delectu patuit? neque enim unquam admisit sicarium, qui meditato scelere hominem necasset; talem enimvero ferro illa nudato retrocedere jubebat, tradebatque insecutoribus trucidandum severa, atrox, terribilis. Oppido quantum ab ejus moribus in hac parte abhorres, pœnitentia? sic effuso sinu omnes promiscue delinquentes excipis et complecteris, divinam imitata clementiam: tuum id est ingenium, nec enim decebat te Domino dissimilem esse tuo. Quanquam sicuti civitates refugii Dei misericordiam repræsentabant simul et æquitatem; sic pœnitentia ambarum imagines expressit, et ubique præfert; quapropter uti jura in reum cogitata ratione hominem interficientem severe animadvertendum statuunt; sic pœnitentia non omnes indiscrete absolvit: Iscariotam namque ficte resipiscentem abjecit.

V. Ehodum erubescite pietatis desertores increduli, quicumque justissimam legem carpere et vituperare non veremini; nam etsi culpandi non sunt homines oculis, aut pedibus capti, si opportuna ad civitates refugii fuga persecutores prævertere non potuerunt; acerrime tamen increpandi quicumque languori desidiæque se dedidere, indeque sibi oblatum pœnitentiæ perfugium aspernantur;

qui enim, quod vehementer appetunt, non assequuntur, eo quod vires desiderium non æquant; satis ostendunt quam culpabiles sint, qui, quam quærere debebant pœnæ immunitatem, et obtinere facile potuissent, neglexerunt. Trepidus procurrit ad templum Joabus, et cornua altaris æquissimi Judicis apprehendit, supplicem tamen ille repulit et Banaïæ filio Joïadæ confodiendum reliquit[1]. Cavesis ergo, neglectis pœnitentiæ remediis, soli religioni confidas; nec enim minus ista sceleratos execratur, quam altare nocentem Joabum.

PARÆNESIS II.

I. Cum Dominus sis meus, ad tuos supplex accido pedes, et cum bonus sis, tuas pulso fores : neminem tuum, Domine, fefellit promissum : « Pulsate, dixisti, et aperietur » vobis[2]. » Illæ nunquam occluduntur ; et ne forte scelestos eas pulsare pigeret, justis et iniquis assidue patent. Ædium tuarum limina reis demonstras, ut intelligant sibi semper orandum atque pulsandum, nec unquam desperandum introitum, scilicet tantopere nos amas, ut non modo nos doceas, verumetiam compellas tuorum thesaurorum pertentare aditus. Ecce autem petivi, quæ me petere docuisti; quæ tu, Domine, promisisti, ut jam præstare velis, oro; tuas pulsavi fores, quod meum esse monuisti, quod tuum est, teque facturum recepisti, ingressum annue petenti. Aurum non postulo, mammona iniquitatis est et ipsa iniquitas, neque fundos et luculenta prædia quæro, inutilia sunt hæc ad salutem; longe potius est, impetrata delicti venia, evasisse pœnam, quam multas collegisse opes, et

[1] 3 Reg. II, 28 et seqq. — [2] Matth. VII, 7.

inopem vacare culpa, quam criminosum amplo gaudere censu; quare nec dubito, quin dives ille exitus sui certior factus, omnia quæ numerabat auri pondera cum inopia simul et corona Lazari libentissime commutaturus fuisset. Nemini e corpore excessuro aliquid secum auferre permittitur, sicut scriptum est, ac si totum ei liceret asportare patrimonium, quid? num non pro guttulæ aquæ pretio id distraheret? quisquis sepulcrum deserit, alterutrum secum efferre cogitur, aut laudem virtute partam, aut reatum culpa contractum.

II. A prudentibus et fatuis viginibus didici, quales tibi merces afferre debeam, ædium tuarum ingressum postulaturus; atqui si hic illis non patuit, quibus, etsi aderat virginitatis honor, deerat olei copia, quis mihi homini ad omnem nequitiam projecto similem defectum suppleat de suo, misertus mei? Et virgines quidem fatuæ nobis describunt exemplum; dives autem etiam speculum offert; monent ut, dum vacat, misericordiam, absente justitia, exorare studeamus. Et sane dum opportune suppetit balsamum aptum cæco ulceri medicamentum, idque medicus ultro offert, næ ille chirurgus ineptus sit, qui istud ægro adhibere usque detrectet, donec hunc opprimat justitia, eique magnas intercludat fores.

III. At enimvero saluti non despero meæ, quandoquidem incidere dudum ulcera letifera pluribus, quæ porro pœnitentia curavit: labes item alii contraxere fœdissimas, quas Dei miserentis benignitas detersit. Quidquod Jesus ægrum sanaturus, sic præfatus est: « Dimittuntur tibi peccata tua[1], » et omnes seu animæ, seu corporis morbos depulit, idem regum Rex crucem in clavem paradisi mutavit, et hunc latronibus et sicariis aperuit? ipsum sane repræsentat pius pater, qui reducem filium illis excepit

[1] Marc. II, 5.

verbis : « Hic filius meus mortuus erat et revixit; perierat, » et inventus est [1], » resipuit, et vitiorum laqueos evasit. Meam iterum spem erigit vitulus saginatus, perditique juvenis abstersæ ejus cruore labes, et nobili fascia alligata vulnera; latro item ob simplicem confessionem in paradisum receptus, et meretrix criminum suorum chirographum lacrymis oblitterans. Sciens itaque post delictum resipiscentibus promissam redintegrationem, et factam commissorum gratiam publicanis atque avaris, quam cum fide poposcerunt veniam, libens Zachæo me socium adjungam, et fœminam sequar, quæ ad pedes abjecta tuos, præteritæ vitæ malefacta flevit, lacrymisque delictorum relaxationem exoravit.

IV. Ab istis et in istis, qui ante tibi extranei fuere, deinde tui per fidem evasere familiares, didici, Domine, tuum mansuetudine ipsa esse mitius pectus. Et sane si scire cupis Judicis ingenium, ejus scitare domesticos; ac si Legislatoris naturam conjectare velis, utrum ad lenitatem et indulgentiam propensior fuerit, latas ab eo leges considera. Ex Discipuli forma magistri informantis disciplina arguitur, et quam ille voluntatem habuerit, facilem ne ac benignam erga extraneos et ignotos, quamque illi grata fuerit Sanctorum consuetudo, et quam jucundus conspectus.

V. Ecce autem tua, Domine, domus peccatoribus plena est, et resipiscentibus ultro se offert, accedentibus prætendit manum, amplissimum præceptorum tuorum rete evolvit et pandit propinquis et extraneis; hanc intra retem erat Paulus, quando clamabat advenisse Christum, ut salvos faceret peccatores, quorum, inquit, « Primus ego sum [2], » ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam gratiæ suæ. Petrus item flevit et convaluit, postquam

[1] Luc. xv, 24. — [2] 1 Tim. 1, 15.

Magistrum negavit, seque ab illo alienum finxit. Aaron similiter turpiter lapsus est, quando vitulum conflavit, tandem resipuit, et justus factus est; sed et David, medicus cætera expertissimus, aliquando ægrotavit; ægritudinem fassus est; salutem non desperavit, et consecutus est. Rursus Israëlitarum seniores, et militiæ duces, Deo offenso, commissa pugna victi sunt; mox, eodem placato, repararunt bellum et feliciter confecerunt [1]. Quis jam obducat oculis velum, ne speculo Scripturarum monitore utatur, vel spectata felici tot criminosorum pœnitentia, languori suo similem medicinam adhibere recuset?

VI. Undique premunt me, Domine, mea mala, morbi, peccata; nec porro mihi alius extra te occurrit medicus similis tui, cui ea aperiam. Atqui nec te in terras accersivere Justi, sed peccatores, amissam tuam gratiam reparare cupientes, neque propter bene valentes sua componunt medicamenta medici, qui utique laborantibus consulere satagunt, et perditam restituere sanitatem. Tu ipse affirmabas sanos medicorum opera non egere, neque pœnitentiæ remedia Justis et consummatæ perfectæque virtutis hominibus parari. Omnes medici seu simplicibus, seu compositis medicamentis morbos depellere conantur; tua vero charitas nec medicinas, nec pharmaca ægros curatura affert : peccatores similes mei tua indulgentia indigent, et qui non dissimili laborat morbo, non aliam afflagitat curam. Medicus mercedem prius paciscitur, deinde curationem aggreditur ; qui autem sanandus ad te profugit, morbum depulit, mercedem non dedit, sed accepit.

VII. Paralytico illi ad te accedere non licuit, ut tibi ægritudinem suam ostenderet; tua te benignitas et clementia ad ejus lectulum pertraxit, et ejus morbum fugare persuasit : tua, Domine, bonitas fatuos et errantes insequitur,

[1] Judic. xx, 26.

et insanis ingeminat, ut insanire desinant. Perduelles et refractarios tua domat charitas, et doctrina feroces mansuefacit; perditos tua misericordia recuperare laborat. «Venite ad me, clamat tua charitas, vos, qui in vanum laboratis, et onerati estis, vosque, quorum pectus ardet cupidinibus. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; jugum meum volentibus suave est, et onus meum leve[1].»

VIII. Averte, Domine, malum; neve committas, ut tuum ego excutiam jugum, quod utique suavissimum cunctis esse debet, aut voluntatis meæ humerus susceptum tui amoris onus permutet. Prohibe ne venator ille callidissimus doctrinæ suæ laqueum mihi obtendat, meque suis illecebris et voluptatibus capiat, neve victum me tanquam leo corripiat, meaque consilia frangat, et culpa, quasi leæna opes, quas hactenus collegi, dissipet. Leo, quem invaserit, palam discerpit; culpa contra clam truculentior illo ista est, quod corpus et animam dilaceret. David tua virtute munitus leones stravit, et interfecit lupos; confido me de diabolo triumphaturum; lupus ille et leo est; mihi exitium machinatur ubique; ferum, precor, cohibe istud; vereor ne animum suis dentibus petat meum, et mentem noxiis discerpat curis, quin ipse victus occumbat, servus autem tuus davidicæ victoriæ geminet exemplum.

IX. Porro David leonem quidem vicit; victus ipse in solario fuit; fulmineis culpa venit ad eum dentibus, et incautum momordit, ictus ipse ferientem repulit, et pœnitentiæ jactatum funda procul a se abjecit. Leonem ipse peremit, et occidit lupum, a musca in pace profligatus stratusque fuit; quanquam a Nathane monitus, mox sustulit flagitium, cujus lenocinio captus, ad illud pertractus fuerat. Non ego mortalium deterrimus sanctissimorum

[1] Matth. xi, 28-30.

Patrum in mores inquiro, quorum præclara gesta recolens, sapientiam vehementer admiror, et eam, qua te post lapsum dilexere, charitatem. Alius omnino mihi hoc loco scopus, is videlicet, ut in illorum peccatis velut in speculo vitiorum meorum colluviem pervideam, atque, dum hæc mihi agitur vita, quam illi consecuti sunt, veniam ipse persequar. Equidem non video quamnam ego causam obtendere valeam, quominus Justis me adjungam, qui quando desipuerunt, vix desipuisse visi sunt, et ubi desipuere, inde ad te amandum luculentiore quodam incendio vehementius exarserunt. Me miserum! cui vix elabitur dies, quo non delinquam; nec hora, qua me deliquisse non pœniteat; sed nec pœnitentiam meam sinceram esse reor, quam culpa mox subsecuta dissolvit.

X. Quisnam extra te tui similis nobis occurrat chirurgus, omnia vulnera obligare paratus? Nec enim si contingat, ut uno coeunte ulcere alterum proserpat, et ægrum diu tenere pergat, ejus aliquando curationem intermittit. Tua siquidem charitas ad procurandam ægris medicinam sollicitat, tua peccatorem misericordia ad illam accipiendam provocat. Infelix homo, clamat, quin ad me securus properas? cur criminum tuorum veniam desperas? Nam etsi septuagies septies peccaveris, brevis hora amissam reparabit gratiam, etsi debiti summa ad quingenta talenta procedat, fœminæque peccatricis debitum exæquet, tibi utique istud condonare non abnuo. Decies millena criminum pondera, si me rogaveris, remittam; ac si sub occasum unam horam laboraveris, tibi denarium solvam; sique cum novissimis veneris, cum primis te accipiam; quæ tibi inflixerit diabolus vulnera, omnia curabo; omnes, quas latrones imposuerint, plagas medicabor; quin et si totum corpus tuum mortuum fuerit, illud resuscitabo, et si tota tua anima conciderit, relevabo.

XI. Oro quæsoque, Domine, prohibe malum, quæ unquam pertulerim maximum, ne a tuis foribus discedam, deseramque tuam illic assidentem clementiam, et arcem refugii, quam tua ista obtinet misericordia : neve mihi incidat languor, desidia, torpor, unde contracto, quem culpa generat, morbo, pœnitentiæ medicamenta requiram, aut dum iis præpostere confido, medicina mihi fiat causa desidiæ, et precandi studium extinguat, quo carere mihi majus malum est, quam quod Esaü passus fuit, juribus primigeniis spoliatus. Cave mihi, precor, ne pecuniam, quam a te accepi, recondam, indeque ob neglectam fœnerationem a te justo Judice condemnatus, ignavi illius servi supplicio plectar; ne, quæso, tua sententia arguar sortis et usuræ decoctor, pœnasque audaciæ feram meæ, quod utrobique officium neglexerim; annue supplici et elargire, unde tibi pecuniam tuam cum suo fœnore appendam, et gaudeam mea me nomina explicuisse, et creditori fecisse satis : adesto mihi, ut, dum vacat, facta, dicta, cogitata mea discutiam, et omnium, quæ per omnem vitam deliqui, gratiam obtineam : ferto opem, ut ipse meis medelam afferam malis, et vitia revellam, dum adest medicus curationem non recusans, et chirurgus ulceratos ac tabidos non fastidiens.

XII. Et quoniam liber ad tuæ clementiæ conspectum conceditur aditus, ejusque ædes, accedentibus quibusque patent, præsta, ut mea ulcera videam, eisque salutarem pœnitentiæ pulverem inspergam. Interim autem dum misericordiæ dies nobis constat, et operæ fructus, pro salute excubandum; ocyus enim sese obtendet nox, in qua, sicut nos admones, nemo potest operari. Stat ergo circumfusam vitiorum caliginem perrumpere, et sursum versus ad solem festinare.

XIII. Enimvero tandiu errasse pudet, ad tuam januam

redeo. Diaboli fraude circumventus, libidine insanire cœpi, abdomini inservire, et inerti torpere otio; at si tribus ille me cepit, tribus item enitar ejus evadere laqueos, charitate nimirum, quæ torpentes excitat et accendit; spe, quæ demonstrato ad salutem aditu, iniquos ad justitiam allicit, et fide, quæ ad bonam frugem redeuntes proposita veritate, velut porrecta manu, sustinet labantes, et infirmos corroborat. Dicentem te audivi nunquam despectum iri cor contritum, malefacta damnans sua, et in palæstra pœnitentiæ exercitatum. Jam si cor ita dispositum non damnas, modo ipsum se damnet, et factorum recordatione se torqueat, in asceterio pœnitentiæ, nos ecce mœrentes habes, demissos, memoriaque peccatorum afflictos : mens tota dolori incubat, lacrymis diffluunt oculi; intima creber quassat viscera gemitus; ut delictorum suorum chirographum recipiant, instant, veniam erroris efflagitant. Davidem interpellabimus, qui e suis Psalmis magnum illud pœnitentiæ carmen nobiscum recinat : « Miserere mei, » Deus, secundum magnam misericordiam tuam [1], » exaudi nos; ne nos, quæsumus, tuæ clementiæ janua ante dimittat, quam exorata expungat debita nostra; nec enimvero alius nos sollicitos tenet creditor extra te; annue itaque supplicibus, « Et secundum multitudinem miserationum » tuarum respice nos [2], » et dele peccatorum nostrorum chirographum : dumque meorum ego scelerum colluvionem in speculo pœnitentiæ contemplor, tu, Domine, « Amplius lava me ab injustitia mea, et a delicto meo » munda me [3] : » Te aspirante, confido fiet, ut corpus quidem suas sibi gratuletur ablutas sordes; anima vero tersas vitiosarum cogitationum labes, seque tua aspersam hyssopo mundatam, indeque filio Jesse gratias habeat ob fructum a suis Psalmis perceptum.

[1] Psal. L, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 4.

XIV. At enimvero majoribus adhuc tibiis præstat tuam extollere misericordiam, indeque natam de resipiscentium pœnitentia lætitiam, tum adorare et mirari charitatem, quæ ad recipiendos criminosos et sceleratos te semper paratum facit. Quandoquidem igitur inexhausta tua bonitas tanta cum liberalitate delinquentibus se profundit, quid jam eos moretur, quominus alis clementiæ tuæ sublati, ad te profugiant? et fœminam illam imitentur, quæ sui languoris medelam ex vestis tuæ contactu se recepturam confidebat. A publicano pœnitentiæ documenta sumamus, verba usurpemus, supplices clamemus: « Fili Dei Deus, propitius esto nobis peccatoribus, teque invocantes exaudi; tua me e luto decerpsit pietas, tua exemit laqueis disciplina, lapsum e fovea eduxisti me: nos tuere, precor, omnes, ne in nostra relabamur mala, unde diabolus de nostra lætatur ruina, postquam erecti sumus et convaluimus; vel novas a latronibus accipiamus plagas, postquam acceptæ coaluerunt. »

XV. Pie Medice, qui cunctis ubique ægris te præsentem et facilem impertiris, nostra, quæso, medicare mala; Chirurge admirabilis, qui, dum vulnera alligas, sanas, animarum nostrarum ulceribus adhibe medicinam. Omnis ægrotorum spes in medico posita semper est, et chirurgi sermo languentem recreat. Verba tua, Domine, me confirmarunt, ut languorum nostrorum medelam a te deposcerem. Vestri vos facti pœniteat, filii; vestras reprimite cupiditates, et ego vestros depellam morbos; vos ad vos ipsi redite, vobisque redintegrata sanitas revirescet. Ægrotus ergo quisque accedat, paratam morbo medicinam inveniet, et qui plagam accepit, chirurgo illam ostendat, nec ambigat quin ille pias vulneri sit admoturus manus. Veruntamen eo quod cœlum rorem et pluviam non mittit, agricola colere arva non debet, et semina terræ committere: neque quia

medicina prostat ad sanandos omnes peccatores præparata, ipsi supplicibus multisque precibus veniam petere non debent. Enimvero nisi colonus sementem faciat, nil ei pluvia proderit, et nisi peccator oraverit, misericors Deus ei sanitatem haudquaquam restituet; sed reponet, quod solent medici: « Si curam petis, vulnus ostende; » conversionem videlicet morumque mutationem postulat, fac, ut ille te videat bene pœnituisse peccati; si tuo petis languori medicinam, pœnitentiam sinceram illi afferto, et suscipiet te; tibi siquidem illa per Prophetam renuntiantur : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos [1]. » Converte cor tuum ad orationem, oranti occurret gratia, ad pœnitentiam conversum excipiet misericordia. Vide ne commissa damnes hodie, et cras, quæ damnasti, iterum committas : hodie in conventu Justorum, iniqua te perpetrasse doleas, et postero die factum iniquorum socium tuæ te pœnitentiæ pœniteat : hodie clamites : « Propitius esto » mihi, Deus, quoniam erravi, exorbitavi, lapsus sum, » et altero die illa hominum desperatorum dicta palam usurpes : « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur [2]. » Vide ne, interea dum mors quasi gigas te inopinantem parat opprimere, tuus te fallat sensus, et vanis distrahat curis, commodaque corporis amittas, et pœnitentiam non invenias. In palæstra pœnitentiæ ultimus te videat dies pro pietate decertantem : hæc pugna finem operi tuo imponat, ut vitæ tuæ cursum excipiat corona justitiæ.

XVI. Mundum ejusque vicissitudines, dolores et voluptates considera in stadio turbaque spectatorum pugilum et aurigarum. Enimvero si pro corruptibili corona tantopere athleta laborat, quantopere pro incorrupta certare debet, qui pro veritate pugnat? « Quisquis in agone con» tendit, Paulus scribit, ab omnibus se abstinet [3], » do-

[1] Ezech. XXXVI, 9. — [2] Isaï. XXII, 13. — [3] I Cor. IX, 25.

nec consequatur coronam; in lucta, quam contra diabolum habemus, qualem continentiam observare debemus, donec perveniamus ad palmam, et quam ille molitur nobis, perniciem amoliamur, et quas instruit, evadamus insidias? Et quoniam ipse sua concitatus invidia, nostram despiciens imbecillitatem, nos oppugnare non cessat, contra ejus tela clypeum nobis ministrat Deus pharmacum salutis pœnitentiam, ad quam etiam per Prophetam nos adhortatur. Ubique illa salutaris est, si tamen vera, nec illi similis sit, quam fingebat ille populus, qui cum furta manu teneret, haberetque corpus flagitii plenum, simul ore clamabat : « Serva nos, Deus. »

XVII. Audi Dei vocem antiquis sua crimina objectantem, tequemet ipse tuorum maleficiorum arguito, et cupiditatum tuarum impetum refrena : cave ne duplici corde accedas ad omnium cogitationum Scrutatorem, neque duplici via coram arcanorum Inspectore incedas : Dei misericordia lotus, ad lutum ne redeas : evasisti creditoris manus; debita, quorum chirographa rescissa sunt, cave ne rescribas. Qui ab hoste captus, in barbaras terras deportatus fuit, si inde aufugerit, illas utique revisere abnuit, et orat ne iterum in captivitatem retrahatur. Tu vero, qui jugo infensissimi hostis diaboli exemptus fuisti, precare ne iterum in ejus retia impingas.

XVIII. Quis factam mihi gratiam cum vulgo servorum communicet, ut si, velint, suam retineant conditionem; sin vero abnuant, ea dimissa, liberi evadant? Utrumque scilicet integrum tibi Deus manere voluit, adeo ut utrumque sit pariter in tua potestate situm, vulnus accipere, et acceptum curare. Medicum profecto per decies mille vices ad faciendam medicinam redire non piget, adeo ut siquidem tu te ipse ferire non parcas, chirurgus tamen labori non parcat, ut tibi accepti vulneris medicinam petenti

succurrat. Rursus in ea epistola, quam ad peccatores a pœnitentia minus abhorrentes per Jeremiam Deus transmisit, voce magna te inclamat, hortatur, ut ad ipsum accedas [1]. Pœniteat te peccasse, ait, et quare morieris; sed et per eumdem Prophetam jurat se nolle mortem impii [2].

XIX. Jam vides, quibus, quam solidis spes nostra nitatur fundamentis. Suas Deus fores accedentibus perpetuo patere jubet, misericordia de resipiscentium reditu mirifice lætatur, gratia protendit manus et amplexum offert, clementia effuso sinu venientes excipit, et infirmos adjuvat, Spiritus sanctus illapsu suo purificat : gaudium erit in cœlo, protestatur in Evangelio Dominus, super peccatore pœnitentiam agente : Angeli lætantur, exultant Sanctorum chori, hosanna canunt Cœlitum agmina, et Seraphim triumphant. Angelus severus paradisi custos aditum neutiquam negabit tibi, quicumque per pœnitentiam ejus loci factus es hæres, ipse hortus te, ut alias latronem, suspirat, tibique triumphalem clave crucis Christi recludet. Arbor vitæ tua gestiet præsentia, sua ultro tibi porriget poma : regio illa deliciarum nemorum suorum coronam ad tua commoda usumque præparavit. Lucida Justorum castra ubique te opperiuntur, magnifica civitas Sanctorum cum suis habitatoribus tuum præstolatur adventum, qui Beatorum sedem exhilarabit, et cœlestis triclinii convivas mira jucunditate perfundet, regnique immortalis cives universos etiam atque etiam recreabit; promissum claris pietate viris diadema auro gemmisque grave tibi proculditur, sique sapis, satages utique eo tuum exornare caput.

XX. Quisquis ergo ad pœnitentiæ præmium aspiras, facesse moras, dumque vacat in triclinio locus, cura ut eximii cultus amictum habeas, peculiarem scilicet vestem

[1] Jer, XXVII, 13. — [2] Ezech. XXI, 31, et XVIII, 32.

exigit nuptiale convivium, tu candidam sumito : ante Sponsi adventum ardentem tibi parato lucernam, et insuper antequam nocturnus aures percellat clamor, vide ut tibi præsto sit in manibus symbolum. Tantum-ne tibi otium placet? ut cum non ignores te esse debitorem, multo alieno ære obstrictum, adhuc in pigritia perstes, et cessatione torpeas, quasi vero creditor rem suam minime curet, et ideo silentio tuam dissimulet moram? et ille quidem tibi patientiam suam huc usque satis probavit, quin igitur tu ei pœnitentiam tuam lacrymis testaris? Suam ille benignitatem tibi profudit, quin tu ei sortem cum fœnore reddis?

XXI. Omnibus argumentis modisque tua, Deus, nos gratia vocat; omnibus blanditiis et illecebris tua nos misericordia ad salutem provocat. Magnum doctrinæ tuæ rete omnibus hominum ordinibus objicitur, publicanis et meretricibus obtenditur, rebellibus quoque, ut a perfidia ad fidem animum convertant; nec non perditis, ut ad cor redeant : tuam Deus sedens expectat salutem, ad quam pro sua summa bonitate tuum præstolatur consensum.

XXII. En ego ex turpitudine et nequitia evasi, tanquam ex retibus avicula; in tuæ, Domine, crucis nidum tutissimum mihi perfugium, si permittas, me recipiam; nec enim coluber illuc accedere audeat. En ego a peccatis meis avolavi, tanquam e laqueo columba, in sublimi loco conquiescam, quem tua mihi crux preparavit; huc utique draconi ascendere non licet. En ego confessus sum tuum salutare nomen, et nomen sanctum Filii tui, nomenque Spiritus veritatis, signaculum et characterem trinum dæmonibus verendum, Satanæ formidabile, quo audito, ejus satellites et emissarii contremiscunt.

PARÆNESIS III.

I. Te, Deus magne summe, quem propter tua in homines beneficia magnum bonitatis thesaurum appellamus, scientiæ, quæso, tuæ mihi impertire divitias. Rursus cum idem ipse sis omnium bonorum fons, mihi tuæ beneficentiæ scatebram ostende : dives, cujus opulentia tantum indiget inope, cui suas effundat opes, ne me in turpi egestate manere patiaris, quoniam ad te reveni, et justitiæ mnam non attuli. Sancte et humani generis sospitator, cujus misericordiæ fores accedentibus semper patent, hasce, oro, ne occludas mihi, quem pravæ cupiditates a pueritia usque ad extremam ætatem exercuerunt, et exoleta jam vetustate vitia usque modo exagitant. Optimi Parentis nate, qui nobis magnam utique spem injecisti tuo illo dicto : «Petite, et accipietis,» annue supplici mihi, et quam poposci, debitorum remissionem indulge; jam nulla tibi elabitur dies, quin cuivis homini tuum alta voce intimes præceptum: «Petite, peccata vobis invicem dimittite.» Quid? num poscenti veniam negabis tu, qui, cum sis sapientissimus, tibi semper es simillimus?

II. Huc usque miser, excusso jugo, per anfractus et salebras erravi; obtine, quæso, prædam, quam optimus venator cepit, amor nempe tuus. Tu mihi, Domine, speculum exhibe, in quo meos videam socios, et magnum, quod imitari debeant exemplum, quicumque resipuerunt, et peccasse se dolent; istud ego velut in scœna repræsentabo, et oculis subjiciam.

III. Cum aliquando in publicanum incidissem, notum alias hominem sic adortus sum : « Peccavi infelix, quid

consilii capiam non explico, nisi tu quid fieri expediat suggeras mihi ipse, hujus non ignarus mali. Confide, respondit, Verbum divinum in terras descendit, sceleratos et perditos requisiturus. Vidi meretricem mœrentem, mox exhilaratam; causam rogata, vade, dixit, meo doctus exemplo, et veniam exposcito. Juvenis ad bonam frugem conversus, cum suam substantiam prodegisset, eodem modo a me interpellatus, eadem reposuit. Cave ne de salute desperes; nam si eum, in quem peccasti, adieris, haud aliter ac nos te quoque venientem cum magna amoris significatione suscipiet. Latro me bardum ac stupidum credidit, cum anxius de tua misericordia illum sciscitarer. Quid est, quod sic angeris? regessit, quid? annon ille venit nos requisiturus errantes? tuque contra otio torpes, teque illum adire piget, dexteram protendit suam, tuam, cum veneris, prensaturus : non te terreat ejus aspectus, nemo illo humanior. Unum et alterum verbum dixeram, cum magnam mihi paradisi clavem obtulit. Ut oravi, ille plane exoratus, tot me sceleribus impiatum expiavit, suumque ad hortum deliciarum destinavit legatum. Vide ut tu tuos exuas mores, vitiaque abjicias, statim ille gratia sua te decorabit : fac ut ei tui oculi aquas suppeditent, quibus ejus misericordia te tuis eluat sordibus : non ille tibi tua recensebit malefacta, uti nec mihi mea, si modo pœnitentiam ostenderis, statim ille, quam poposcisti, veniam dabit : ne te usquequaque dejiciat criminum tuorum gravitas, habes similes tui : illum invoca, audiet illico vocem et sublevabit : hanc ergo ingredere viam, nostris insistens vestigiis, et quæ nobis obtigit, sortem confide tibi perinde obventuram.

IV. Ego sane Dei misericordiam erga latronem nunquam non magnopere admiratus sum, nec divitias bonitatis ejus laude satis idonea extolli posse unquam putavi,

adeo ut ad illum grassatorem respiciens, de salute mea desperare non possem; quam spem adhuc certiorem mihi faciebant publicani et fœminæ peccatricis exempla, utque inde didici culpæ meæ dimissionem exorare, sic mihi in Pauli persecutoris facto licuit videre specimen quoddam benignitatis et dulcedinis tuæ mirum quam suavis et facilis, ejus præsertim, quam experti fuere plerique homines, qui magnis ante contaminati sceleribus, deinde ad bonam frugem conversi, tuarum laudum buccinatores evasere. Quæ cum ipse mecum animo revolverem, confidebam fore, ut me quoque tua sancta hyssopus aliquando aspergeret.

V. Ovis amissæ comparatio meorum me scelerum somno oppressum excitavit, et a proposito inventæ drachmæ exemplo, tua me docente misericordia, didici tuam de nostra salute curam. Ad colendam vineam vocatus, utique labori non parcam, nec desidebo otiosus; nec enim qui vel unam horam agrum coluerint, justa mercede fraudabuntur. Diligenti medico, meis malis medicinam facere parato, ea prodere non dubito, certus eum in illis curandis se impigrum et accuratum præbiturum, cum se totum ægris impertiri consueverit; uti nec Zachæo, sic neque mihi tuam, Domine, denegabis præsentiam, sed quemadmodum tua illum gratia e grabato avaritiæ relevavit, ita me quoque, porrecta dextera, humi afflictum surrigito: cum me simili diabolus fraude gradu dejecerit, tua me pietas e lecto nequitiæ ac turpitudinis excitet et abstrahat. Cum ad hominis cupidi ædes tua te aliquando voluntas adduxisset, publicanum telonii et avaritiæ catenis obstrictum absolvisti. Quidni etiam mihi feras opem, cui infesta vitiorum acies incumbit? quin vincula rumpis, et carcerem aperis, in quem me tyrannus simulata pace detrusit?

VI. Miserere, Deus, mei peccatoris, qui peccati mei laqueum evasi; vulnera medicare mea, ut in publicani sortem

ascitus, ejus pariter induam cogitationes. Fracto navigio, periclitantem ex aquis educito, ne in cæca nequitiæ vada delatus peream uti illum, sic me quoque e vitiorum meorum fossa extrahito; contractas in juventute absterge labes; actam in senectute pœnitentiam suscipe. Obliviscere Judex, qui admonitore non indiges, quæcumque a mea pueritia commisi peccata, et omnia, quæ perpetrasse me mala ego recordor, neque tu certe ignoras, de tuo, preco, dele rationario, neve mihi ad tuum tribunal causam brevi dicturo objicias.

VII. Quandoquidem vero ea conditione nati sumus, ut vitam agere neutiquam valeamus, cujuscumque prorsus noxæ integram et ab omni labe puram, ne, precor quæsoque, te pigeat me communi morbo laborantem curare. Item quoniam nemo, luto si modo fictus est nostro, sic sibi constare potest, ut aliquando non desipiat, servo tuo ab insania resipiscenti ignosce. Omnium mortalium delicta vaporem esse video, cum bonitati tuæ oppono. Colorem maris omnia simul flumina mutare, aut quietem turbare non possunt; omnia enimvero posterorum Adæ peccata cruciatuum tuorum exhausit mare. Omnium itaque iniquitatum nostrarum colluviem tolle, precor, et in pelagus misericordiæ tuæ projicito.

VIII. Mi Deus, meas accipe preces, et quoniam omnia prehendis tanquam piscator omnipotens, magnum mihi tuæ voluntatis laxato rete, meque, ut olim e pelago Jonam, de profundo malorum meorum educito. Ne mihi, quæso, tyrannus insultet, quod memet ipse ejus potestati subjecerim, neque me Satanas subsannet, quod cum mihi integrum fuerit ipsius me expedire catenis, in carcere volens libensque perstiterim. Me meis absolve, precor, peccatis, ut alias suo languore fœminam profluvio sanguinis laborantem; scelerum me meorum vinculis eximito, uti olim

hominem dæmonum legione obsessum liberasti. Et ipsi quidem ope tua patentibus et conspicuis convaluere malis; meum autem intestinum est malum, nec sensibus obvium; illorum languores depulisti, mea mihi dimitte peccata. Revixi ego, quem non aspectabilis mors sustulerat; quem in abrupta error a via impegerat, inventus sum; filium patrimonii decoctorem pius pater reducem complexus est, tu me pœnitentem simili pietate recipias, oro.

IX. Peccavi, fateor; atqui peccarunt alii et nefaria perpetrarunt, quos tamen in regno tuo præfectos designasti et satrapas. Telonium placuit aliis, quibus pectus habendi cupiditate fervebat, quos tamen regalibus mox ornasti insignibus. Novimus latronem, in viatores grassari suetum, tuum, te volente, paradisum invasisse: novimus homines, qui ante lupi fuere rapaces, in agnos fuisse reversos, in tuum etiam transcriptos fuisse gregem: novimus vultures in columbas sub tui disciplina mutatos, et vidimus lolium, cum tuæ doctrinæ bibisset imbrem, et crucem tetigisset, in triticum migrasse, et bonam protulisse frugem.

X. Quæ autem dixi, nec vero dixisse piget, mihi ipsi, homini videlicet ex pravitate ac turpitudine concreto subjicere soleo; hujusmodi quippe argumenta me vehementer sollicitant ad implorandam interim misericordiam tuam, dum ejus video patere fores. Faxit tua, Domine, pietas, ut illis similis fiam, qui mei similes aliquando fuere, et nunc nobis tanquam exemplaria proponuntur, unde virtutum documenta sumamus. Præsta, precor, ut in meis actibus exprimam propositas mihi imagines Sanctorum, qui errorem pœnitentia correxerunt, adeo ut promissam illis gloriam assequar, quandoquidem eorum assimilavi mores et vitia, latronem dico, et fœminam peccatricem, qui, cum novissimi essent, facti sunt primi. Universa Ecclesia

homini res ex vero æstimanti pœnitentiæ imaginem describit, piorum cœtus, qui perfectæ absolutæque virtutis apicem attigerunt, spectatæ sapientiæ viris ad imitationem proponitur. Omnis vitæ cursus, quem, cum ad nos venisses, tenuisti, in gratiam nocentium resipiscere volentium actus est; universa tua, Domine, doctrina ad magnam spem delinquentes vocat.

XI. « Facite fructus dignos pœnitentiæ[1], » clamat Joannes; en ego, Domine, fructus pœnitentia et fide plenos attuli; en peccata mea in conspectu tuo flevi; chirographum tu præbe mihi, quem dedisti ei, quæ in triclinio sua planxit crimina. Quod si illa pedes tuos deosculata est, hoc vero ego tuo corpori nec semel exhibui; quam proinde illi pacem et veniam de pietatis tuæ thesauris largitus es, redde mihi. Prohibe, Domine, malum, ne vulneribus, quæ meum mihi intulit arbitrium, altius serpentibus confectus extabescam, pie Medice, qui ulcera putri fluentia tabo non fastidis : neve committas, ut retibus tenear, in quæ ipse mea sponte conjeci. Optime Piscator, qui Discipulos tuos non ad pisces, sed ad homines capiendos misisti, ne, quæso, laqueis, in quos mea me voluntas induit, dudum implicitum deseras. Præpotentis regis Fili, qui nostræ factus es vindex libertatis, ne gaudeat de meo infortunio inimicus, qui in hæc compegit me vincula, aut Satanas, qui seduxit et huc abduxit. Multos dies carcer ille me tenuit, inde si evasero, ad loca, ubi commorari soles, continuo meum intendam iter.

XII. Cum generis nostri auctor captus fuisset, tu, Domine, terras nostras intrasti, quasi hospes regionis ignotæ naturam et incolarum mores inspecturus, hac arte illum fortem adortus qui parentem nostrum suis ceperat dolis, captivum ex ejus castris rapuisti. Ad requirendam ovem

[1] Matth. III, 8.

perditam in mortuorum spelæa tua pietate penetrasti, indeque velut ex mortis gremio extractam ad ovile reduxisti, sævo vivorum tyranno nec hiscere quidem audente. Cum unam invenisses animam, summis et infimis gratulationem indixisti; non est ergo, cur non eam ex meo reditu haurias lætitiam, quam ex perditæ ovis inventione percepisti. Peccavi scelerateque feci, sentio, quæ scelera admiserim, ob quæ a latronibus spoliatus nudus remansi. Diabolus siquidem nihil præter meam in te fidem mihi reliquit, tuam deprecanti misericordiam tribue, obsecro; is ego sum, qui fuit ille, cujus vulnera tuam flexere clementiam, ut misero abjecto, undique deserto curam adhiberet, ejusque plagas persanaret. Tuam, Domine, hortare justitiam, ne in mea inquirat crimina; non enim habeo, quo putatis cum ipsa rationibus paria faciam. Misericordia, cujus mysterium quemque latet, et omnium hominum iniquitates patienter tolerat, actorum meorum rationes a me reposcat, quæ videlicet, cum tolerat, ad veniam et gratiam invitat. Non ut justitiæ legibus me subtraham, talia majestati tuæ dicta velim; liquet enim non nisi a justitia coronari victores; sed ut tua mihi gratia quantulumcumque locum indulgeat; novi siquidem me ab ipsa totius debiti remissionem facile impetraturum, si pro satisdato parum aliquid solvam. Enimvero etsi delictorum dimissio gratiæ sit donum, non ideo tamen reus sine labore absolvitur, nec eo, quod animæ expiatio divinæ pietatis sit opus, ideo sine lacrymis transigitur. Lacrymæ, quas peccatrix fœmina fudit magnam commissorum criminum syngrapham ei restituerunt et deleverunt, meorum mihi, precor, debitorum rationes pariter dispungito; id videlicet reposcit, in quo jacui, luctus; sed etsi collatæ operæ meritum ostentare non possum, exhibeo fidem, et quamvis indignus sim, cui ignoscatur, venia dignum tua me gratia præstare potest; et quan-

doquidem a primis longe absum, me cum novissimis, quæso, recense; et quoniam, cum jam fluxisset hora diei sexta, deprehensus sum eo usque ignavia desidiaque obtorpuisse, inter ultimos operarios ad undecimam transcribito. Extra tuæ gratiæ agrum occurrit statim vastum criminum scelerumque desertum, in quod quicumque se induerint, in salebras et anfractus ancipitum curarum ac perturbationum delabuntur.

XIII. Me miserum! cui nec prima, nec tertia, sed nec sexta quidem hora diei operi meo incumbere libuit; sed quoniam mihi nondum sol occidit, patere, precor, ut ad horas, quæ superant, vineam tuam excolam, constitue me agri tui cultorem, et sub jugo tuo aratorem, tuæque pecuniæ negotiatorem, ne videlicet vitæ totus inutilis mihi labatur cursus. Diaboli laqueos evasi, fave, precor, ne iterum in eos incidam, quos rupi, compedes, neve tyrannus me denuo subjiciat servituti; insequitur enim me, ut retrahat fugientem; a mea ille pueritia me sibi mancipavit, nec ego quidem abnui ei meam exhibere operam, et præbere famulatum, sic me tyrannus oppressit in cunis: grande, precor, prohibe malum, ne suas ille adversus me molitiones ad effectum perducat.

XIV. Homo hominem poscit opem, et potentiores potentes appellant; ad tuam ego profugi misericordiam, tutum mihi arbitratus adversus illum perduellem præsidium. Quisquis carcerem evasit, perfugium circumspectat, oblatum statim occupat: criminum meorum exercitum me prementem fugiens, ejus legionibus pietatis tuæ arcem opposui, illa aspirante, duros iniquitatis compedes infringere non erit difficile, offendicula ab adversario objecta superare, turpes evitare lapsus, obscœnas libidines, et nefaria flagitia fugere, et erroris contagia declinare. Et quoniam, tuo favente Numine, ex hoc luto emersi, et e puteo, in

quem decideram, evasi, indeque offusam caliginem dissipavi, totum quod cernis medicare malum, oro, tu idem fer opem, qui spem dedisti.

XV. Jonam e palago extraxisti, et eripuisti Simonem fluctibus, turpitudinis ac nequitiæ procella me mersit, porrige, Pie, manum. E ventre ceti extitit filius Amathi, et de fluctibus et profundo maris Bar-Jonas. Oravit Jonas, et valide incursantes undas fregit, et periculum discussit Simon Cephas. Oratio nunquam fluctibus cessit, quæ fluctibus haustos in cœlum sustulit, nec unquam in scopulos, aut in arenam impegit, cui divinus Spiritus alas ministrat. Oratio Justos ducit ad coronam, et perditos ad salutem.

XVI. Deus magne summe, precamur, utere nobiscum ea clementia, quam nec latroni negare voluisti; qualis ille, talis et ego sum reus et miser; quam illi dedisti paradisi clavem, hujus mihi copiam facere ne abnuas. Sat scio iniquitates meas meo lateri, velut coactis cuneis adeo densas agglomerari, ut eorum numerum inire non possim, et ideo dum eas cum corporis mei statura compono, video supergressas fuisse caput meum; ex isto barathro extrahe me, Domine; en ego conscientiam meam exonero, et illas ab humeris animi mei depositas in humilis et simplicis confessionis sinum projicio. Enimvero « Sicut onus grave gra» vatæ sunt super me [1], » nec eas jam ferre sustineo. Hoc ego onere pressus olim, in tui baptismatis aquas descendi, indeque integer noxæ scelerisque purus emersi : absit, Domine, ut sinas me iterum in idem relabi lutum, eoque sepultum destituas, sicque Ægyptiorum in luto aquarum multarum pereuntium exempla congeminem. Hebræi, Mose pro ipsis suas interponente preces, mare trajecerunt, nullo affecti damno, magno immerentes protegente nomine tuo. Fateor me ea, quam peto, gratia indignum : reum me esse

[1] Psal. xxxvii, 5.

agnosco, ea tamen dignum me efficere tibi decorum est, mihique proinde ignoscere, meorumque delictorum veniam annuere. Equidem vereor ne peccata mea mihi tanquam satellites ad tuum tribunal occurrant, meque uti reum magnæ Majestati tuæ sistant. Supplici parce, quæso; prohibe ne mea me peccata in compedes compingant igneos, et in horrendum illud ignis barathrum detrudant cætera non immeritum; tesseram tuum sanguinem fero, telum formidabile gehennæ ori iniquorum præda exsaturando.

XVII. Sacro agni cruore perterrita mors ab Hebræis fugit, magis utique tuum, Domine, pretiosum sanguinem gehenna timebit, cujus babylonicus ignis imaginem quamdam nobis descripsit, cum e fornace erumpens flamma lictores corripuit et combussit[1]; beatis contra pueris amicum et blandum se præbuit; mea omnis in tuo nomine residet spes, illud nempe scelestos et flagitiosos honestate justitiaque imbuit et ornat. Ego vero quandoquidem justus non sum, in ordinem illorum transcribito, qui scelera sua pœnitentia expiarunt, et quoniam e vitiis emersi, præteritæ vitæ malefacta dolentem a perfidis et sceleratis secernito.

XVIII. Næ tu, Domine, misericors es, ut similem non habeas; tua quippe pietas ad probos, et improbos latissime se pandit, tuaque gratia justos et iniquos pio rore perfundit, et sol bonos et malos promiscue illustrat. Jam erit-ne aliquis tam vecors, qui talia contemplatus tuam misericordiam non sentiat? Cumque assidue cernat pessimorum hominum agros et arva tuis rigari imbribus, tuam non suspiciat bonitatem? Utinam ille mihi tandem oriatur sol, tua nimirum misericordia, quæ circumfusam mihi errorum caliginem dispellat et dissipet : utinam ille mihi accidat imber, tua scilicet misericordia, qui meas eluat sordes. Pro-

[1] Dan. III, 22.

fecto non labascet, quem tu sustines, neque vestigio falletur, quem ex te pendentem gubernas.

XIX. Qui te sibi præsentem cogitat, hunc nec inhonestæ voluptatis titillat sensus : qui intento animo in te intuetur, hujus mentem res nulla perturbat : qui diligit te, huic mundus totus vilescit. Fixum in te Josephi animum sapientia in conclavi neutiquam deseruit; non ita Samsonem, qui in Dalila turpiter offendit, et sensum amisit. Mentem, quæso, meam, Domine, inflamma, ut Josephi doctus exemplo, me a te etiam in abdito videri intelligam, effugiamque laqueos, quibus captus est Samson. Tuque sis mihi via, per quam incedam, tu præsidium et perfugii locus ab incursionibus diaboli, qui adversus me se extollit, et omnes meas rationes perturbare molitur.

XX. Sat scio pœnitentiæ colloquium tibi esse gratissimum, ejusque verbis aures te præbere pronas, dum sua præsertim retractat errata. Hem ego mea ad te detuli crimina, iniquitates meas tibi confessus sum, et nunc supplici hoc libello peto, ut illæ de medio tollantur. Tu, Domine, petenti et oranti fave, et latam contra ipsas a tua bonitate sententiam exequere, easque excindi jube; quod si feceris, beabis me, et habebis perpetuum tuarum laudum præconem.

PARÆNESIS IV.

I. Sine te hoc exorem, magne summe Medice, qui Adæ posteros curatum in terras venisti, excogitata ferens a tua benefica et liberali bonitate remedia, delictorum nempe meorum posco veniam. Hæc scilicet mentem sollicitat cura, hic animum terit dolor. Tua me, quæso, pietas invisat,

tua me clementia sanet, sordes eluat meas et maculas tergat, ea me benignitate accipiat, quam erga fœminam peccatricem adhibuit. Profecto ut multa sint, in quibus peccavi, et officio erga te meo defui, tua tamen multo latius se fundit misericordia : secus si tu sceleribus impiatos non expias, quis jam pius erit? Tribue, rogo, mihi pœnitentiæ locum, dolorem et lacrymas, ut multis precibus et largo fletu scelerum meorum veniam tandem exorem, dum utrisque datur locus : tuam suspirat animus gratiam, qua absente, salutem desperat.

II. Tua, Domine, misericordia pelagus est, nec tibi tuæ pietatis opibus utendi facultas deesse potest. Ecce malorum vita suis me illaqueavit vitiis; laqueos tu, Domine, tua pietate dirumpito, et incautam avem his expedi retibus: quæcumque admisi peccata, in meam conspirarunt perniciem, et meum sitiunt sanguinem; præpotens Deus, custos et rector univesi, fer opem misero. Princeps hujus aëris suo me confodit jaculo : tu Rex regum, et Dominus dominantium ægro mihi ferto medicinam, et sanitatem restitue, neve committas, ut venenatis ejus sagittis sauciatus inteream. Tua, Domine, singularis benignitas et misericordia magnis pollet opibus et inexhaustum possidet thesaurum cuique volenti patentem; aspice ergo supplices, quamvis immerentes, tuæque benignitatis aspergito aquis; nam et fœminam peccatricem accedentem et veniam criminum suorum orantem non repulisti, indulsisti ei quod petebat, adeo ut detersis tua hyssopo maculis, singularem animi candorem induerit.

III. Tuæ profecto misericordiæ pharmacis non indigent, qui ægri non sunt; ecce autem morbidi bene multi tuis prostant foribus, qui conscientia oppressi scelerum suorum, opem et curam efflagitant. Qui misericordia non indiget, hanc captare non solet. Excellentem in arte sua me-

dicum nemo miratur, priusquam letiferi morbi cura perfunctum aspiciat, nemo ad benevalentem accersit; nec enim huic valetudinem, quam habet, ille dare potest; ad ægrum ergo medicus accedit; nam usquequaque sanum qua in parte curabit? idcirco stulta et inutili cura relicta, ad ægrotos intendit artem: in evincendis quippe difficilibus cæcisque morbis scientiam medicus præclare ostentat et approbat, curaque finita præstitæ operæ mercedem æquissimo jure reposcit.

IV. Triumphat medicus, si ægrotus periculum evasit; at tibi, Domine, longe gratius accidit animi morbo laborantibus, depulsa ægritudine, perditas reparasse vires. Profecto si a te nec lenitas, nec pietas abesse possunt, nec vero a me peccatum. Ecce autem gratia tua meum opperitur redditum, ut delictis ignoscat meis, quod quidem si mihi præstiteris, palam constabit, oppido quam suave et facile tuum sit ingenium. Næ tu misericors es, et ultro peccata dimittis, nec in nostra perditione lætaris; nec ego unquam nota Caïni parricidæ dicta usurpem, ut dicam majorem esse iniquitatem meam, quam ut veniam merear, magno mari Oceano cum sit misericordia tua major: hac ad me utere, precor, et maculas terge meas. Tua tibi ingenua pietas gratissimum præparavit opus, id est, liberaliter excipere et sublevare miseros, atque sontibus ignoscere, vix est, quod te magis delectet; nec enim medico molestum accidit, si in propinquis ædibus plurimos ægrotare contingat, et incidant morbi et casus, qui ejus requirant operam; quippe cui displicere non potest per hanc occasionem proprio inservire quæstui, rem augere suam, suæque arti laudem et gloriam colligere; qui ergo ingenua virtute mitis es et misericors, non te utique pigebit gratiæ tuæ remedia ægro adhibere mihi; est hic enimvero, unde tibi accedat laus et decus. Sine itaque me tuam exorare misericordiam

illam magnam; hanc quippe petit opus, quod in curandis ægris tractas, et officium, quo fungeris, expiandi animas scelere contaminatas.

V. Atqui non te præmium trahit, quod ab hujusmodi ægrotis sperare debeas; sola movet eorum pœnitentia, ut eis sua omnia peccata dimittas. Et sane quamnam tibi mercedem appendit fœmina illa peccatrix, quod omnium scelerum ejus colluviem sustulisses? præter unguentum, quod ad unctionem pedum tuorum comparavit et contulit, quid amplius illa dedit? scilicet supplevit defectum amor, quem unice desiderabas, et qui actionem illam maxime decebat; evicit fide, ut unguento et lacrymis veniam, quam petebat, impetraret. Ferebat illa suis cum flagitiis unguentum et lacrymas; tu contra offerebas clementiam, et profundam commiserationem, lacrymis tuos lavit pedes, capillis tersit, unguento tua membra perunxit, pœnitentia suorum peccatorum remissionem recepit; minimum ergo fuit, quod illa dedit; maximum, quod reportavit suis expiata peccatis. Fluvium flammas glomerantem intraverat peccatrix non una contaminata scelere, parvæ lacrymarum guttulæ vastum illud incendium restinxerunt, tuos sacros pedes lacrymæ asperserunt, subtraxerunt illam igneis torrentibus, quorum ardore deflagratura fuisset: flammarum procella resedit repressa lacrymarum ex oculis peccatricis manantium influxu: pius ille fletus eam perduxit, unde secura rogum aspiceret.

VI. De hac tamen impudica muliere multisque inquinata flagitiis plura adhuc dicere operæ-pretium duco, ratus nec ingratam, nec inutilem meam orationem fore iis præsertim fœminis, quæ uti cum illa communem habuere ad flagitium mentem, sic ipsam ad virtutem ducem sequi desiderant, ac proinde nosse, quomodo illa e suis emerserit vitiis, et peccatorum suorum consecuta fuerit remissionem. Istis

profecto injucundum esse non potest, quæ de ea narrantur, audire, cum eadem cupiditate ardeant, quæ illam ad petendam criminum suorum gratiam inflammavit. Enimvero peccatores, qui sibi displicent, Deo vehementer placent, eosque bene sperare jubet, asseverans sinceram pœnitentiam a venia nunquam divisum iri. Nemo itaque, fratres, hanc aspernetur gratiam; neminem pigeat Dei misericordiam supplicibus multisque precibus exorare, Deique pulsare fores, orantem utique ille exaudiet, ea est ejus in omnes homines charitas; hanc certe testatur, et plane declarat peccatricis factum, cui ad pœnitentiæ fores accecedenti plenam scelerum gratiam mitissimus Dominus fecit.

VII. Quicumque reum se esse novit, de gratia non desperet, quam cum desperasset apostolus Judas, cecidit alto repente tractus in præceps gradu. Si meretrix, abjecta spe, salutis curam pariter deposuisset, nunquam expiasset conscientiam sceleribus contaminatam. Quin ejus nos insistimus vestigiis, et pro animæ salute excubamus? etenim si tantum negotium pari cum sollicitudine a nobis curatum non fuerit, a quonam judice erratorum nostrorum veniam sperare licebit? Quod si contingat peccatorem post pœnitentiam in culpam recidere, non idcirco velis et remis eluctari non debet in ejus portum, quæ sola peccati compedes dirumpit.

VIII. Porro nec diem, nec finem pœnitentiæ fixit Deus, adeo ei omnia apta sunt et tempora et loca. Quamobrem si per vices decies mille peccaveris, et ad pœnitentiam conversus fueris, inde tuis lotus sordibus, et sceleribus expiatus redibis. Cæterum uti cadere tui arbitrii fuit, sic in tua potestate est te ipsum a casu relevare, si velis. Quisquis igitur peccaverit, si modo statuerit propriæ salutis negotium acriter et accurate transigere, ad cor redeat. et veniam

poscat, Medici ecce patent fores, facilem sincere resipiscentibus aditum nunquam non dabunt.

IX. Præceptum Domini est, si septies supra septuagies peccaverit in te frater tuus, toties ipsi ignoscito, quin ergo magis, qui legem hanc dedit, veniam peccanti dabit? pius est, confidito, et ad misericordiam mirum quam propensus, quamque de nostra salute sollicitus! Videdum, peccator, ne tu in petenda gratia segnis et negligens sis; Dominum namque tuum tui misereri nunquam certe pigebit. Quid? ergo tibi ipse non parcis, quasi vero non sentias diffluentem ex tabido corpore saniem, et tessellatam pustulis cutem? Parvo, crede, negotio Medicus tuis feret medicinam malis, modo ipse petas, tibi tua displiceant ulcera, tormenta ac vulnera; cum autem tuus in arte Chirurgus maxime excellat, præsumit ante curam de futura tua valetudine triumphum. Quod si forte placet ædificare, et mox ædificata destruere, sic ut per nullum vitæ diem culpa vacasse deprehendaris, seram pœnitentiam non recusat Deus, modo veniam sincere petas. Quocirca si tibi prænosse licuerit non defuturum tibi ante obitum pœnitentiæ diem, non est cur ambigas, quin gratiam orans, certissime sis exoraturus; atqui certus non es, quis futurus sit tibi ultimus dies, et in quo rerum articulo te mors deprehensura sit; gratia abesse non potest, modo adsit qui petat. Quamobrem si eodem die septies supra septuagies, ut ante aiebam, peccaveris, atque totidem, quot peccasti, vicibus ad ostium misericordiæ accedas, accedentem illa nunquam rejiciet, modo deliquisse te pœniteat. Si de nocte cubitum iturus, peccatum ad concubitum invitaveris, admiserisque, vide ut, dilucescente die, acceptum hesterna nocte vulnus curaturus ad chirurgi domum festines. Quod si de die ulcere te infestatum alio animadverteris, ante noctem medici

limen terito, curationem poscito, certus te laturum, quod petis.

X. Hæc, fratres, a me temere et sine ratione dici is fortasse existimabit, cui vita huc usque fluxit scelerum pura; ego vero nullus dubito, ut hæc ipsa hominem criminum suorum non ignarum, suæque proinde inopiæ conscium magnopere recreatura sint, et ad certam plenamque salutis spem excitatura. Et Dominus quidem suapte natura bonus, et ingenua benignitate liberalis sua dona cuilibet petenti dispensat; si autem oculus tuus nequam est, amens sis, si putas illum similem esse tibi, aut aliqua vi impediri posse, quominus quod placeat, facere possit, cum suæ sint, quas impertit, opes, et suus sit thesaurus, ex quo egentibus subvenit, et pauperum sublevat inopiam. Atqui si ille suum ærarium nemini claudit, quid tu, peccator, cessas? quin instas et oras? an dubitas quin ille, cujus natura est misereri, tibi quod petis, sit daturus? Quantum petitur dare paratus, petentem nunquam fastidit. Si intimis sensibus angeris et ploras, hoc rore, age, tua asperge scelera, et confide, ulcus ille insanabile curabit. Lacrymarum fluentium cursum flectito contra crimen; cujus maxime conscientia te exagitat, et quasi mortuum istud in loco flentium deponito, nullam, crede, tibi posthac creabit molestiam. Verumtamen si reus cum sis, orare et plorare cessas, nec te tuæ valetudinis tangit cura, omnem certe curam deponet medicus, nec luem, quam ipse non curas, curare velit.

XI. Communis hominum mos te docuit tuis quærere medicinam malis, nil tamen quæras præter pœnitentiam et lacrymas; fœminam peccatricem intuere, suos ista casus flevit, sæva nimirum ulcera, quæ sibi ipsa suis vitiis consciverat: repente convaluit; nempe quæcumque ad reparandam valetudinem quærebantur, omnia singultibus et lacry-

mis transacta sunt. Nec porro aliam præter uberem fletum Medico mercedem illa rependit. Pius Medicus ejus obligavit vulnera et obduxit, peccata dimisit et expiavit, mulieris fletus præstitæ operæ tantæ merces sola fuit : nullum scilicet illa munus præter lacrymas attulit, languori suo petitura medicinam. Quid? quod cum Medicus bene nosset, quam multa, quam gravia illa nefarie perpetrasset, lacrymantem tamen, et ad ejus pedes abjectam singulari præconio ornavit et extulit; et cum peccata dimitteret, peccatricem laudavit; nempe hanc gloriam tribuendam esse piis ejusdem lacrymis judicavit; noverat aquas ex oculis manantes suam habere in mulieris pectore scatebram, arcanum amorem, quo intercedente, peccatoris lacrymas misericors ille nunquam non miseratur.

XII. Jam si delectat videre corpus in ipso ætatis flore, et prospera valetudine eximiam præferens dignitatem, ac si contra quando in oculos incurrit ægrotus quispiam tabido confectus morbo, visu inhorrescit animus; constat profecto nil Domino mitius, nil suavius esse, qui neminem fastidit, modo ad ipsum charitate plenus accedat, hanc solam exigit, quæ si lacrymis armata se offerat, ab eo excudit, quodcumque petit; amat quippe nos nulla indigentia, nullaque utilitate quæsita; idcirco ægros curaturus, curam alio pretio pacisci non solet, præterquam lacrymis, quas sincerus amor expressit, nempe huic composita omnia, quæ dicimus bona, obscurantur, et humi jacent; voluntatem ille petit poscentis gratiam, illa seipsa supplet libamina et victimas.

XIII. Non misit Pater Filium suum in mundum, ut hunc judicaret, sed cum maxime propria sit optimæ præstantissimæque naturæ bonitas, hanc rationem, qua generi humano consuleret, excogitavit. Quocirca cum ille pius et plene misericors ad curandos hominum languores advenis-

set, facinorosorum et meretricum congressus nunquam recusavit, quia nimirum morbosos sanare volebat, hujus notæ homines medicum reposcunt, de quo utique sani sollicite esse non solent : ut peccata dimitteret, et inquinatos mundaret, venit in mundum Filius Dei ; idcirco hominum ejus opera indigentium usum et consuetudinem amavit, et ad se venientes complexus est. Et quoniam ad tollendum peccatum mundi cœlo demissus in terras descenderat, suam præcipue in sceleratis et profligati pudoris mulieribus misericordiam ostendit.

XIV. Quamobrem cum Simon perspectam haberet nimiam ejus charitatem, et magnam imprimis misericordiam, domum suam eumdem ad prandium invitavit, illum videlicet, cujus inexhausta liberalitas victum cunctis viventibus subministrat. Charitas certe illum eo pertraxit, et Simonis hospitem et sodalem fecit, cujus Numine mundo providetur, ut inconcussus eat. Magna est vis amoris Filii Dei, sincerus hic est, affabilis, officiosus et ad misericordiam mirum in modum propensus ; omnibus se facilem et benignum impertit, ut novis et singularibus modis, quos ejus sapientia excogitare novit, universos lucretur. Profecto nulla alia extra charitatem causa ad publicanorum domos illum adduxit, quando ad epulas invitatus, non recusavit ; occasionem nimirum captabat, eosdem ad bonam frugem revocandi, disponendique ad obtinendam commissorum gratiam.

XV. Sed nec perditæ luxuriæ homines fastidivit, nec accedentes aliquando rejecit, commeritam pœnam deprecantium preces ratas habuit, sceleratos præteritæ vitæ acta damnantes ipsis, quibus ea plangebant, lacrymis expiavit. Quæ quidem benignitatis et amoris argumenta nec Pharisæis negavit vocatus, quo ipsis libuisset, non restitit ; propriæ inopiæ remedium postulantibus sua copia succurrit. Turbis

per deserta loca palantibus providit annonam, et quæ inculta regio per se alimenta negabat, dare jussit; confestim inops solitudo protulit victualia, pluribus hominum millibus suffectura, eo videlicet suppeditante, qui illa apparari jusserat.

XVI. Nec porro minorem in familiari hominum usu et consuetudine comitatem præ se tulit, solitus invisere extrariorum domus ea plane vultus hilaritate, et affabilitate sermonis, qua propinqui et consanguinei per eam occasionem sibi invicem adhibere consueverunt, ac siquidem suis expiari noxis supplicarent, benignissimus Judex supplices omni reatu absolvit, vel si pauperes inopia sublevari rogassent, quodvis ab eo optassent, id optatum tulerunt. Inexhaustum ejus ærarium, ut sæpe dixi, eximiæ liberalitatis et munificentiæ profudit opes ubique, adeo ut nullum tempus transcurrerit ejus beneficiis otiosum.

XVII. Vocaverat illum Simon ad prandium, vocanti cum magna amoris significatione annuit; sed enimvero multo luculentioribus charitatis et misericordiæ argumentis fœminam peccatricem accepit, cui nimirum peccata dimisit, suaque eluit gratia sordes, et labes abstersit. Quid? quod et Apostolis suis mandavit, ut quod ab illa factum cernebant, in memoriam ejus ubique gentium divulgarent. Atqui sciebat mulieris conditionem et statum; nempe hæc ipsa viris laqueum se fecerat incessu, vultu, oculis solita adolescentes illaqueare, et ætati maxime lubricæ speculum offerre, in quo ipsa se repræsentans, illorum animos turpi amore inflammare et corrumpere solebat.

XVIII. Improbam, procacem fœminam generis nostri accusator in arcum ad suos usus conformaverat certos, eo moliri suetus ictus, telaque vibrare, quibus ad flagitium luxuriosos accenderet, et continentiæ thesauro spoliaret. Venatricem fuisse dices, quæ sua venustate plurimos ce-

pit impegitque in salebras; dum fœminam sui erroris causam persequuntur, proprias deseruere domos, et per inhospita lustra vagari cœperunt, quotquot eximia ejus specie, et oculorum loquaci mobilitate capti, haud dubio naufragio se permiserunt.

XIX. Quis porro omnia ejus crimina referat? hæc nimirum honorabile connubium [1], et immaculatum aspernata thorum, omnes pudicitiæ leges proculcavit, ut magnam vitæ partem in prostibulo transigeret; cumque impurissimorum hominum consuetudine et exemplo provocata cupiditates suas solvisset, continentiam et pias curas in desidiam et lasciviam vertit, eo tandem prolapsa, ut non modo solitudinem ac tenebras flagitiorum integumenta non quæreret, sed grassatorum audacia vias obsideret, et clarissima luce ad flagitium prætereuntes protraheret, ut pessumdaret. Quid? quod et discordiis et domesticis dissidiis uxores implicuit ob injectam ab ejus petulantia et insidiosa venustate de maritorum fide suspicionem? hinc porro consecuta divortia conjugum et familiarum contubernia diremerunt.

XX. Sed nec minus exemplo, quam peccato nocuit; assueta siquidem a teneris annis turpiter vivere, vitia sua in alios infudit; cumque se corrupisset, alios corrupit, hinc ad illam magnus undique libidinosorum et intemperantium juvenum concursus et frequentia; sic facta familiæ dedecus, patrium etiam solum dedecoravit. Scilicet septem dæmonia luxuriæ duces eam invaserant, nec proinde mirum, si incurrentes in triviis adolescentes ad flagitium frequenter illexit illa, quæ velut inquilinum habebat domi stuprum, ac turpitudinis stabulum se fecerat; adeo ut nec divina, nec humana jura obstarent, quin cupiditatibus suis obsequeretur. Impudicitiæ facta mancipium continentis animæ pulchram libertatem contempsit, pudorem exuit,

[1] Hebr. XIII, 4.

castimoniam abjecit; cum vero mens, quæ recta stare solebat, dementi ruina ad luxum et lasciviam deflexisset, in iis assidue volutabatur. Quale hactenus spectasti, diabolus Veneri in Judæa phanum construxerat, proposueratque intemperantium Judæorum oculis tanquam impudicitiæ speculum, fœminam perditam, nefariam, sceleribus et flagitiis contaminatissimam, atque adeo turpitudini deditam, ut familiæ decus, parentum et fratrum honorem, pudicitiam, honestissimas nuptias flocci faceret, hominumque turpissimorum consuetudini et contubernio posthaberet.

XXI. Agedum intuere modo, quibus laqueis laqueum impudicitiæ concluserit Dominus, qui ad reducendos homines per abrupta palantes advenerat; ut ergo illam columbam, quam nefarii accipitres ceperant, ipsorum unguibus criperet pius venator, domum divertit Simonis, qui ei prandium aptaverat; avicula nimirum in suum nidum aquilam invitabat, ut suavissimo ejusdem contubernio frueretur. Inde divinus Auceps avem domi suæ velut in proprio nido cubantem immisso cœlesti lumine cominus adortus est, permovitque, ut discussa caligine ipsa se agnosceret, ac tandem statueret ad ipsum accedere et commissorum veniam efflagitare. Effulsit a divino Venatore gratia meditatam ad effectum perductura conversionem refractariæ mulieris, quæ ægre ferens pacis domicilium velut in avios saltus se conjecerat; quam præmiserat gratiam mox secutus misericors auceps, calamos disposuit, fugientis infelicis mulieris vias obtensis retibus sepsit, atque hoc artificio, quod sola ejus charitas excogitaverat, a fuga retractam ad bonam frugem reduxit, cavitque ne in posterum cum impuris et flagitiosis erraret. Explicuit rete suum divinus Venator, objecitque bacchanti, continuo illa adrepsit, et in sinum ejus intravit, nempe ex libera sui arbitrii potestate ferox mulier capta est.

XXII. Vivificum odorem spirabat Dominus; hic porro esca fuit, qua illecta mulier ex vitiorum colluvione in divinum rete se induxit. Pervagatum per omnem Judæam Jesu nomen, ut ejus pepulit aures, statim hanc columbam quasi objecta frumenti area ad se pertraxit, dumque oblatam escam legeret, quem fama norat, offendit; præsentem complexa est; audierat Dominum potestate remittendi peccata præditum, nec ullum quantumvis facinorosum ab ejus providentia destitui; continuo decrevit ad eum confugere, sui nimirum haud ignara mali, et quantopere ejus opera indigeret. Vitia incautæ mulieri insidias struxerant, cumque data occasione inde leonum ad instar eam invasissent, pluribus conciderant vulneribus, quibus ut mederetur, ad Chirurgum approperato cursu venit; venit, inquam, ad Jesum dimittentem peccata, et undecumque allitas labes tergentem, perpetratorum scelerum veniam, acceptorum vulnerum medicinam postulatura; depravati namque mores, et hærentia animo vitia tanquam latrones immanissimi illam impositis plagis debilitaverant, suisque nudatam vestibus despicatissimis habuerant modis; sed et congeminata vulnera, iterata videlicet peccata, et inde contractæ labes, et conscientiæ tormenta eam prostraverant; cumque incerta animi hæreret, repente cœlesti lumine illustrata divino amore succensa est, cœpitque in lacrymas diffluere, inde statuit protinus adire notum medicorum principem, suorum ab illo scelerum veniam exoratura.

XXIII. Unguentum imprimis pretiosum secum ferens Simonis domum intravit, mundi Salvatorem recta petens; nec vero eam a proposito dimovere valuit aut præsentis multitudinis conspectus, aut Simonis apprehensa indignatio; objiciebatur quippe mulieris menti spectatissimum virum ægre laturum notam meretricem ad sanctissimum magnique nominis hospitem eo tempore accedere, prop-

tereaque se ab illo repellendam. At enimvero nec rubor, nec timor, nec astantium oculi fortis fœminæ constantiam ullatenus labefactare potuerunt; sed cum ex vero persuasum haberet vitiosum esse eum pudorem, qui ægrotum prohiberet, quominus suum Medico statum detegeret, secretum ulcus aperuit, piæ et humilis confessionis thus cum lacrymis et singultibus incendit; nempe postquam ad cor rediit, sacerdotum ministerium se ipsa sibi supplevit, in sacra æde adolevit incensum, et Pontificem vere summum, ut ipsi ignosceret, exoravit. Hoc scilicet debebatur præmium loquaci dolori, quo suam illa voluntatem declarabat gratiæ pacisque cupidam.

XXIV. Accidit ad pedes, retro tamen et a tergo, tacitaque lacrymis et singultibus charitate fartis rogabat accessum et veniam. Dominum sanctitatis et munditiæ, vitiorum errorumque depulsorem gemitibus et suspiriis appellabat, nutu ac signis in hunc fere modum affata: «Scio, Domine, planeque confiteor, tuam te ad nos adduxisse misericordiam, nec vero alia mente ad nos descendisse, quam ut generi nostro vitam et gratiam impertires. Ergo age, tuamque clementiam experire in fœmina, quam cernis omni pravitate ac turpitudine fractam, omni ope destitutam, et undique afflictam, meoque exemplo homines desperatos ad spem bonam erigito. Enimvero quod mihi peccatum inflixit, vulnus letale est, ut vix ulla salutis sit spes; quæcumque enim in homine perdito vitia deprehendi possunt, in me universa redundant; ideo opem imploro tuam, medicorum princeps : miseram, supplicem exaudi, vulneraque medicare mea. Venator ille pessimus me illaqueavit, captamque servitio mancipavit suo; ejus, precor, contere laqueos; me in pristinam reponito libertatem; ardeo enimvero inexplicabili cupiditate tui famulatus. Ovem, oro, tuam tuo adjungito gregi, neve patiaris a tua caula repulsam errare per

avia : persecutoris mei audaciam infringito et rumpito, quos mihi tendit laqueos in meam perniciem nunquam otiosus : arborem vides, cui atra hyems flagitiorum plena meorum comam eripuit, tua, confido, aspirante gratia, velut novo ineunte vere novellis repullulascet frondibus.

XXV. Infelix anima, quam turpitudo et dedecus sævi tortores huc usque vexarunt. Ergo age, fortissime gigas, in hanc descende arenam, et adversarios meos prosternito, impositumque mihi excutito jugum. Ager huc usque fui flagitiis quasi vepribus horridus, spinosis ignem, quæso, supponito herbis. Diabolus suo me subdidit jugo, suæque addixit servituti; tu, qui meus es legitimus et verus herus, vindica me, tuisque restitue obsequiis. Notus ille plagiarius me procul a patrio solo abduxit, et inter salebras et abrupta diu cum illo versata sum. Nostræ salutis magne Reparator, annue mihi in tuam arcem ingressum, et in ea perfugium. Mundo me commisi, pelagus fuit, quod me repente abreptam in scopulos impegit, salutis portum te esse novi, inter furentis maris procellas periclitantem in tutam stationem, obsecro, recipito.

XXVI. Talia mulier, transacti temporis malefacta dolens, animo versabat, et hujusmodi fundebat preces : cui ille pius et misericors Dominus refudit gratiam et peccatorum dimissionem. Illa suspiria mittebat et lacrymas, hic pacem et veniam remisit. Fœmina peccatrix creditoris sui pedes depluentium oculorum rore lavit, capillis suis tersit, unguento linivit, ipsum, quo pectus flagrabat, amoris odore suavissimo inhalavit et venerata est; hujusmodi porro thuris suffitus a peccatrice sua malefacta retractante oblatus, Domino gratissimus fuit.

XXVII. Cum animadvertisset plurimis se contaminatam flagitiis, omnique vitiorum labe coinquinatam, ad Dominum profugit, oravit, ut depravatos ejus mores cor-

rigeret. Dominus ei speculum se præstitit, in quo, cum se illa inspexisset, deprehendit propriam deformitatem ac turpitudinem, et ulceribus diffluentem undique saniem; intellexit enimvero se hactenus cæcam fuisse, ut quæ plagas suas patentes et conspicuas minime animadvertisset. Cum igitur, infuso divinitus lumine, vulnerum suorum medicinam didicisset, circumfusam caliginem fugiens, ad Solem venit, ad Jesum venit, ad clarissimam diem atra nox; ut vidit, ingemuit stupens propriam, quam hactenus ignoraverat, fœditatem.

XXVIII. Profecto nisi peccator, prætereunte peccato, ejus quoque memoriam præterire sineret, illud utique non iterum admitteret, repugnante videlicet conscientia malefacti pœnitudine purgata. At ille perpetrati criminis oblitus, cæcus errat propriæ cæcitatis ignarus; quod enim commisit, peccatum ejus oculos obcæcavit, eique lumen eripuit, nec admissi sceleris consequentia damna considerat. Da mihi animam memorem, sibi ubique præsentem, cogitabundam; huic sane letale crimen non dominabitur. Per illecebras blandientis voluptatis surrepit error, et animam occupat, perturbat, mentis aciem hebetat, ut præteritum lapsum non videat, et futurum non caveat, et sic tandem capitur et succumbit. Atqui et si illa crimen commissum e memoria excusserit, cujuslibet peccati sequacem pœnam effugere certe non potest, tristis et ægra in luctu jacet, angitur, laborat.

XXIX. Quem nactus aditum diabolus mortis auctor confestim irrumpit, et profundioribus adhuc tenebris illam immergere satagit, quod si ei succedat fictis arte sua integumentis involutam, porrigit statim peccati escam, invitat, hortatur, ut sumat proprii decoris et venustatis exitiale virus. Impuris exinde ac turbulentis cogitationibus puram et candidam ejus mentem quatere pergit, donec perturbata

animi pace, velut quodam impetu impulsa, nec inita, nec subducta ratione scelus admittat, nec tamen sentiat; offusis namque tenebris oppressa, velut in vasta solitudine a recta in avia agitur, eo videlicet, quo conflatur nequitiæ nubes, vapore obtusa, cæca in plurima et flagitiosissima facinora labitur, quibus suomet arbitrio perditum se ipsam eat, exitii ignara sui, ea, qua tenetur, nocte prohibente rerum ante oculos positarum aspectum. At ubi illa nostræ salutis autrix gratia ei affulserit, tum vero recursantibus animo quæcumque nefaria ante commisit, hæret aliquantisper stupenti similis, animadvertens se tot flagitiis coopertam; continuo præterita consilia damnat, nec modo peccata, sed etiam peccandi pericula vitare deliberat. Peccati naturam considerat, compertaque ejus turpitudine pavens ac tremens, quod unum reliquum esse videt, ad pœnitentiam piam reorum matrem profugere statuit. Ipsa seipsam miratur, stupet ad eam insaniam devenisse se; tum diaboli astutiam intelligit et multos dolos, quibus capta ad omnem se projecerit nequitiam: angitur, laborat, luget, et lamentabili gemitu plorat, jam ad rectam redire cupit, et interruptum ad virtutem continuare cursum. Hæc porro meditata profugit ad pœnitentiam, cujus unius ope sperat restituendum sibi extinctum sua culpa decorem. Insistit adhuc, et qualibus conflictetur malis rursus expendit, iterum recursant animo præterita facinora, inde renovat gemitus, et pectore ab imo amara suspiria, crebrosque gemitus ægra trahit. Amissæ gratiæ dolor compungit animum et lacrymari cogit. Quam illa tunc tota displicuit sibi! quam puduit! Idcirco anxia, sollicita ad summam illam misericordiam procurrit, propriæ turpitudini tegumentum quæsitura.

XXX. Pulchre Dominus, charissimi, beatos dixit, qui lugent; at si delinquens delicta sua non videt, eo utique

lugere non potest; lugeret autem, si illa expenderet; sed et flebili sublato clamore damnaret, si damna inde secutura perspiceret. Propterea mulier illa peccatrix ploravit, quia se in multis peccasse cogitavit; enimvero ubi immissa divinitus lux oculis ejus affulsit, et commissa spectare dedit, in suspiria et lacrymas statim erupit. Divinus ille justitiæ Sol, Jesus omnium depulsor languorum, ei illuxit, lucem, quam nuper offusa caligo ademerat, protinus restituit : dedit mentem, ut intelligeret se teterrima nocte oppressam, quasque terebat vias, salebras esse magnis expositas periculis.

XXXI. Noctem exorta depulit lux; Christum, veram lucem, divinitus infusa luce vidit; extemplo ejus amore exarsit, requisivit accessum : emicuit splendor a summo Patre, quem nemo vidit unquam, mulieris oculis refudit lumen, mœrorem, tristitiam, tenebras dissipavit; hujus porro lucis fulgore præmonstrante viam, ad Christum intendit iter. Mirifice enimvero delectabat ejus vultum intueri, indeque micantem haurire lucem. Accessit, vidit, inde simul intellexit vivam se esse Archetypi, quem spectabat, imaginem, ejusque immensæ gloriæ participem ob communicatam sibi ab ipso amplitudinem, ornatum ac dignitatem; quamobrem sibi pro viribus enitendum, ut quas adversarius obtenderat tenebras, eæ omnino dissiparentur.

XXXII. Interim dum fœdum in modum se deformatam, et atro criminum suorum colore fulcatam speculatur, ante Medici oculos flere cœpit, scatentia tabo ulcera, et alte serpentia vulnera detexit, errata videlicet, et anteactæ vitæ peccata, argumentum rata satis clarum proprii languoris fore plorantes oculos, et frementia gemitibus viscera, atque ad excitandam pii Medici commiserationem aptissimum. Porro ad declarandum qualem, quamque acerbum dolorem sibi afferret ætatis transactæ cursus, exoticum unguen-

tum protulit, profuditque super caput Medici coram discumbentis, reddidit ille pro suaveolenti oleo insanabilis morbi medicinam.

XXXIII. Accidit tum illustre signum, ex quo omnes præsentes intelligerent quanto mulieris pectus amore ferveret; non enim eo, quod illud unguentum per se præ cæteris suavissime oleret, sed quia dominici corporis contactu affectum, eo, quem ab illo hauserat, odore totum circumquaque triclinium afflavit. Nec porro mysterio vacat, quod eodem unguento Christi quoque pedes mulier illivit, nempe docendi eramus nos in nostro Salvatore habere ubique, unde subsidium et salutem haurire queat quicumque ad eum accederet, et Filium Dei fateretur.

XXXIV. Benignissimus Dominus ipse se ad mulierem turpissimam inflexit, indulsitque, ut eadem non modo ad ejus pedes accideret, sed, uti petebat, pie complecteretur. Nec porro reprehendit, quod ejus caput contingere coram Discipulis suis ausa fuisset, quinetiam passus est, ut ipsius complexa pedes, quod facere statuerat exequeretur, eos lacrymis lavaret, et deliniret unguento; adeo non fastidivit miseram et laborantem! suscepit plorantem, et oscula pedibus libantem, qui ante meretricantem et nefaria perpetrantem patientissime toleraverat. Ubicumque illa ad eum accessit, etiam tangere non dubitavit; scilicet præsumpta de ejus bonitate opinio et amor quælibet obstantia facile eluctabantur, eamque trahebant, sollicitabant, ut, remoto rubore, accederet; ideoque nec Pharisæum, nec Discipulos discumbentes reverita est; ideo autem accedentem Dominus non exclusit, quia alienum a se putavit reum quemquam suorum criminum veniam demisse rogantem repellere. Quid quod consentaneum fuit divinum thesaurum aperiri fœminæ similis notæ, ut in ea extaret exem-

plum, quod animos aliorum ad imitandum decus sinceræ pœnitentiæ accenderet?

XXXV. Balneum lacrymarum intravit palam; si enim publicum erubuisset, nec delictorum impetrasset gratiam. Unguentum et lacrymas ferens, ad sanctitatis auctorem venit, ut omnes nostri baptismatis ritus, ea, quam parabat, lavatione complecteretur. Quas fudit, aquæ non multæ fuerunt, et modicum fuit, quod adjunxit aquis, unguentum; in hac etiam parte sacri baptismatis mysterium adumbravit; scilicet ille pontificum princeps de suo piacula expiavit, et debita dissolvit mulieris ex scelerum colluvione natæ: meretrix omnibus contaminata flagitiis, ad ejus accidit pedes, mysticam Spiritus regenerationem petens; et quoniam ad hanc assequendam haud satis esse rebatur generationem per ordinarium baptismum conferendam, idcirco fundebat lacrymas, easque pretioso unguento inodorabat; caput pedibus Christi applicuit, lavit eos lacrymis, capillis tersit, peccatorum dimissionem poposcit, et a Domino velut inditam per baptismum sanctitatem consecuta est. Secundæ matris uterum intravit peccatrix, ut inde per extraordinariam regenerationem formosior venustiorque renasceretur, ac talis utique ex illis aquis emersit sceleris pura et noxæ integra.

XXXVI. Cum itaque in triclinio discubuisset Dominus immensæ bonitatis pelagus, pedes ejus mulier apprehendit, baptismum ab eo suscepit, illitum animæ lutum detersit, e sacri fluminis alveo emicuit, hausto inde nitore, splendida; hunc scilicet ad tergendas ejus labes ille refuderat, qui maris ad instar omnia bona ex sese sine decessione profundit. Cum enim ad cor rediisset, Domino se stitit, inde effluxere aquæ salutares, quarum aspersione mulier ægra convaluit. Ad illum ignem vivum, cujus calore omnia vivunt, corpore vestita corpus applicuit, idque applicitum

flamma corripuit, inolescentes in eo vepres absumpsit. In fornacem charitatis impuram fœminam conjecit summus aurifex, conflavit et purgavit, purum aurum inde recepit, etiam auro illa splendidior evasit destinatum videlicet regis cubiculo ornamentum.

XXXVII. Cum Discipulis et Pharisæo discubuerat Dominus, cibum appetenti naturæ satisfacere velle videbatur, reipsa charitatis negotium agebat; peccatricem idcirco movit, ut ad ipsum veniret; pro pane mulieris expiationem esuriebat, hanc ille sitiebat : ea est illius erga nos pietas, ea est de nostra salute cura : porro in eo, quod Simon instruxerat, epulo, quod optaverat, retulit. Enimvero etsi hospites, qui Dominum ad convivium vocaverant, ex opinione persuasi crederent eum esse Prophetam [1], eumdem esse Filium Dei penitus ignorabant; ipse tamen, ea, qua dimittendi peccata potestate utebatur, cujus Parentis esset Filius satis aperte declaravit.

XXXVIII. Interim observa Domino benignissimo et ad condonanda peccata mirum quam propenso longe jucundiora accidisse meretricis suspiria, quam epulas a Simone magnifice paratas, et multo gratiores fuisse lacrymas peccata sua dolentis præ quavis exotica potione, et quolibet sumptuoso opsonio, quæ Pharisæus in splendido convivio curare potuisset. Sed enimvero quibusnam ille dapibus ornare poterat epulum, quod ei instruebatur, qui suo Numine mundum alit utrumque, et quod quid est hoc, creat, animat et gubernat? dapes sibi appositas convivæ spectabant, earum explorabant saporem, copiam, conditionem laudabant; at ista Dominus dissimulans, quasi non videret, ad gemitus meretricis sua malefacta deflentis attendebat animum, dimissionemque suorum peccatorum deprecantem auscultabat : spumantes illi pateras cogitabant, respecta-

[1] Matth. xxvi.

bant pocillatorem, meracum bibere cupiebant, ex quo et et ipsi hilaritatem conciperent, et sodalibus regererent.

XXXIX. Alius Domino sensus erat, quem longe magis delectabat haurire voces sinceræ pœnitentiæ indices, quas conversa mulier modulabatur. Illos tenebat convivium a Simone sumptuosa profusione ornatum, Domino magis placebat resipiscentes peccatores excipere, tales videre gestiebat ipsius gratiam ambientes; idcirco nec mirum si hujus mulieris suspiria ei fuerint gratissima. Cum illis Dominus prandebat, nec ideo oculos ab ejus fletu, aut aures ab ejus precibus avocabat; propterea namque ei aditum non negavit, quia miserorum obsecrationibus mirifice oblectatur. Illam porro, qua erga meretricem Dominus utebatur, comitatem aspiciens, qui ei assidebat Simon, factum, quod non probabat, ignorantiæ attribuit; ignorantem scilicet credidit, qui res omnes inspicit, suo lumine mare, terram ac cœlum contuetur, et intime novit qualis quisque sit, quid agat, quid cogitet. Pharisæus rudem æque ac reliquos simplices homines deputavit, quod se facilem ac benignum impudicæ mulieri impertiret: hanc videlicet notam impegit Simon domi suæ etiam peregrinus Domino omnibus præsenti rebus, secumque murmurabat plurima eidem ignota latere; sic mysterii ignarus secum statuebat de illius scientia, cujus natura est omnia scire.

XL. « Si hic esset Propheta, aiebat, sciret utique, » qualis est mulier, quæ tangit eum[1]; » nempe id noverat ipse Simon : quod ergo talem admisisset, hoc ab eo ex inscitia factum existimavit; nec vero prudentem istud fuisse permissurum, imo contra acriter increpitam illam abacturum fuisse, ne scilicet impuræ manus corpus Prophetæ purum contaminarent, eo porro minus illum passurum fuisse, ut eadem osculis pedes ejus fatigaret, si modo intellexisset

[1] Luc. VII, 39.

quam multa, quam turpia, quam nefaria infamis fœmina perpetrasset: næ ego amens sim (sic ipse secum mussitabat), qui oculis exposita meis non videam, aut ex his, quæ video, non intelligam, hunc non esse Prophetam, quem mihi ipse fingebam : atqui, o Pharisæe, mulierem utique ille repellere non debuit, quam ante causæ cognitionem damnare non licuit. Sic ille dubitabat, hæsitabat, revocabatque se interdum, iisque, quæ imbecilliora erant, assentiebatur, ut tandem Prophetarum lumen prophetico lumine carere colligeret.

XLI. Sed enimvero nec tum Pharisæus fidem integram habuit, quando clariore fidei luce illustratus videri potuit, ex parte fidelis in partes dissecuit Christi nuncupationem; quem enim dixit Prophetam, Filium Dei etiam dicere debuit; sed et hanc ipsam appellationem visus est mox retractasse, quando dubitavit, utrum idem arcana cognosceret. Initio itaque de hac Domini prærogativa anceps secum ipse disceptabat; in fine, quam ex parte credebat, ex toto negavit. Scilicet quando Christum diligebat ac observabat, Prophetam etiam nuncupabat, etsi minus recte; nam Dominum Prophetarum appellare debebat; at ubi refrixit amor, et observantia immunita est, labasse fidem mirum non fuit. Sed nec illum quidem ante Prophetam vocasset, si ab initio Filium Dei credidisset, et Dominum Prophetarum. Deerat nimirum fundamentum, quod tantam sustineret molem; infirmum erat, quod Simon jecerat, ut eo assurgeret, ubi Dominum veri Dei verum Filium intelligeret et crederet; idcirco levi impulsu prostratus, illa secum incertus volutabat : « Prophetam hunc esse rebar, falsus sum; nam utique Propheta dicendus non fuit, quem, ut video, arcana latent. »

XLII. Talia Pharisæus secum versabat, quæ ut dilueret, Dominus subjectam parabolam sapienter præmisit : « Si-

»mon, ait, habeo tibi aliquid dicere[1] :» tu quid fieri expediat, audita causa, pro tua æquitate constitue. Hoc scilicet Pastor bonus facili et suavi verborum circuitu sibi cum Simone agendum putavit, ne videlicet errantem Pharisæum requirens, præsentem peccatricem amitteret; statuit ita primum injectam Simoni dimovere suspicionem, rationes refellendo, quibus adductus in eum errorem impegerat. Consentaneum videlicet erat, ut, resipiscente peccatrice, desineret Pharisæus desipere. «At ille ait : Magister dic[2]. » Ea erat Domini mansuetudo et suavitas, ut non invitus, sed libens et suamet sponte Simon sensim duceretur ad damnandam proprio judicio præposteram, quam de ipso susceperat, opinionem. Sic ille sapiens Scrutator cordium Pharisæum judicem statuebat, ut ipse suam rescinderet sententiam, ausus ambigere de illius sapientia, cui ex ingenua sua virtute competit nihil ignorare. Parabolam itaque illi proposuit, ex qua verum, quod ignorabat, edisceret, et suspicionem, quam præsumpserat, deponeret.

XLIII. «Duo, inquit, debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta, non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque[3], » syngrapham scidit, ut gratiam remissionis ratam firmamque faceret. Tum, uter illorum, subdidit, creditorem magis diligere debet? Æstimo, respondit Simon, ille primus, is enim debet amare magis, et honorare creditorem, cujus debitum alterius debito comparatum, majus fuit; etenim a beneficii magnitudine mensura amoris erga auctorem petenda est, cui ergo majus debitum donatum est, creditori etiam majorem honorem deferre debet, et ampliorem habere gratiam. De causa, vides, non cognita sententiam dicere rogatur Simon : Verborum Christi scopum ille profecto non animadvertit, sed nec quid ipse ju-

[1] Luc. VII, 40. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 41, 42.

dicasset, intellexit. Actorem ante Simon se ipse fecerat contra Filium Dei, nunc ab eodem Judex factus triumphabat, nec putabat se contra se Judicem interpellari. Causa cecidit in eodem foro, in quo Judex ipse sedebat, didicitque a seipso quid pro æquitate statuendum esset. Condemnatus est propria judex sententia, quam quidem sustulerat æquissimam, ratus in alium quempiam esse ferendam : quem itaque Dominus judicem fecerat, reus ipse erat, a se ipso proinde damnatus est judex idem et reus. Pulchre sua confessione indutus, coactus est Simon suam fateri ignorantiam, qui ante Domini sapientiæ detraxerat, arbitratus se scire, quod scientem omnia lateret. Forum quasi actor intravit, reus deprehensus est, nec talem se esse sensit; contra se sententiam dixit, contra alium dixisse se credidit.

XLIV. Recte quidem Simon judicavit, ignoravit tamen, contra quem judicaret, ut propria sententia jugulatus, disceret debitam summo secretorum Inspectori reverentiam. Duo aderant rei, Pharisæus et fœmina peccatrix, magno fœneratori debitores erant ambo, debitum alterius quingentorum denariorum summam compleverat, alterius quinquaginta non excesserat. Judex constitutus Simon rei personam repente induit; nempe divinus ille arcanorum interpres, et explorator cordium, proposita parabola Pharisæum innocentem non esse demonstravit. Sic olim Nathan propheta Davidem sensim induxit, ut se suomet judicio imprudens condemnaret; uti ex ore suo judicatus est Simon, sic suamet sententia Davidem coarguit : ambo rei in propria causa fuere interpellati judices; ambo contra se pronuntiarunt. Judicavit Propheta contra regem; contra Pharisæum Dominus; ex iis, quæ a Judice rogatus, uterque respondit, deprehensus est reus uterque. Peccatrix Domini pedes complexa est, quod cum Pharisæus impro-

baret, Dominus id recte factum affirmavit, ostenditque mulierem Simoni charitatis laude non una in parte esse præferendam, simul inductæ parabolæ sensum ei exposuit, ex quo intelligeret latam sententiam non alium, sed ipsum condemnasse latorem. Mulieris causam defendit, charitatem magnopere laudavit; docere nimirum volebat, quanto mulier Pharisæo, a quo fuerat invitatus, sapientia præstaret.

XLV. « Simon, ait, intravi in domum tuam, aquam pe-» dibus meis non dedisti; hæc autem pedes meos lacrymis » lavit[1], » capillos pro linteo, quo eos tergeret, adhibuit. « Oleo caput meum non unxisti[2]; » at hoc neglexisse te, certe ex officio non fuit; hæc autem unguento imprimis suavi et regio peramanter oblivit. « Osculum mihi non » dedisti[3], » quo de more tuam in me declarares benevolentiam, simul aliis exemplo prodesses, et ad credendum eos incitares; istuc utique non sine causa a me permitti potuisse; cum autem hæc a te prætermissa fuerint, eademque contra cumulatissime præstiterit mulier tanto te inferior et imbecillior, adeo ut huc usque « Non cessaverit » osculari pedes meos[4], » pace quod dicam tua, quadantenus sapientia tua ab hac muliere victa est; hæc videlicet, « Quoniam dilexit multum, » multa præstitit, tu quid istis opponis tandem, si opsonium excipias? Obsecrationes et humiles preces obtulit, profudit unguentum et lacrymas. Scilicet vinum tu dedisti, vappa fuit, amorem illa dedit, amoris testes produxit singultus, et oscula pedibus meis impressa. Opsonia diversa et variis condita saporibus mihi exhibuisti, ut nimirum ostenderes quanti me faceres, et quam impense amares: ista sinceræ pœnitentiæ indices, piique doloris argumenta lacrymas, suspiria protulit, nec dubium, quin ista simplici prandio antehbenda sint, et

[1] Luc. VII, 44. — [2] Ibid. 46. — [3] Ibid. 45. — [4] Ibid.

luculentiores perfectæ charitatis sint testes. « Et quoniam » dilexit multum, ejus peccata quantumvis multa dimissa » sunt[1]. »

XLVI. Quam te dicam, venerabilis mulier, dum video te mutatam ab illa, quæ ante fuisti; quam nunc pulchra es ! quam decora ! Ornatissima mater, quæ etsi ante concepisti peccatum et iniquitatem peperisti, mox a superveniente gratia, hanc, quâ mirifice nites, puritatem adepta es. Hæccine est illa, auditores, meretrix, quæ magnam vitæ partem in prostibulo trivit? quî tantum dicamus, ut vitæ sanctitate et virtutis studio Apostolorum et Evangeslistarum gloriam in fine adæquaverit? Peccatrix illa fuit multis contaminata flagitiis, suis propter suam charitatem a Jesu eluta sordibus, ejusdem gratiæ hyssopo omni detersa labe, candorem induit admirabilem. Fons illa fuit sulphuream redolens mephitim, fundensque rivos scelere spumantes, immensa Christi pietas vitium omne sustulit, et sanavit aquas. Fœmina procax ad omne projecta scelus, cuilibet, ut casus ferebat, se prostituere solebat ; Christus aquila omnipotens in candidam columbam transmutavit : quæ nuper erat scopulus et lapis offensionis, multorum naufragio, et ruina infamis, modo Apostolorum ædificio inserta aurea luce rutilat : fera fuit, pastorum principem petebat; ut vidit, in ovem conversa est, meruitque sacro adoptari gregi : quæ ante puram castamque vitam fugerat, jacueratque cooperta vitiis, a Christo nuper exculta, formosarum antistes evasit : mulieris semper eo contendere suetæ, quo furor rapuit, en hodie laudes recinit Evangelium, suavissimum utique piorum auribus melos. Ille scilicet, cujus nutu e nihilo crevit quod quid est, meretricis mentem voluntatemque mutavit, et ad pœnitentiam convertit; ad hanc quippe venire necesse est omnes, quos de-

[1] Luc. VII, 47.

liquisse pudet, quique criminum suorum expiationem desiderant.

XLVII. At vos, charissimi, in hac, quam cernitis, fœmina peccatis et vitiis deformata, humanam agnoscite naturam, nil habet ista illa minus; quippe quæ eodem modo Jesu Christi Filii Dei gratia, illitum sibi lutum deterserit, eamque pulchritudinem fuerit adepta, qua vix altera major; simul intelligite felicis mulieris lacrymas, hisque admixtum unguentum nostri nobis baptismi vim et ordinem adumbrasse. Christi discumbentis capiti unguentum infudit, odor inde spirans triclinium complevit, convivas rapuit, mox de pretio disceptari cœptum est, quod quidem nonnulli supra trecentos denarios extollebant, alii infra ducentos ponebant, utrique usum improbabant, « Ut quid, aiebant, perditio » hæc[1]. » Judas imprimis homo, cujus fidem, probitatem mentemque avaritia subverterat, et unguenti pretium in proprios usus avertere cogitabat, istud consulto amplificabat, suæ avaritiæ consulebat; ideo pretiosum esse volebat, ut merito ipsi attribuenda sit illa de perdito unguento querimonia.

XLVIII. At enim unde manabat talis unguento fragrantia, quam tantopere laudarunt Apostoli, atque discumbentes convivæ, ut perditum quererentur? Quid enim? num aliæ odoratæ species ei admixtæ ejusdem odorem acuebant, eaque admirabili fragrantia imbuerant? haudquaquam; sed a contactu arboris vitæ eam unguentum suavitatem et vim contraxerat? ex quo enim Jesum tetigit, et in Jesum mulier credidit, liquor ille eum concepit odorem acerrimum et jucundissimum, qui præsentes convivas tantopere commovit. Unxit meretrix Dominum suavissimi liquoris pelagus, inde in oleum transiit odor ille peregrinus a corpore Christi transfusus. Unxit illa caput omnis sanctitatis, inde profluxit

[1] Matth. xxvi, 8.

mirabilis illa fragrantia. Beata mulier divino amore succensa, eadem flamma repertorem odoramentorum accenderat, optaveratque, ut eo odore unguentum imbueret, qui Apostolos sic oblectaret, ut etiam in admirationem raperet. Esaïas divinorum arcanorum verus interpres appellavit Christum ortam «De terra sitiente radicem[1], » utpote sine semine de casta virgine Maria natum; hanc porro radicem cum peccatricis unguentum contigisset, statim ab ea odorem illum exoticum hausit: Filius enim Virginis de terra sitiente natus, ipse liquorem pedibus suis superfusum eo odore perfudit; nam etsi ille suaviter ex se oleret, ex recenti tamen usu longe jucundiorem imbibit odorem, merito a recumbentibus laudatum, et omnibus odoramentis prælatum; quod quidem ex pretio patuit, quod illum unguentum taxarunt ducentorum, imo trecentanorum denariorum.

XLIX. At Judas Magistri proditor sui, homo improbus, exaggerandæque pecuniæ cupidus, lucri occasionem eo facto sibi præreptam maxime doluit. Et «Ad quid, dixit, perdi» tio hæc? Cur istud venumdatum non est multo, et datum »pauperibus[2]?» quo animo Judas talia diceret Christus ignorare non potuit; quamobrem ejus nequitiam perstringens: «Quod videtis, Discipuli, ait, a pia muliere mihi præstitum officium, nec exiguum id est, nec inutile; diem videlicet, quo cruci affigendus sum, prævenire studuit. Ego quidem suspensus, a vobis haudquaquam talem honorem spero; ad diem ergo sepulturæ meæ hoc peregrinum unguentum paratum est ab hac religiosa fœmina, quæ si unctionem anticipavit, id porro fecit, quia simile officium mihi nemo vestrum eo tempore præstabit; omnes enim fugietis. «Bonum opus operata est in me[3], » nec bene factum sua

[1] Isaï. LIII, 2. — [2] Matth. XXVI, 8, et Joan. XII, 5. — [3] Matth. XXVI, 10.

laude fraudabitur. « Amen, amen dico vobis : Ubicumque » prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, » et quod hæc fecit in memoriam ejus [1]. »

L. Sustulit Dominus sua charitate nostros languores, et morbos sanavit corporum atque animorum. Simonem leprosum mundavit, expiavit fœminam peccatricem, Simonem scabie liberavit, meretricem a suis noxis absolvit : occultum mulieris malum curavit, manifestam Simonis lepram solvit. Fons ille inexhaustus gratiarum eluit labes, et peccata dimisit omnium, quibus illa displicuerunt. Magnus et bonus Medicus, ea, qua pollebat, potestate condonandi peccata, æquissimo jure sua dona divisit, et meretrici quidem pro merito quingentorum denariorum summam condonavit, Simoni quinquaginta. Et vero cum divinæ naturæ maxime propria sit bonitas et benefica voluntas, Christus verus Deus peccatores impense dilexit, et ipsis ubique consuluit, mulieris proinde delictorum gratiam fecit; curavit Pharisæi morbum despicatissimum, et a lege despectum.

LI. Atqui debitores profecto ingrati non fuerunt, sed pro peccata debitorum remissione, maximam, quam potuere, gratiam retulerunt, amorem reposuerunt pro recepta debitorum syngrapha. Pharisæus siquidem, qui manifesto miraculo lepra mundatus fuit, Dominum palam ad epulas invitatum honore omnium oculis patente et conspicuo affecit; post etiam Filium Dei confessus est et prædicavit. Peccatrix, quæ delictorum gratiam accepit, charitatem reddidit, quam quia alio signo explicare non potuit, pedes Domini complexa, lacrymis et gemitibus declaravit. Sic ille, in quo considet velut in sua sede beneficentia, multa et magna tribuit utrique, adeo quod ambo optarunt, id omne tulerunt.

[1] Matth. xxvi, 13.

LII. Vos itaque, quos deliquisse pœnitet, oblatam delictorum remissionem negligere utique non debetis. Nunquam clausa Dei benignitas in homines fuit, suam misericordiam suppliciter implorantibus nunquam negavit. Quicumque reum se esse novit, et animo, seu corpore ægrum, illius se pedibus advolvat, ostium aditum petenti aperiet, eumque sua ægritudine relevabit. Meretricis exemplum vos imitari non pigeat, votisque et lacrymis pacem ejus poscite, dabit utique, confidite : illius pulsate fores, cujus natura est misereri, et ad postes ostii ejus assidue vigilate, suppliciter ad pedes abjecti ejus misericordiam captate, quam ille sincere flagitantibus recusare non solet : limina propitiatorii vestris perfundite fletibus ; in propitiatorio namque moratur Jesus, qui se a meretrice tangi passus est, et universam Adæ stirpem laborantem reficere se velle declaravit. Quisquis ergo de peccatorum suorum dimissione sollicitus est, januam ejus largo fletu rigare festinet, non est cur de gratia desperet. Quisquis ictum sensit draconis, qui parentem nostri generis appetiit, et perdidit, hunc Medicum supplex adire statuat ; pius et misericors est, ægrum non fastidiet, nec sine curatione remittet. Quisquis sua voluntate incidit in flagitiorum atque scelerum foveam, tremens, sed et amans huc gradum approperet, et bonum Dominum precetur ; illius enim est collapsos erigere, et perditorum hominum saluti prospicere.

LIII. Sita est in tua potestate salus, tibique libera est optio eligendi vitam, vel interitum ; vide ut rebus tuis tempestive provideas, antequam elabatur tempus pœnitentiæ, et misericordiæ fores claudantur. Concipe tibi preces, quales adhibuit fœmina peccatrix, et supplex illum obtestare et obsecra ; confide, miserum, laborantem sublevabit, ac de tua salute gaudebit ; id enim illius ingenium est, vitæ nostræ imbecillitatem erigere, instruere inopiam, et

lenire acerbitates. Nullum misericordiæ genus ab illo abest, nec momentum ejus beneficiis transcurrit otiosum. Plange peccata tua, sicut illa sua, et simili medicina curatus, sanus redibis. Deum diligito, quantum illa dilexit, et quam illa accepit, gratiam feres ab illo summo Bono, cui proinde malum nostrum placere non potest. Jesus, qui fuit, et est, et erit in ævum, cujusque potestas et imperium nullum sunt habitura finem, misericordiæ januam omnibus cum fide accedentibus semper patere jubet. Hinc disce et lauda illius bonitatem, cujus liberalitas nullis est conclusa terminis; pelagus nimirum est immensum, et cumulatissimus thesaurus sine decessione semper exundans. Sit ipsi Unigenito, ejusque Genitori, et sancto Spiritui gloria sempiterna. Te precor, quæsoque, divina Trinitas, supplices servos tuos culpa vacare jube.

PARÆNESIS V.

I. Si pœnitentiam egerit peccator unus, omnes lætantur Angeli, credite; inspiratæ divinitus Litteræ istud testantur; quicumque mei similes hæc auditis, etiam atque etiam animis illa vestris infigite : agitedum, facessite moras, trepidique pœnitentiam, Angelorum gaudium, effuso sinu excipite. Tu, Domine, precor, nos tales efficias, ex quorum conversione Angelis lætitia, laus et gloria majestati tuæ accedat. O me porro miserum, cui in adventu æquissimi Judicis vix ulla salutis restat spes! nec enim ille ad excolendum agrum suum me adegit, meo ipse arbitrio et voluntate pacta mercede diurni laboris operam obligavi meam; sed quæ mea fuit vecordia et segnities? heu! præs-

tare neglexi ! ex ore meo ille me redarguet reum, mea quippe sponte dedi nomen, et inter ejus ipse me scripsi mercenarios. Quisquis hominum usquam peccavit, subductisque conscientiæ suæ rationibus deprehendit se esse ex delicto debitorem, qualem me esse fateor, huc ad me festinet, ut luctum jungamus ambo et lacrymas. Heu quam durum, dicamus, diabole, nobis imposuisti jugum ! O nos saxa et stipites, quibus cum integra nobis esset eligendi potestas, istud subire præoptavimus! Domine Jesu, qui jugum suave, tibi nimirum simile, mihi præsentas, istud libenti animo portare tribue, tu enim ad ipsum vocasti me.

II. Hei mihi ! ad quem pertinere scio illud Prophetæ oraculum. « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras » justitias meas? et meas evolvis Scripturas, tu vero odisti » disciplinam [1]. » Obsecro, Domine, tuæ legis amore et peccati odio cor meum imbue, præsta mihi securum sub tua tutela perfugium. O summum vere bonum, ex quo omnia fluxere bona, quique nostræ beatitudinis caput es et spes, eripe me ab hoste omnium architecto malorum, ejusque nequitiam compescito, ne quod contra me moliatur malum. Tu, qui ad vineam tuam licet immerentem vocasti, tu præsta me dignum, qui in ejus cultura meos omnes exigam dies; nec committas, ut ille sibi meam avertat operam: prohibe me a via illa spatiosa, quam cavere nos jussisti; compelle ingredi, quam a te didicimus, angustam portam ; meque demum ad salutis portum appellito, futurum illic misericordiæ et clementiæ tuæ perpetuum testimonium; dirige me in semitam mandatorum tuorum, et a via interitus abducito me.

III. Quicumque doloris sensum adhuc retines, ehodum casum fleto meum, qui cum a Deo in filium adoptatus fuissem, ea, qua præditus eram, arbitrii potestate ad servo-

[1] Psal, XLIX, 16, 17.

rum conditionem ipse me demisi, et utinam servus gnavus et utilis fuissem! Ne me, precor, Here clementissime, in inutilium servorum redigas ordinem, neque me deseras: averte malum, neve permittas, ut os meum, quod scriptis, Spiritu tuo dictante, hymnis te in præsenti laudat, in futuro sæculo pœnarum acerbitate furens rabidos contra te sustollat clamores: nam etsi malis factis meis a te longe abii, bonis verbis tuam potentiam laudavit; ne tua, precor, justitia ad acta mea respiciat, ad mea verba potius suos intendat oculos misericordia tua. Abundantia pietatis tuæ, quæ te e sinu summi Patris ad contubernium hominum mortalium inclinavit, meam peroret causam in magno die, in quo peremptoria de rebus nostris feretur sententia, mihique sic faveat, ut horrendum illud judicium mihi alias sæpe intentatum effugiam, et pro facta mihi omnium præteritæ vitæ delictorum gratia, tuas celebrare laudes merear, qui reos absolvis, et impios justificas.

IV. Interim subit admirari invictam Dei patientiam, qui me in multis peccantem tandiu sustinuit, nec adeo minus audaciam accusare meam, qui, nullo morante loro, in omne excurri nefas. Me infelicem, quo me meus rapuit furor! Tuam, Domine, contine justitiam, ne in me severe pro meo merito animadvertat. O miram tuam erga me clementiam! o inauditam meam adversus te proterviam! o quantum illa mihi indulsit! o quantum ista tibi iniqua fuit! Ne me, precor, pro merito meo tua condemnet æquitas; nullam quippe noxam dissimulat, quin in codicem continuo referat. Tua, Fili clementissimi Patris, bonitas meis clarior fiet malis, si quemadmodum me miserum egomet feci perditum, mortuum, et datam vermibus prædam, sic tu incolumem et integrum restituas me, daturum utique Angelis magnum lætitiæ argumentum; immundis contra spiritibus acerbi doloris et luctus materiam, unde mihi li-

ceat in adventu tuo exultare et dicere : «Laus et gloria ei, qui nos post lapsum erexit, et suos sustulit in humeros.»

V. Vitulus saginatus, pia victima pro peccatoribus cæsa, ne me miserum de illorum censu deleas, quos tuo sanguine redemisti. Corpus tuum manducavi, potavi sanguinem tuum, tuaque me morte revicturum credidi. Domine, qui nece tua nostrum interfectorem necasti, peccatum excidito; hujus nempe excidium mihi causa salutis fiet. Tuum in terras descensum nulli sollicitarunt integri et bene valentes, ad sanandos ægros abundantia pietatis tuæ te inclinavit; et quoniam me talibus junxere mea vulnera atro scatentia tabo, medicinam a te deposco, languores, oro, curato meos; jube me in illorum, quos sanasti, choro laudis tibi hymnos cantare. Et pacem quidem, quam peto, tibi dare operosum non est; porro nisi id fiat, inevitabilis instat ecce mihi occulta mors, si tua quidem misericordia laboranti succurrere abstiterit. Domine, cui nostra semper optatissima fuit salus, exitiumque nunquam non doluit, meum averte casum, et vivam tibi. Tua me sibi vindicet clementia, et latentem luem ex præteritæ vitæ peccatis contractam medeatur; omnium scilicet expulsor morborum es, nec alius præter te peccata dimittit. Tua pietas meas detergat labes, depellat vitia, hyssopus tua meas misericorditer eluat sordes, et nive candidior fiam; salutis beneficium beneficentiæ tuæ acceptum referam, et prædicabo.

VI. Jugum tuum mea ego voluntate suscepi, non tu me reluctantem illud subire coëgisti, egomet sponte mea ad excolendum agrum tuum me obligavi. Sed heu! semen a te acceptum in spem uberrimæ messis datum seminare neglexi, flocci pendens fructum inde proventurum; meam nunc expergefactus damno socordiam, abjectum tu me ac perditum ne, precor, destituas. Crux sancta, quæ stas ve-

lut alta turris, et animas ad cœlum vocas et provehis, excelsum demitte caput, ut per te, mea mens ascendat, et Unigenitum sedentem ad dexteram Regis cœlorum aspiciat. Tum vero sublimi locatus in arce, illius laudes celebrabo, qui synagogam repudiavit, et Ecclesiam electam sibi sponsam copulavit.

PARÆNESIS VI.

§ I. Quî fiat, ut de mea, Domine, vecordia non mirer, cum videam mala mea eo latius manare, quo longius mea in hac vita protrahitur mora? scilicet inepto negotiatori similem me feci, qui data sorte contentus, fœnebrem ex ea quæstum facere neglexit, donec ad extremam redactus inopiam, falsa se spe deceptum animadvertit. Tu, Domine, filiorum dexteræ vota multiplica, tuæque obsequens bonitati nos ab hœdorum ad tuam sinistram locandorum turma secerne. Quidni vero obstupescam vitæ meæ rationes subducens? quandoquidem nec secundæ res, nec adversæ me a peccandi consuetudine abducunt, quin scelera sceleribus cumulem? quodque magis doleo, pœnitentiæ remedia hactenus contempsi, etsi nulla effluat dies, in qua mihi ea adhibere non cupiam; de vana interim spe pendeo, hanc respicio, dum sensim deficio. O quales miseri induimus mores, ut rerum externa specie capti, in eam venerimus stultitiam, ut nec manifesto experimento perspecta earum vanitate sapere discamus! Mirum sane hominem tot tantisque difficultatibus afflictum tam alte de se sentire, adeo sese effert et superbit vivus, qui mortuus pulvis et nihil est. Anceps votis distrahor contrariis; vivere namque mihi

dulce est, nec minus optabile mori, sique mortem timeo, peccare certe non desino. Tua, Domine, mihi, dum hic maneo, succurrat gratia; nam hinc ante impetratam delictorum veniam emigrare vehementer exhorreo, tua mihi benignitas præstet hic, justitia duce, verum a falso discernere, et illic, misericordia comite, vita beata frui.

II. De luto compegisti me, tua tibi id voluntas persuasit; sed parce, quæso, ne iterum te mea scelera compellant, tartaro me mea voluntate addictum, deserere. Reum me esse scio, meque ipse condemno; miser sum, nec ideo salutem meam despero; misericors es, et ideo nec tuam despero gratiam. Quod si tuam intrare domum prohibear, ad januam excubabo intrepidus, charitate tua omnem pellente metum. Pie Domine, qui ut tuum erga nos amorem testareris, pro nobis mortem dignatus es oppetere, misericordiæ tuæ fores introitum petenti mihi reserari jube. Placabilem ille se præbet confitenti reo, quia semper misericordia plenus est, et peccata dimittere nunquam non optatissimum illi fuit. Sustulit olim te propter me lignum in Calvario monte, sustollat, oro, me tua mors ad Patrem tuum; quibus illuc evehar, alas illa ministrabit, spero.

III. Hic colligendæ sunt opes, quas illuc asportare quis cogitat? ego vero a pueritia mea in turpi otio et languore dies trivi meos. Resurrectionis spes me recreat; terret inevitabilis judicii severitas; audivi quippe Deum in igne judicaturum. Adesto, serve Dei, peccatorum meorum tibi ecce revolvo telam; patronum te apud Dominum tuum in mea causa cupio: supplex te, Beate, precor, ut malis meis provideas medicinam precibus tuis: idque mihi petere honestum est, sed et necessarium, postquam illa medicorum artem vicerunt. Memento mei, quem in hunc carcerem mea maleficia compegere, teque meam patrocinante causam, confido me omni absolvendum noxa: neve, obsecro,

talem te erga me præbeas, qualem expertus fuit Joseph illum, qui accepti beneficii immemor auctorem in vinculis dereliquit. Tua in me charitas eum, qui me vehementer angit, dissipet metum. Tuque, Domine Deus meus, qui Sanctorum suffragationes magni facis, hujus servi tui precibus exoratus, meorum mihi delictorum veniam hic indulge, ut illic summum assequar bonum. En suffragationem Sanctorum tua tenet pietas; patrono meo pro me orante, peccata jam dimitte mea.

PARÆNESIS VII.

I. Heus tu, infelix anima, multis contaminata flagitiis! vide, ut te a lapsu releves, impendentium malorum præscia time, et commissorum memor ad pœnitentiam profugito, ut sempiternum exitium effugias : lucernam accende tuam; mores videlicet indue probos, oleum para, bene vivendi disciplinam persequere, ut facta Sponsi comes, in cœleste triclinium succedas. Cave ne ad illud convivium accessura, tuam extinguas lucernam; tenebras siquidem illi, quorum consortium petis, imprimis oderunt : nitidam induito vestrem ad Sponsum itura, tuum præstolantem adventum. Clausis ille foribus suis ministrat Sanctis, nec si quis post accedat et pulset, admittitur.

II. Perpetuum tibi imminet incendium, judicis pulsa fores; hunc obsecra, ut parcat, et meritis te subducat flammis; ecce patent fores, ingressum ille offert et sollicitat : vocanti obsequere, pertimesce iratum, et ad paternam redito domum. Filia lucis es, tenebras fuge; impudens ille, qui ausus fuit in triclinium Sanctorum irrumpere, sordida

amictus veste, inde repulsus in tenebricosum carcerem detrusus fuit, ne videlicet indigni hospitis societas dignitatem deterreret discumbentium. Nec porro difficilis operæ est luto oblitas eluere vestes, cum id præstare valeant, quæ ex oculis manant, lacrymæ, et quæ ex corde prodeunt puræ preces. Disce orationem peccatoribus datam fuisse matrem; suis illi lacrymis ab illa curantur, et inde suis malis medicinam parant. Artem medendi callet oratio; huic instite, peccatores; næ ille plagam amat, qui ei medicinam adhibere non curat : suis ille peccatis ignem alit, qui, dum licet succensum rogum suis sopire lacrymis, istuc detrectat; precare veniam, miser, et pœnitentia damnationem prævertito; igneum illud fretum manantium lacrymarum guttis extinguere tibi concessum est; quin ergo remedium tibi obvium præoccupas, ut flammas effugias?

III. Facerem enimvero, nisi exaggerata meum obstrueret os iniquitas mea, nec ignorarem execrabilem esse orationem peccatoris; vereor ne judicem mea hactenus dissimulantem scelera, ac velut causæ indormientem meæ, meis excitem vocibus, et malum, quod a me deprecari contendo, ipse mihi accersam, Judice reum ad pœnam reposcente etiam supplicantem; quamobrem etsi sæpe me mea conscientia ad orandum sollicitet, nil obtinet; nec enim metum pudoremque, quo me mea peccata suffundunt, hactenus excutere licuit. Tua, Domine, obsecro, gratia mihi laboranti succurrat. Serpunt latius in dies ulcera mea; pie Medice, ne, quæso, tuæ te tædeat artis, dehiscentes in frusta marcidas medicare carnes, tu, qui in morbosorum curam continenter insistis. Me mea fefellit opinio, dum obtensa recti specie, interim peccare suasit, et cupiditatibus obsequi meis, rejecta in seros annos pœnitentia : quæso, precorque, Domine, da, quod rogo; prælerfluit ecce ætas, perque singula momenta spatia vitæ contrahuntur meæ,

en facta transacta omnia præter pœnitentiam, ignosce, quæso, proh quam male, quam perverse meo sum functus officio ! noctes decurrunt ac dies, cursuque suo me ad interitum rapiunt, vitæ breviantur tempora, peccatorum cumulus haudquaquam minuitur. Da interim, Domine mihi fatigari utile labori, et destinata exercendæ virtuti tempora cum quæstu transigere; proposueram mihi hesterno die pœnitentiæ me dedere, occidit dies, pœnitentia nulla fuit; unicum jam mihi superest perfugium, id est humilis precatio; hanc tu, Domine redde mihi. Dies me hinc decessum maturare cogunt; obstant peccata viæ impedimenta meæ; tu, Domine, offendicula tolle, ut per semitam tuam expeditus incedam : quotquot mihi hactenus defluxere dies, damna deputo mea, reparanda hæc forent præsentis temporis lucris; sed quo pacto id exequar non expedio, nisi tu, Domine, qui vitæ mihi spatium concedis, fructuosam et utilem ejusdem usuram adjicias: inconstantiæ piget me meæ, multa quotidie mihi agenda propono, proposita nunquam perficio : magna promitto, magnis promissis nec parva facta respondent, pie Domine, miserare quem pudet impudentiæ suæ.

IV. Ehodum tempus vitæ meæ quorsum properas? quin ante doces, quamnam malis meis adhibeam medicinam? Tu, Domine, cujus providentia clavum universi regit, rebus prospicito meis, lacrymas oculis infunde meis uberiores, quibus sensuum meorum abstergam labes : mei miserere, precor, quia ad te confugi, vota mea suscipe placidus et clemens, meisque lacrymis tua remollescat ira, tua me sospitet pietas et præstet incolumem.

V. Me mea opportune monet inclinata ætas, ut supplicibus et multis precibus te mihi propitiare studeam, atque tuam ante obitum pacem exorem. Ohe, anima, jam delirare desine, satis insaniisti, quæ magnam imaginem tibi

primitus impressam excidere passa fuisti, resipisce aliquando tandem, et considera in quantam inde veneris contemptionem, ut subesse sensibus delicias putes : tuam, Domine, obtestor sempiternam clementiam, adesto, afflictum releva, measque medicare plagas; etsi plurimæ sunt, plurimæ item suppetunt tibi ad reparandam mihi sanitatem opes, nec ego quam solvam præstitæ operæ mercedem habeo, nec tu nostris indiges subsidiis; cum ditissimus sis, tibi grave esse non potest meæ consulere paupertati. Lutum mea mihi allevere facinora, inde graviter olere cœpi, tu, a quo rebus suavis aspirat sanctitatis odor, tuo me inodora balsamo; sacro lavacro meas, Domine, eluisti labes; ego vero in ejusdem luti volutabrum revolutus sum plurimis obstructus noxis : acceptam in baptismate venustatem mihi restitue, precor. Peccatores perire non sustines, perditos reducere studes, tua hæc benignitas me revocet errantem, de salute quippe dimico.

VI. Quis te, Domine, ad nos demisit? quis tibi persuasit crucis subire tormentum. Crux, cruciatus, labores pro mea salute exhausti satis declarant quantopere me amaveris; ut amissam mihi vitam reparares, clavis confixus es, spineam coronam gestasti, ut me sospitem haberes, et perditum me recuperares: sustine me, ne iterum in illud, unde evasi, relabar malum. Non novam tibi commiserationem creant, ut repellantur, quas fundimus, preces, et pacem, quam petebant, non impetrent; supplicibus quippe reis parcere tuum semper fuit : impiatos expiare tibi ingenuum est; sic soles, consuetudo tua tibi lex est, imperat illa, miserare reos, huic precor, obsequere, meque noxium absolve.

VII. Talia multa fecisti, plura tibi etiam adhuc occurrent facienda; vulneribus interim medere meis, quoniam te semper in mente habui : suscipe placatus, quæ tibi fero

dona; excitant nempe judicum commiserationem munera, et ad indulgentiam facile flectunt: lacrymas misericordiæ tuæ exhibeo, exorabunt justitiam tuam humiles preces, parcere noxiis, et reos malefacta dolentes fovere, tuum semper fuit; afflictum supplicem me ne, quæso, repellas, sed meis depromito malis de tua myrotheca medicinam. Oro, Domine, ne, quod postulo, mihi neges, ne forte meus inimicus meam in te fiduciam irridens, illa mihi regerat: « Heus tu! quid tibi profuit tuis Judicem fatigasse precibus? » Erubescat invidus, te meam miserante conditionem, meaque dimittente peccata: ne, quæso, instante tentatione, me deseras, stansque a longe, cum adversario luctantem spectes otiosus: tu pro me dimica, victoremque, debellato hoste, reducito: preces meas exaudi, quia pater misericors es, et quia pius judex es, supplicem absolve reum: salvum et sospitem præsta me, quia in tua bonitate et clementia omnem rationem salutis repono meæ.

VIII. Succurre mihi, clamat anima suorum conscia malorum, Deus et judex meus. Heu iniquo judicio opprimor! Tu, qui injuste oppressos vindicas et relevas, oppressionem clientis tui ne, quæso, dissimules. Januam tuam indica mihi, ut pulsem; misericordiam tuam ostende mihi, ut ad eam confugiam; quippe quæ reorum sua maleficia damnantium causam defendere consuevit: tuis, pie Pastor, gestio ferri humeris, quibus errantes oves sustollere soles; quin in me perdito ejusmodi probas curam, ut ad lætissima prata tu me reducas per anfractus et salebras huc usque palantem? quin reducem ad gregis tui pascua ducis? acerbo dolore me mea lancinat iniquitas, vulnus tua obliget misericordia, donec cicatricem obducat. Quisquis porro resipuit, et peccasse se dolet, te, Domine, laudet, gratiam tuam adeptus, et tuam reconciliatus domum; hæc scilicet laus tua semper erit, suorum maleficiorum pœnitentes diligere.

PARÆNESIS VIII.

I. Callidus hostis me vehementer pessumdat, fer opem, qui fortiter dimicantibus propitius ades Deus. Cêcidi infelix, meum, oro, miserare casum, et afflictum subleva; insomnis ille semper excubat paratus ad pugnam, nunquam arma deponit. Tuo nihilominus præsidio fultus, confido ejus audaciam ocius infractum iri. Statis de more precibus nuper vacabam, cum ille turbulentis suggestionibus precantem adortus, velut concitatis fluctibus mentem meam in aversos et contrarios cursus rapuit. Tu, Domine, qui es semper idem, semper ipse sempiternum agens otium, præsta mihi tranquille et placite vitam traducere, ut uno isto, quem habeo, animo nihil velim, nisi de te cogitare, te, inquam, summe Pater, una cum Filio ex te genito, et Spiritu sancto laudare.

II. Infelix anima, quam diabolus captivam abduxit, siccine per salebras et anfractus palabunda vagaris? nec te tuæ dementiæ pudet? Cur veteratoris oppressa dolis gemitus sub corde premis? quin altis clamoribus reposcis opem? me miserum, quem vicina mors urget, et velut alta in hyeme frugum inopia premit; tu, Domine, tuis mihi succurre auxiliis, et fugientem retineto animam, ut reparatis viribus, mortem me tua gratia evasisse prædicem; procubuera vires, et quidquid vitæ naturæque mihi fuit, defluxit; interim me mea peccata ad Judicis tribunal tendentem præverterunt. Imbecillitatem meam, misericors Deus, considera, et miserare. Quid enim? num non pro me sempiternam pœnam commerito Virginis in utero clausus jacere voluisti? Quis te in crucem sustulit, annon peccata mea?

Hæc tui in me amoris documenta tuam erga me tot periculis cinctum excitare debent commiserationem : mei causa flagellis cæsus fuisti; et quia me amasti, sepulcri squalorem minime horruisti, quæ cum pro me facta transacta sint omnia, actis insiste tuis, precor ; neve me damnare velis, ut reus mihi debitas subeam pœnas : quam dederas mihi, substantiæ conservandæ nulla cura fuit, damna ipse mea voluntate quæsivi : resipiscentium spes unica, ne me nequissimum abjicias : clavis dextera confixa est tua pro mea, quam ad carpendum vetitum pomum porrexi : tu corporis gratia ignosce mihi multis contaminato flagitiis, ut aliquando tandem revicturus, te lætus revisam : nulla mihi salutis cura, nullus amor vitæ, membra detrivi mea, et caput atra obnupsi veste; nulla mihi pœnitentia suppetit meis opponenda noxis; tuæ misericordiæ confido et supplico, ne me a tuo conspectu prohibeas, qui perditorum hominum ad cor redeuntium spes et salus es.

PARÆNESIS IX.

I. Quo nos ab interitu liberares, tua te pietas nostris appulit oris; nostris suetus mederi malis, meas, oro, medicare plagas ; in singulos quippe dies longius proserpunt et crescunt ; ne notis meis fabula fiam, in te namque mea spes omnis residet. Magne Deus, cujus nutu atque consilio geruntur et providentur omnia, gratiæ tuæ rore perfunde me, labes terge meas : incubuere mihi decumani fluctus meis concitati noxis; vitiis obruor ipse meis; perituro porrige manum ; suis me mundus a recta abstraxit blanditiis, et quominus cœptam virtutis persequerer viam, dura strinxit

compede, rerum caducarum amore ante cæcatum; omnis exinde resedit cura salutis, incessitque languor et otium, quod omnes vitæ meæ dies perdidit. Heu qualis mihi paratur rogus!

II. Quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam, miser? vestris, oro, fratres, succurrite precibus et lacrymis. Mercenarius conductus mercedem præstitæ operæ decoxi, abstulit etiam vestes latro. Totus tremo horreoque, quorsum id evadat? Regni tui institutus hæres delata hæreditate diaboli arte excidi, alto tractus in præceps gradu. Cœlesti imbre, quo animos ægritudine defectos recreare soles, me, precor, inspergito pessime affectum, postquam perduellis ille veterator me meo statu dejectum graviorum calamitatum metu me cruciat. Ex quo certior factus sum appropinquare diem, in qua Sanctis tuis mercedem laborum es repensurus, continua mentem anxiam sollicitat cura, ut votis et precibus tuum antevertam judicium, ac supplex et humilis tuam exorem clementiam, ut Justos remuneraturus mei licet immerentis memineris.

III. Qui porro sceleratos tum obruet dolor, adeo gravis erit, animoque ita penitus infixus, ut nulla vi rationum, nulla temporum intercapedine unquam evellendus sit; incisa quippe omni salutis spe, tartari claudentur nullo unquam tempore reserandæ fores. Quid ego tunc tandem consilii capiam? aut quo me vertam, quando omnia publicabuntur mala facinora, quibus concussa mens, quæ stare debebat recta, dementi sese ruina deflexit, datamque vitæ usuram dedecoravit. Siccine inter tot pericula stertis, anima, maleficiorum oblita tuorum, concessumque tibi ad utilem laborem tempus futili otio perdis? Quid cessas, misera, tuæ immemor salutis? cur oblatam curandæ rei tuæ occasionem et spem aspernaris et negligis? O me infelicem, qui thesauros iræ peccando mihi condidi, pro quibus heu

quam acerbæ solvendæ mihi reservantur pœnæ! Hei mihi, qui te tantopere exacerbavi! Here pie, succurre servo suis perdito peccatis. Aperi misericordiæ tuæ thesaurum, quia pius es, opprimentem me morbum depellito, et quandoquidem jamdiu me castigare non desistis, gratiæ jam dato locum. Crux tua, Domine, vulnera membris meis illata sanare potest, qua medente nullus ægrotus sanitatem desperare debet. Premit jam me senior ætas, finem rebus prope factura meis, et ipsum me in atram detrusura scrobem. Tu autem, Domine, quæso, meam miserare cladem, ut tua gratia inde relevatus ad celebrandas laudes tuas resurgam; nullus dubito quin, quod opto, feram, si qua erga peccatores uteris clementia, hanc jam mihi adhibeas, et porrigas auxiliatricem dexteram. Vereor tamen, ne illa me forte destituat, commeritis mactandum suppliciis, ut meo exemplo sua jura firmet, ne quisquam in posterum peccare audeat. At hoc de te suspicari tua acta vetant; quid enim? num tu me extinctum magno utique miraculo non resuscitasti, et eversam spem mihi cum fœnore restituisti? Ego vero quas tibi rependam gratias, quem novi sempiternum, verum et summum bonum, postquam sic nos amasti, ut te non indignum putaveris pro nobis mortem oppetere, quo nos reparares perditos, et ad summi veri cognitionem ab inolito errore revocares? At sine me id unum adhuc exorare te, ut, quoniam me tantis cumulasti tua charitate bonis, tuo item pio adventu præstes quantumlibet immerenti, ut abscissa mihi denuo revirescat beatæ vitæ spes. Diabolum a me tua cruce repulisti, peccata mea tua etiam clementia dimitte; tuum est præstare utrumque.

IV. Suam summus Pater miseratus imaginem, humano generi te dedit Salvatorem, tanta, quæsumus, charitas salutis nobis causa fiat. Enimvero si a te abesse clementia dicatur, cui illam adesse credamus? ea autem remota, qui-

bus victimis nostrum piabitur crimen? tuum nempe est nostras expiare noxas, tuumque est nobis dare et propagare vitam, nosque nostris sceleribus labefactatos reparare, cujus ope afflicti, prostrati quique in spem pristini status reviviscunt; criminum meorum multitudine opprimor, adeo ut erubescam Judicis implorare clementiam; at ut nostris apta malis pharmaca componere potens, meas curato plagas: obsecro te, qui animas diligis, ne nos Invido tradas, unde partam ille tua gratia nobis salutem audacter traducat, et jactet fabulam esse et merum commentum. Quin ergo proterviam ejus tua in me pietate compescis, suscepta meæ salutis cura? Nec enim ignoras, qui abdita retrusa scrutaris, ingenitam mihi ad vitium propensionem, tui, precor, Spiritus illapsu vitam per peccatum perditam restitue. Pacem tuam expectant peccatores, quos nefariæ cupiditates huc usque jactarunt; ut ignoscas supplicibus, oramus, et præstes, ut quem sua culpa amisere decorem, tua clementia sibi in supremo mundi die redditum gratulentur. Quis enim salvus meritas evadat pœnas, si a tua justitia districte judicetur eo die, quo acta cogitata nostra appendes in statera; ad nostros, oro, labores tua pietas respiciat, omni severitate remota, ut in spe misericordiæ tuæ ab amittendæ salutis metu respiremus.

V. Callidus venator plurimos nobis obtendit laqueos, ecquis se evasurum confidat? Tu, Domine, victoriam dabis, quam imbellis natura negat; animus quippe libidinibus inflammatus ac furens ad vitium semper rapitur; obsecro, Domine, ne tua in nos ad meritum animadvertat justitia. Concessa nobis arbitrii potestas ecce languet; idcirco vitia in nostra sese certatim infudere membra; o qui potis es de nostra triumphare nequitia, hanc nobis dominari ne, quæso, permittas. Bellum milites exercet, et aptat ad pugnam, victores coronat; nos autem militiæ labores

fugimus, nec ulla victoriæ nos angit cura; idcirco victi sumus, victis ignosce propitius; magnum profecto decus est militum, qui, debellato hoste, coronam adepti sunt; at si illos ex merito coronare debes, me certe ex gratia servare potes. Laudem et gloriam tibi debemus, cujus in genus nostrum charitatem satis mirari non possumus, eo quod repositos habes in thesauris tuis omnes juvandi modos, remissionemque peccatorum, et admirabilem erga peccatores misericordiam. Patrem idcirco laudamus, a quo ad nostram salutem missus fuisti, Domine clementissime; tuum jamdiu adventum opperior, dignare me tibi venienti accurrere, tuaque misericordia indignum non inveniri.

PARÆNESIS X.

I. Deus, qui cœlo delapsus, homo factus es, ut divinam cum hominibus participares vitam, ne avertas faciem tuam a nobis, ut nullo unquam tempore dispereamus. Tuis peccatores adhærent foribus, ut inde delictorum veniam consequantur, ne, precor, tristis cogar abs te discedere. Ærarium tuum opis maxime indigentibus copias diffundit suas : ecce fores ejus obsident indigentes : subveniant nobis gratia et miserationes tuæ; sciens volensque reus factus sum, fateor, nec invitus peccavi, nisi meis ut cupiditatibus indulgerem; meam respice imbecillitatem, et parce mihi, Salvator meus optime : peccata mea tibi aperta et conspicua sunt omnia : misericordia, Domine, et clementia mihi subveniat tua. Eligendi quidquid vellem potestate abs te accepta, adversus vitium mihi fortiter in acie standum, ac strenue dimicandum erat, atque vincendum. Decertavi qui-

dem, sed exitum certamen habuit infelicem. Restat, ut pœnam deprecer, cum præmium petere victo non liceat; mea videlicet delicta mihi præripuere coronam. Clementia tua, Domine, ex igne me vindicet sempiterno, quoniam mea memet ignavia præmio indignum fecit. Tibi imprimis decorum est parcere peccatoribus, nec minus pulchre facis, dum beneficia in eosdem auges, atque miserationes. Sic plane fit, ut ab utraque parte magnitudo tua ample et magnifice prædicetur.

II. Insanabili ægritudine impii contabescent, et scelerum suorum recordatione misere cruciabuntur; cum contra Justi incredibili voluptatis gaudio triumphabunt, suis jam coronis in perpetuum decorati. O me miserum, quem post actam in supervacuis laboribus vitam inevitabilis hinc ejiciet mors! Eheu qualis, quam acerbus me excipiet dolor, tot malorum concursu labefactatum atque convulsum! Atqui nec immeritus id patiar. Sum reus, scilicet nusquam volui a vitiis abstinere; ideo a proposita felicitate excidi, meisque cupiditatibus raptus, in tenebricosissimum carcerem præceps abii. Prodibunt atque erumpent ex me in die judicii peccata tanquam ulcera membris inusta meis; quæ nimirum seminavi, hæc et metam. Tu vero, Domine, cum natura bonus sis, ingenua hac bonitate tua malefactis ignosce meis; cum autem ex te justus sis, laborum cursum emensis pactam mercedem solvito. Utrumque tuum est, et præteritæ operæ præmium reposcentibus reddere, et mihi suppliciter deprecanti pœnæ remissionem indulgere; sic enim vero fiet, ut dum exhaustos pro te labores remuneras, pleno ore lauderis ut Justus; dumque nobis peccata dimittis, te misericordem atque placabilem prædicemus; et mundus uterque, Domine, magnitudinem tuam atque magnificentiam admiretur.

III. Adestedum sodales quicumque me secuti estis er-

rantem, remque mecum vestram sedulo procurate, et cogitationes omnes ad agendam pœnitentiam intendite, ut per eam animæ vestræ criminibus oppressæ, planeque mortuæ reviviscant. Satis, proh pudor! Satis diabolo inservivimus. Dominus, quod posthac nobis decurret, tempus sibi reposcit. Ergo dum ille miserationum suarum nobis aditum patefacit, utique cunctandum non est; præsertim cum rei exitus ab occasione pendeat perbrevi sane tempore definita. Imminet ecce dies, cum ad cœleste regnum vocati congregabuntur. His porro introductis, quisquis foris remanserit, sublata spe assequendi, quem olim sibi oblatum contempsit, aditum, propriæ negligentiæ illum nunquam non pœnitebit. Illius porta modo neminem excludit. Heus, peccatores, huc certatim accurrite, apertas occupate fores, saluti vestræ consulite; bonus quippe Deus peculiari benevolentia et gaudio complectitur peccatores sua malefacta dolentes.

IV. Cæterum dum seram sepulcri obductam videmus, et nos apertum misericordiæ ostium ad ingressum sollicitat, omnem, fratres, industriam, studiumque ad nostra curanda ulcera conferamus. Etenim Deus peccata ante pœnitentiam commissa nemini objectat; quandoquidem nec illi juveni patrimonii decoctori præteritæ vitæ acta exprobravit, nec arguit, quod impure intemperanterque vixisset, sed revertentem ipse prævenit, effusoque sinu excepit, et amantissime complexus est. Satagebat nimirum, ut in illo uno omnes peccatores sui in ipsos amoris expressam imaginem recognoscerent. Gloria illi, qui nostras prævidens iniquitates, simul nobis providit aptissimum ad valetudinem reparandam pharmacum, pœnitentiam videlicet, ægritudinum, quibus laborare solemus, generale remedium. Maxima gratiarum actio agenda est illi, qui, ut scriptum est, de nostro reditu mirifice lætatur, adeo ut An-

gelos suos eamdem lætitiam communem secum habere velit. Mirum enim quam ægre ferat imaginem sibi perire suam; suarum siquidem manuum opus majorem in modum diligit, ut nec sceleratis et perditis, modo sua mala facta damnent, dexteram porrigere, et opem ferre recuset. Agite jam, fratres, forti estote animo, nihilque vobis ad celeritatem reliquum facite, ut paratum perfugium quam studiosissime occupetis.

V. Quem credam nobis Dominum obtingere posse tui similem, qui, quod ipse facis, difficiles et fastidiosos mores nostros patienter ferat, qui nostros excuset errores? Omnem profecto admirationem vincit, quod cum tibi ante oculos omnium hominum obversetur iniquitas, non ideo tamen mundum tua cura destituis, nec acceptas ab eodem injurias persequeris : ea est tua in nos benignitas, amor, et longanimitas. Ecquis autem meritas tuæ bonitati gratias habere, quisve agere valeat, quod pro nobis mortem subieris? Scilicet, ut mihi nocenti servo vitam assereres. Vitæ tuæ meam antetulisti, mortuus es, ne ego morerer. Te nobis Genitor dedit, eo quod aliquid te majus non haberet, quod nobis daret; talem Patrem, qui te generi nostro impertivit, quis satis pro officio laudare potest? Quid est, quod adhuc torpescitis, peccatores? Quin conferto agmine procurritis ad januam pii Salvatoris, qui ut nobis vitam impertiret, mortem pro nobis subire non dubitavit? Animadvertitis, opinor, quantopere nostrum reditum cupiat, quanto studio requirat perditos, quanta denique benignitate excipiat venientes. Te igitur obsecro obtestorque, Salvator optime, ut quantocius nos ad gregem tuum revocare ne dedigneris.

VI. Næ ille beatus est, qui ab externis rebus animum et cogitationem evocavit, sibique uni vacare doctus, dies in dolore et luctu traducit suos. Sapientem assidua fati

gant suspiria, cui crucis semita duntaxat sapit, præterea nihil. Optimus quippe vir perpetuis in hoc mundo exerceri calamitatibus cupit, ut post hujus vitæ ærumnas, ei perenni beatitudine respirare contingat, « Cor sapientium, ubi tris» titia est, et cor stultorum, ubi lætitia [1]. » Qui diligit mundum, is mundum fastidire non potest. Sapientes, qui seipsos noverunt, mundum odere, quia deprehendere mendacem, et ideo corda ipsorum in tristitia sunt; quia porro risum reputarunt errorem, et mundi oblectamenta fugerunt, ideo paradisi felicitas et gaudium, tanquam laborum merces, ipsis rependitur. Quam oppido infelicem illum dicam, qui ad lugendum appulerit? Heu quantus miserum dentium quassabit stridor! Quantus præcordia, tormentorum vi cogente, fatigabit clamor! Plane erat, fratres, qui beatam sibi vitam in utroque sæculo promittit; lætos quippe hujus vitæ dies luctus post obitum excipit. Et sane nec justum, nec æquum est, ut hominem laboribus ærumnisque exercitum, mox fletus ac tormenta sequantur; nobis propterea significavit Salvator futurum, ut qui hic rident, illic fleant, et qui hic saturantur, illic esuriant. Beatus, qui hic tantisper luget; evanescet quippe luctus ejus, perinde ac si non esset, lætabiturque in felicitate ac bonis, quæ nunquam deficient.

PARÆNESIS XI.

I. Quid longius, infelix anima, protrahis pœnitentiam? Appropinquat judicium, meosque ignis opperitur artus. Per omnes vitæ meæ annos procellosum scelerum sulcavi mare,

[1] Eccl. VII, 5.

nec unquam meos flevi errores. Quid? si cunctantem subita mors opprimat? Diabolus suis me dolis ad consectandas inhonestas voluptates pertraxit, mox etiam præcipitavit. Me miserum! Quid mihi modo agendum? Æquissime Judex, confunde, precor, improbum inimicum, qui mihi pœnitentiam cogitanti laqueos obtendit. Tu fer opem misero, qui spem dedisti: tu mecum utere virtute tua, votisque id meis tribue, quod enixe flagito, vel potius precibus omnibus et obtestor, et obsecro, si propitius annueris, surgam illico, et convalescam; fraudes hostis eludam, frustrabo minas, laqueosque et vincula, quibus teneor, a vita, a capite propulsabo. Eheu quam acerbam dolorum molem mihi intentatam sentio, et paratam in diem illum, cum severissimi Judicis personam sustinens, omnium preces ab accessu, et tribunali excludes tuo, ac de improborum criminibus sententiam feres, nulla unquam vel temporum diuturnitate, vel clementiæ magnitudine deliniendam! Nunc cum adhuc superest misericordiæ locus, mihi nunc adsis, oro, ne coram Angelorum choris ignominia olim, et suppliciis afficiat sempiternis.

II. Expavesce anima et contremisce, supplexque ad pedes Domini procumbens, dicito: «Ignosce, quæso, ignosce mihi, Salvator meus, et lapsam erige, et erectam confirma. Erravi, temere feci, veniam a te deposcere vix plane audeo, ac ne vix quidem. Singularis illa, cui nulla potest inveniri oratio par, illa, illa, Domine, clementia tua a gehenna me salvam faciat. En jam exoritur et illucescit Justis etiam metuendus dies Domini, cujus in occursum a mortuis excitati jam Sancti prodeunt, ardentes singuli præferentes lampades; ego vero tetra undequaque caligine et nocte obrutus, nec, quo me vertam, scio, nec oleum habeo, quo lampas ardeat. Quid miser consilii capiam? Aut quomodo venienti Sponso occurram? Judex supra fi-

dem justitia præstat, nec reos ex vultu æstimat, sed suum reddet cuique jus secundum opera, quæ patravit. Ego autem conscientia territus, quo confugiam? Quid agam non unius maleficii reus? Quis me tali judicio sistendum absolvet? Quis impunitum reddet, ac liberum? Enimvero ut venit ad aures appropinquare judicium, vix apud me præ verecundia fui, exhorrui animo, ac mente prope attonitus hæsi haud ignarus, quale incendium impios sit excepturum. Illam utique, Deus bone, qua cum peccatoribus misericordia uteris, mecum pariter adhibeto, et laudum tuarum habebis præconem, quando advenerit, qui nos in luce reponat, dies, et regni tui amplitudo, quam late pateat, apparebit. Crux tua comes mihi aderit auspicatissima, fretum illud horrendum trajicere molienti, dissipataque tenebrarum acie, ad cœlestes beatorum sedes aditum mihi aperiet, quo si semel introductus fuero, tum gaudiis exultabo, et benevolentiam in me tuam summis perpetuo laudibus prædicabo. Deus imprimis misericors, ne me, quæso, existimes infra mortuos amandandum, quippe quem tuo corpore pavisti, et sanguine potasti tuo; tuum, obsecro, corpus me mundet, et sanguis tuus aspersas mihi labes detergat, et ipse e tenebris ad vitam revocatus, tuorum in me beneficiorum nunquam non memor ero, atque ita quidem, ut in gratiis habendis, ac laudibus persolvendis vix eorum concedam nemini, quorum in æternitate memoria est.

III. Sed eheu me miserum! Qui adolescentiam in luxuria et ignavia trivi voluptatibus delinitus, et fallacis hujusce sæculi illecebris captus, nec aliquando mihi venit in mentem cunctis pertimescenda dies, quæ me e sepulcro evocabit. Quis meæ tunc inopiæ ac solitudini præsto erit in regione illa horrida, et periculorum plena, ubi nihil proderunt generis nobilitas, aut familiæ decus, aut divi-

tiarum copia, ubi fratrem frater non redimet, nec quisquam, ut scriptum est, judicium effugiet[1]? Nullas mihi a juventute mea ex piis operibus paravi alas, nec lectis undecumque pennis eas composui, quarum præsidio fretus generosæ instar volucris ad te properem, et in tuo ore, in tuis oculis feliciter conquiescam. Quid agam, qui cogar flammarum freta transmittere? Quomodo incolumis ab iis potero tam infestis fluctibus et procellis evadere? Interloquente tunc Judice, trepidabunt Angeli: agmina ignis et spiritus contremiscent. Quis mihi tunc animus? Quæ mea mens? Qui oculi? Quid sentiam? quid dicam, cum de occultis delictis palam interpellabor?

PARÆNESIS XII.

I. Qui peccatores eximia charitate complecteris, suscipe me, quæso, reum, inque tuas exceptum sedes, micis e tua mensa cadentibus reficito. Nec committas, ut cum sceleratis in tenebras ad lævam abactus male dispercam, nec turpitudinem et nequitiam imbecillitatis meæ respiciat justitia tua in illo die, qui vel exitum, vel salutem offeret immortalem. Gaudium mundi labor est et dolor: infelicissimus quicumque illius specie capitur, aut fraudibus irretitur; ut navim fluctus exagitant, sic meam miseriæ et ærumnæ obruunt vitam, cum depravato cupiditatum impetu in mundi servitutem addicor. Navigium, quæso, nostrum tu, Domine, guberna, et ad portum appellito magno illo die, qui ab improbis pœnam exiget nullis temporum finibus circumscribendam. Compertum habeo, planeque te-

[1] Rom. II, 3.

neo, tibi esse in deliciis atque in amoribus peccatorem, cum ad pœnitentiam accedit, lacrymasque et suspiria ex intimo animi dolore trahens, his tecum vocibus supplex agit. Eripe me, Domine, ab igne, obsecro te, suscipe lacrymas imbecillitatis meæ; nam si mea voluntate peccavi, mea item voluntate peccasse doleo, et erubesco.

II. Agedum, peccator, accede ad fores, quæ, ut excipiaris panduntur, lacrymas Domino pro hostia afferto, et supplex ad ipsum veni; dona ille non exigit, nec ab externa specie quemquam dijudicat, et misericors enim est, et peccatoribus non modo liberationem culpæ, sed errati veniam impertitur.

PARÆNESIS XIII.

I. Fratres charissimi, mihi illacrymate Apostolo, qui Christum meorum gravitate scelerum ad iracundiam provocavi. Ille ut sapientissimus rerum Opifex et ex nihilo me in lucem edidit, et liberi arbitrii potestate ornavit. Ego certe ingratus fui, quando malis meis facinoribus injuriam ei pro gratia reposui. In terra Sanctorum me parens optimus collocavit, ut apud illum, instar Angeli, ministerium obirem; ego vero non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens, cum nobili Angelorum ministerio fungi deberem, perduellibus spiritibus operam meam locavi, mœrorem inde, et luctum meæ juventuti perpetuum relaturus. Summus rerum Dominus ac moderator Deus, vas perfectum et ornatissimum, me ad suum usum, et nominis sui laudem efformaverat, ego vero per impudentiam singularem, in vasa peccati facultates sensusque meos con-

verti, iisque admisi scelera incredibilia et maxima. Væ mihi, cum furiis domesticis exagitatus ad tribunal Domini apparebo severissime judicandus?

II. Anteacta jam vita in ipso judicii vestibulo me prævertet, multorum me criminum postulatura reum. Tu salutis auctor meæ sub umbra alarum tuarum me protegere ne graveris, nec flagitia, quæso, labesque meas palam declarari sinas; sic me gratissimum laudum tuarum præconem in perpetuum habebis. Quia coram Domino, cujus aspectum fugere nemo potest, quamplurima perpetravi nefarie, nec piorum mores studui pro virili æmulari et colere, ideo divina in me iracundia concitata ab optabili illo beatorum consortio sum infelicissime segregatus. Me miserum! Disperii. Merito me nunc miseriæ premunt. Si illis pugnantibus non me pugnæ subduxissem, et ipse quidem victor ex acie rediissem. Sed cum maluerim diffluere mollitie, et delicate ac molliter vivere, quam parce, continenter, severe, sobrie, nunc tanquam inutilis ad pugnam miles ab eorum cœtu divellor, quorum non egregia sum opera imitatus. Innocens Salvator meus, qui cruci affixus peccatores ultro invitasti ad gratiam, mea, obsecro, delere peccata velis, et vulneribus meis salutarem parare tuo sanguine medicinam, ut nunquam de pietatis tuæ laudibus conticescam. Si, Domine, aspectum tuum in criminum meorum nubem convertas, hæc statim utique evanescet, et per viam mandatorum tuorum, dissipata errorum caligine, lætus incedam ad eam, quam me sperare jubes, felicitatem.

III. Deus optime, cujus clementia omnium mortalium nequitiam antecellit, tuo me patrocinio ac misericordia jacentem subleva et confirma; nam ægritudo, et morbus ex peccatis contractus incredibiliter vires attrivit meas. Tua, Domine, benignitate ac potentia omnis spes mea nititur,

tu me recrea. Horreo, prospectans igneum illud fretum, quod sui conscium, et iniquitatum memorem vehementissime exagitat. Fili Dei vivi, crux tua me vadum molientem dirigat, ac sustineat, hebescant flammæ ad contactum corporis et sanguinis tui, et auxilium imploranti feliciter per te liceat, a gehenna evadere: dolores et morbos velut arrhabonem pœnarum deputo, quas mihi comminatus es nunquam finiendas, adeo persuasus sum, fore ut quemadmodum hic me pravæ corporis animæque affectiones cruciant, sic mea me flagitia post obitum in immania tormentorum genera conjiciant.

IV. Christe parens omnium amantissime, esto mihi tot in angustiis salutis portus et perfugium, ac tutela certissima. Ex hac die te supplex obsecro, ut ostendas misericordiam in me tuam, meque ab eorum colluvie segreges, quibus vindices parantur pœnæ. Cui pro nobis hostiam temetipsum offerre non dubitasti, tu amor cordium nostrorum Jesu, meam apud illum nunc causam suscipe, et dissimulata paulisper maxima, quam merito in me conceperas, indignatione, id oculis effice et conspectu tuo, ut diaboli audacia visque frangatur, et effusæ ab illo tenebræ tuo adveniente lumine dissipentur. Quod si infernus ignis mea corripere membra et inflammare tentaverit, utpote multis inquinata flagitiis, tuo, Domine, nutu increpitus, tum infuso mihi rore aspersus hebescat, precor, ut sicut olim babylonica fornax tres pueros nomen tuum invocantes lædere non ausa fuit, sic auspicio tuo horribiles illi flammarum vortices me impunitum sinant, ac liberum.

V. Diabolus pestis omnium teterrima suo me veneno infecit, præcipitemque ad flagitium traxit, depravavitque. Attamen cum ego tuis vestigiis insistere sim paratus, tibique summa liberationis meæ potestas sit, confido a tua potentia infirmitati meæ subventum iri, teque illum acer-

rime increpante, me veniam et gratiam asseculurum; ipsum autem, qui animum meosque corrupit mores, ignominia et dedecore obruendum. Iniquitatis principes suis me cupiditatibus pessumdedere, et juventutis meæ pulchritudinem dolo malo quam turpissime depravarunt. Pudicitiam perdidi. Me miserum! Quid agam? Pristinam ut restituas, Salvator optime, innocentiam, obsecro, atque ut proditorum in arrogantiam severissime animadvertas. O quam mira, fratres, formæ dignitate præstat pura et integra juventus! Qantum illa sibi conciliat amorem, si pulcherrima virginitatis species frontem ejus exornat! At enimvero si cui præclarissimus hic thesaurus ereptus fuerit, uno eodemque casu, quæ ipsum laudibus efferebat, eximia oris venustas, vultusque dignitas quoque concidat necesse est.

VI. Age vero Salvatoris vocem audire videor, et me quidem suos in amplexus amantissime compellantis: «Macte, ait, virtute esto, et animum ne despondeas.» Adsum ego reparator salutis tuæ, rerumque tuorum incrementum maximum: meus es, non ego despiciam nec repudiabo, quem servitute mea ab immanissima dæmonum tyrannide vindicavi, tibi pacem afferam, tranquillitatem, otium, securitatem; quantum poteris, vocem contende, ut divinam Patris tui misericordiam implores, quæ miseris et egentibus occurrere ipsa solet nullius oratione evocata; placabilis enim Deus est ac mitis: resipiscentes diligit peccatores: teque, si redieris, ipse prævertet, habitabit in te, victimam mactabit, stola te induet candida, tibique de tuo reditu mirifice gratulabitur.

VII. Virginitatis conscius meæ quondam frontem explicui, extulique caput, depressit utrumque diabolus, cum ante otio et languore animum depravasset meum, et morum innocentiam corrupisset. Itaque suis execrandus ille

veterator me circumventum dolis gemma solis luce præstantiori despoliavit. Heu qualem infelix jacturam feci !

VIII. Multa, magna atque præclara sunt ornamenta virtutum, sed inter cætera virginitas quidem prope suo jure sibi vindicat principatum, cujus ab augustissimo solio si cecideris, alter tibi se offert gradus, quem plerique Sanctorum tenuerunt : illuc tibi enitendum est, quo si evaseris, minime a Virginum numero segregaberis, sed fies ejusdem felicitatis et gloriæ compos. Interim vero laudet te, Domine, anima mea, quam, cum diabolus perdidisset, tu ad salutem mirabiliter reduxisti. Laudent te iterum sensus et cogitationes meæ, quibus munificentiæ tuæ donis amissam reparasti integritatem et elegantiam, quæ ut habeat in me sedem stabilem, ac domicilium certum, deprecatores succurrant mihi cœlestes incolæ ; confido siquidem, ut quem ego ad iram concitavi, ipsi mihi placatum reddant, ab eo recepturi præstiti mihi officii mercedem, unde fiat, ut illorum ordinibus consociatus divinæ beneficentiæ potentiæque laudes persolvam. At tu, magne Deus, perditum me, quæso, requirito; inventum, ad caulam reducito, tu qui ovem per saltus errantem tuis sublatam humeris revexisti. Voca me et redibo, sic enim fiet, Domine, ut gregi tuo adjunctus, tuis aggregatus ovibus, cum iis, quos peccasse sincere pœnituit, totus sim in tuis laudibus celebrandis.

PARÆNESIS XIV.

I. Cum pœnitentia Discipulum, qui Magistrum negaverat, devium et errantem temere offendisset, sic allocuta

est : « Quonam fugis, deserto præceptore, Simon? Quis te receptabit locus? Ecquæ regio latebras petenti dabit? » Cumque ille opponeret culpæ suæ gravitatem, eo quod Dominum suum abnegando alienum ab illo se effecisset, ejusdemque renuntiasse amicitiæ videretur, pœnitentia propius accedens, secreto iterum hæc in Simonis aurem locuta est : « Cavesis ne in flagitio ita obstinatus obdures, ut Christi gratia et amore omnino indignus efficiare. Certa tibi fide promitto fore, ut te resipiscentem effuso ille sinu accipiat, tuoque reditu admodum gaudeat. Quid ergo moraris? Quin modo ipsum adis, memoriaque perpetrati criminis afflictus, ejusdem dimissionem efflagitas? Bone Pastor, dices, de pereuntium salute semper sollicitus, perditam ovem reposcito, inventamque ad gregem tuum reducito. » Deplorandum sane tibi vulnus inflixit iniquitas, cujus si curationem negligas, nulla jam aderit medicinæ faciundæ spes. Præstantissimum habes Medicum. Quid tuam cunctaris aperire plagam? Quin ad ejus januam festinus accedis? Illic casum deplora tuum, et ductis imo ex pectore gemitibus, ipsius captare misericordiam satagito : confide, insanabile vulnus ille sanabit.

II. Talibus pœnitentia dictis Simonis animum perculit et inflammavit; unde præ maxima doloris vi totus repente in suspiria dissolvi, totus abire in lacrymas cœpit, ac tandem in ejusmodi erupit voces : « Eheu! quid volui misero mihi, ut Christi dicerer inimicus? Meorum ille me sodalium principem designaverat, traditisque cœli clavibus, mihi illud aperiendi fecerat potestatem, adjeceratque ligandi et solvendi pontificium. Tantis ego cumulatus donis, quod profiteri maxime debebam, negavi me ejus esse Discipulum. Quid est, quod ad tam nefarium facinus, terra, non trepidas? Miserum me! Quid feci, quasi vero, Christo relicto, alium ei parem nacturus essem? Nunc vero ab eo

vicissim relictus, quo me vertam? Aut quis me suo recipiet tecto? Tuas, oro, fores aperi mihi, bone et suavis Domine, ut in ædes tuas introductus, te videam, tibi adhæream, tuique accessu luminis reviviscam. Quis mihi tam longa dabit vitæ spatia, ut dignas meo casu lacrymas profundam? Ecquid mihi obtigit? Dudum Apostolus eram, modo perfidus ac rebellis dicor, qui ante præfectus domus audiebam, evasi nunc extraneus et hospes.

III. At enimvero quis mihi laboranti succurret medicus? Si Christum deseruero, cuinam gravissimis, quibus conficior, malis opportuna remedia præsto sint, qualia ille semper in promptu habet? Te igitur invoco, ad te confugio, qui quondam ægram mulierem mirum in modum sanasti, nunc animæ, quæso, medere meæ, quæ confecta senio misere contabescit. Alterum me veluti Lazarum excipe, atque ut illi vitam restituisti, ita me morti eripito; illum non pauci præsentes aspexere mortuum, me non item. O qui quidem illum e tumulo tuæ vocis imperio excitavisti, meliorem mihi, precor, hodie largire vitam. Corpus duntaxat Lazari contabuerat, mihi corpus cum anima labefactum et pessumdatum est : utrumque, Domine, optatissima delictorum remissione reficito; opus est tibi obvium minimeque arduum, ac difficile : si tantum innuas, res illico perficietur; quamque unice cupio salutem, consequar numeris omnibus absolutam.

IV. Procellosis maris vorticibus prope haustus te olim invocavi, porrectaque manu periculum discussisti; aliud in continenti longe gravius mihi incumbit malum, perfidia istic enimvero me mersit, et suffocavit; idcirco te etiam atque etiam exoro, ut capitalem hanc a me pestem, et discrimen avertere non dedigneris. Quem supplex adeam, aut quale restat posthac perfugium, si mihi facilem ad te aditum intercludas? Tui similem non habeo defensorem; ne

me, quæso, abjicias, rerum spes unica et tutela certissima. Succurre, precor, opem imploranti, nec velis in clade omnium acerbissima connivere. Quas fudit lacrymas Simon, veridicos intimi doloris testes pœnitentia excepit, et Judici obtulit; has, inquiens, lacrymas tibi mittit peccator Simon; his, precor, vultum hominis delicti veniam petentis graphice expressum cognoscito, unde peccatores discant commissa plangere, et mores suos ad bonam frugem quam studiosissime revocare. Simonis luctus pœnitentibus proponitur velut speculum, in quo inspiciant quid sibi facto sit opus. Quisquis ergo Simonem imitatus est delinquentem, eumdem sua delicta plorantem sequatur. Hoc qui faciet, id enimvero consequetur, ut quemadmodum ille, sic ipse eorum, quos flagitii pœnitet, æmulatione, iterum in gradu pristino divinitus collocetur.

V. « Heu quale mihi incidit malum! clamabat Simon tristia per noctem assidue suspiria renovans. Hoccine est sani hominis factum, ut cum a primo ætatis exordio ad meam usque senectutem vitæ laudabilem tenuerim cursum, collectas inde opes uno die, atque una facinoris admissione decoxerim? Succurre mihi nunc, Domine Deus meus, obsecro te, miserere mei. » Hæc ubi desiit Simon, cum præ lacrymis jam loqui non posset, aliquandiu, ut fit, defixus in cogitatione, conticuit: tum iterum Deum hisce compellat vocibus: Utinam te, Christe occultorum cognitor, nunquam denegassem. Eheu me miserum! qui execrabili perfidia a meo præceptore defeci, inque hostium numerum me contuli, Judam proditorem imitatus! Ad ovile tuum me reducito in devios mundi tramites inconsulto abductum, ducentem celeri pede sequar, vocantem pronis excipiam auribus; ovem illam me deputa, quæso, centesimam, quam pridem deperditam, relicto grege, requisivisti, et in tectum denuo reportasti. Sic plane fiet, ut Gabriel, et om-

nium Angelorum agmina tibi Pastori optimo inventam ovem, ac tuis revectam ad caulas humeris, restitutumque centenarium gregis tui numerum gratulentur.

VI. « Melior est amor tuus vino [1], » et dilectio tua millibus rectorum. Vino tuo benedictionem consecuti sumus, calice tui sanguinis reviximus ; ideo charitatem tuam optimæ quæque animæ laudaverunt. En peccatis meis extinctus oris mei decor, ope pœnitentiæ refloruit, cujus gratia eadem formæ dignitas est restituta, quam mihi baptismus contulerat. Sacris quidem ac lustralibus aquis nativam turpitudinem exueram, eximiamque adeptus fueram venustatem, quam modo auxit pœnitentia, addiditque vestem arte sua elaboratam, et vulneribus in gloriam commutatis, ignominiam atque contemptum novo dignitatis et splendoris accessu magnificentissime compensavit.

PARÆNESIS XV.

I. Oh qualem sapis amaritudinem! Quantas, triste sæculum, curas paris atque sollicitudines ! Quidquid mihi ope tua quæsitum fuit, ecce dilabitur et perit. Hei misero mihi, qui judicii diem jam imminere video, planeque sentio ! Demens lucra putabam, sed detrimenta erant, quæ ex tuis negotiationibus captabam compendia, sero tandem animadverti, ex navata tibi opera, mihi partum dolorem esse intolerabilem, præterea nihil. Me miserum ! jam advenit judicii dies. Ecce ad supplicium rapior et ad tormenta, quorum vim augebit in immensum æternitas : hunc videlicet exitum paravere voluptatum irritamenta, quibus me ad

[1] Cant. 1, 1.

ignaviam et luxuriam provocabas. Hei misero mihi! en advenit judicii dies! Tuis per imprudentiam delinitus illecebris, salutis meæ curam abjeci: ecce ad pœnam reposcor statutam improbis et sceleratis. Hei misero mihi! jam imminet judicii dies! Omnem vitam transegi nihil agendo, et o quale malum manet inertes, quos illa dies deprehendet circa pietatis opera desidentes! Hei misero mihi! en advenit judicii dies! O qualis incumbet metus facinorosis, qui suos in scelere et flagitio trivere dies! Me miserum! jam advenit judicii dies! Reus sum, crimina agnosco mea, et quid agam infelix, non explico, mox Judicis acerbissimo opprimendus adventu? Quin ergo vos beatos prædicem, qui justitiam colitis? At at quantas vobis, iniqui, maleficia vestra procudunt calamitates! Hei misero mihi! en advenit judicii dies!

II. Quid improvidi adhuc otio et ignavia languemus? Jam ecce defluxit ætas, judicium appropinquat, paratur Judicis sedes, designantur justis ejus consessoribus subsellia; ego vero non expedio, quomodo meæ impunitati possim in eo judicio consulere. Me miserum! Jam imminet illa dies. Ecce contrahuntur vitæ meæ spatia; ignosce reo, mitissime Judex. Succensus jam apud inferos ignis sceleratos opperitur. Hei misero mihi! cui judicii dies approperato cursu prope jam imminet, suam cuique mercedem pro merito redditura! Et quidni ego tum tota mente totisque artubus contremiscam, quando Angeli imminentis judicii præcones a Judice missi, vadimonium singulis constituent et sistendi comparendique in judicio designabunt diem, nec poterunt aut ullis leniri precibus, aut lamentationibus expugnari! Hei misero mihi! en advenit judicii dies!

III. Leges tuas, heu infelix! contempsi; quid in exitu meo me manet, nisi furiarum faces, desolatio et vastitas,

quæ impiis parantur? Me miserum! en advenit judicii dies! Pie Domine, in angustiis meis invocavi te, exaudi me quantumvis immerentem, et reum; da mihi, precor, pacem et salutem. Hei misero mihi! jam imminet judicii dies! Eluceat inter nos, quæso, beneficiorum tuorum magnitudo, ac tua mihi pietas oboriatur. Hei misero mihi! jam imminet judicii dies! Quanquam impurus sum, et indignus, qui me tibi orantem ac supplicem sistam, tamen enixe precor, quæsoque, lucem ut præstes mihi per regionem perpetua nocte obrutam iter facturo, indeque ereptum tua me clementia excipiat magno ille die, quo tua se totam prodet claritas et amplitudo. Hei misero mihi, qui judicii præsentio jam imminere diem!

PARÆNESIS XVI.

I. Culpa precibus donatur, cave tamen, ut ante fratrum odia ponas, qui tibi delictorum veniam imploras. Repelluntur sine sale sacrificantes, et sine charitate orantes, cujus est clausa ostia recludere. Tuis ergo victimis salem inspergito, precibusque jungito charitatem; nec enimvero hostia sine sale litat, nec prodest sine charitate oratio. Quisquis a proximo tuo aversus es, Dominum tibi benevolum ac placatum habere non potes. Simultatem cum fratre tuo depone prius, si tibi tui Parentis gratiam conciliare perfecte cupis. Nam si fratrem tuum benigno hic non excipis vultu, nec te Deus optimus sibi loco amici æstimat. Jam si recte sapis, etiam atque etiam cura, ut illum in dissidiis reconcilies, lætifices in mœrore, in ægritudine visites, et in jejunio pascas. Quid plura? In itineribus ei

viam sterne et explana, pedes ejus lava, in triclinio primum accubitum ei concede, frange panem et porrige; imple poculum et propina, nullumque amoris in eum ac benevolentiæ argumentum prætereas, vestigiis Christi inhærens, qui hausit aquam et sacravit, peccatum tuum lavit, corpus suum tibi obtulit, sanguinem miscuit et tradidit.

II. Nos felices peccatores, pro quibus ipsa excubat, vigilatque pietas! Quid igitur? Nonne si ei, cui ipsam animam debemus, unam lacrymulam afferamus, omnia nobis debita condonabit? Ita profecto; nam ipsum audio sollicita voce clamantem, et blande compellantem debitores: syngraphas, ait, simul et lacrymas afferte; præter pœnitentiam non est, quod ultra petam. Videte, ne vos ad judicium properantes debita vestra prævertant. Gratias tibi ago, Deus meus, qui duas tibi composuisti manus, misericordiam et justitiam, ambas protendis super universos; altera castigat, ne perdat: altera fovet, ut servet. Ad decies mille annos desiperes, si tandumdem vita tibi maneret; nec suppetit tibi, quo tot nominibus obstrictus, unum expedire sufficias; quantumcumque laboris et operæ ad id contuleris, usque adeo tua invaluere mala, usque adeo ingrati animi vitio laborasti, et adhuc laboras. Quin ergo Deum optimum admiraris et laudas, qui, ut bonitate sua tuam nequitiam superaret, veniam tibi promisit, usque fidem pollicitus se tibi in triclinio primum accubitum supra tuos sodales daturum, adjecitque tuum item ad ministerium sese assurrecturum, modo te in adventu suo vigilem invenisset?

III. Cognita fatuus Judicis clementia, sua exaggeravit delicta; vidit enim in promptu esse suis vulneribus medicinam, eamque levi labore, nec magno pretio parabilem; ut gratis donari videretur, ideoque suomet corpori haudquaquam pepercit, quin plagis concidendum committeret.

Næ sapiens ille prædicandus, qui etsi certus sit Dei misericordiam sibi peccanti post lapsum nunquam defuturam, nil tamen magis, quam peccatum timet; et quamvis optimam de rebus suis conceptam spem habeat, sic tamen dies noctesque advigilat, perinde ac si vehementer de sua salute ambigeret. Quis hic non laudet supremæ mentis consilium, quæ hominum improborum licentiæ duo repagula opposuit, suaves misericordiæ blanditias, et horrendas vindicis justitiæ minas, ut nimirum illorum ferociam compesceret severitas et metus, quos lenitas et clementia frustra in officio continere tentasset?

IV. Hic porro mirari subit miserandam hominum stupiditatem, quippe qui minime recogitant advigilare sibi non aspectabilem scribam, qui singulorum dicta factaque observat, et in codicem refert constituto judicii die publice recitanda, quasi vero sustinere possent magnæ illius justitiæ in reposcendis rationibus severitatem, aut Judicem fallere, cujus scientiam nec minimus oculorum nutus, nec levis pupillarum motus fugit. Jam et hoc vobis maneat alta mente repositum, ne forte de vestra salute despondeatis, quod etsi magna sit justitiæ severitas, attamen si peccator sua malefacta damnaverit, et unam modo si fuderit lacrymam, cuncta sibi delicta donanda fore. Rursus quo salutarem metum penitus animo hærentem retineatis, etiam hoc mente et cogitatione defigite, quod etsi Dei misericordia pelagus sit nostris peccatis inexhaustum, tamen si delinquentem se dedita opera peccavisse haudquaquam pœniteat, huic neminem in die judicii suffragaturum.

V. Tuam, Domine, sapientiam, cujus nutu atque consilio ista geruntur et providentur omnia, adoro, nec tamen pro officio, aut pro voluntate satis laudare possum, qui geminos hosce fontes maximo nostro bono miscuisti, justitiamque misericordia temperas, unde suavis et benigna est tua

justitia, recta et æquissima tua misericordia. Quî ergo videre sustines lepram, quam ipsi certe videre non possumus usquequaque grassantem? Compleatur in me, quæso, illud oraculum : « Omnis leprosus per legem mundabitur [1]. » Item illud : « Ubi abundavit delictum, superabundavit gra- » tia [2]. » Et quoniam sævam vitiorum tyrannidem usque modo patior, contingat mihi, oro, mitissimum gratiæ tuæ imperium ferre ac dominatum.

PARÆNESIS XVII.

I. Libentissime Psalmos concinerem, si homini profano fas esset, augustissima Divinitatis adyta penetrando, ejusdem oracula impuris labiis temerare, et supremæ Majestatis laudes deterere hoc ipso, quod illam suis ad cœlum laudibus efferre audet. Eho dicito, sodes, num decere credas arcana divina ab illo tractari, quem nec dignum putas in concione hiscere, aut loqui? Atqui nec silere licet laudes ejus, qui diserta facit ora peccatorum. Os homini datum fuisse puta, quasi vadum et ostium; inde licet erumpant frequenter inhonesta ac turpia verba ; non hic tamen Opificis scopus fuit, qui interioribus adytis templi hanc velut exteriorem portam adjecit. Summi illius architecti benignitatem mirare, qui celsitudinem suam ad nos demisit, ut in nostris ædibus habitaret. Magnum est, si quis se noscat, et cætera quæque pro modulo suo comprehendat. Non mirum itaque si sanctissimum illud Divinitatis adytum intrare nostrarum mentium parvitati severe interdictum est. Quocirca prædicanda est, et plenissime laudanda

[1] Levit. XXII, 4. — [2] Rom. V, 20.

illa majestas etiam ex hoc capite, quod peccatoribus accessum non prohibet, nec ipsorum laudibus auctoritatem suam imminui ac dedecorari credit.

II. Si accidat aliquando virum honestum labi, errare, decipi, atque in dedecus offendere, tum præ verecundia amicorum conspectum fugit, in publicum prodire non audet; quin nec patitur audire se aliquando probum fuisse; sed omnem sui memoriam omnino perire cupit, unaque simul propriæ ignominiæ oblitterari famam. Vos autem, fratres, quos non latet quantum sit in hisce rebus inane, satagite supremum Judicem vobis propitium reddere : discite nullam in terris diu manere sui similem rem, omnia torrentis instar effluere, ac demigrare. Majorum opes, oris decor, splendor generis, nomen, imperia, magistratus e nihilo crevere, et mox in nihilum, perinde ac si non essent, infelicissime relabuntur. Talia contuentes, illud sempiternum Numen reveremini, cujus imperium nunquam concidet; reliqua omnia, quæ vulgo amplissima dicuntur, caduca sunt, nec eorum jactura nos terrere debet, cum somnia sint, mentisque nostræ ludibria quascumque mundus offert, opes.

III. Vides-ne quid hominum mentes exagitat, quid eos fabulam facit? Fragilis imago, somnium et umbra. Suis nos blandimentis illexit et decepit externa corporis pulchritudo, quam utique conservare non possumus. Scimus profecto divitiarum copiam domino nihil prodesse, etsi in iis quærendis perpetuis fatigetur curis. Ad exitum hodie properamus, ut heri, sic nobis omnes occidunt sine fructu dies. Mirum quî fiat, ut nullum nobis fastidium sui moveat mundus jam senex, jamque ad occasum vergens, et ad interitum festinans, nec sentiamus fluctuum, per quos navigamus, æstum! Obsecro, ferto opem miseris, Deus optime maxime, qui genus nostrum non deseris, præsta

mentibus nostris intelligentiam, ut sciamus infra te jam nihil esse, nisi mortale et caducum; et vulneribus nostris salutarem præpara medicinam, ut ad meliorem frugem, pœnitentia comite, redeamus. Visita nos, ne in nostris obstinati obduremur peccatis. Fons misericordiæ tu noster es; tu igitur animis nostris honestatis et justitiæ memoriam infigito; turpitudinem namque et nequitiam plusquam satis huc usque consectati sumus. Pastor omnium vigilantissime, nostra, precor, a nobis damna avertito. Exiguum istud bonæ voluntatis munusculum a nobis accipe, tuaque nos virtute corrobora. Non habet anima nostra, unde magnitudini tuæ donum æquale ferat. Crux tua, Domine, te nobis placatum reddat, quæ nos ipsos tuæ pietatis admiratores fecit. Infra peccata nostra nostræ sunt preces, nec bona, quæ dicimus, æquant mala, quæ fecimus, neque verbis nostra solvuntur debita. Quanam ergo hostia nostra poterit expiari noxa? Quid dabimus, cum extrema laboremus inopia? Tu qui misereris omnium, quæ fecisti, tu nos redde tuo sanguine expiatos.

IV. Cui posthac placebis, vanitas mundi domina, quando tuis conflictari ærumnis nemini non displiceat, nec ullus damnis subesse velit, commoda et emolumenta tua securis? Unum est, quod nos tibi astringit vinculum, sane grave et molestissimum, vita præsens. Laus et gloria tribuatur supremæ potestati, quæ nos a te avellit etiam invitos. Si intemperanti incubuerit mors, os ventris mancipium, ingruente morbo, obstruet, e digitis excutiet vino spumantes pateras. Euge quicumque sobrius tibi a vino abstinendum statuisti. Quæstus nostros et collectas opes hæredibus transcribere mors adiget, culpam autem hærentem, et veluti onus cervicibus imminens deponere non dabit. Cutis nostra, tanquam liber erit descripta intus et foris exhibens omnia malefacta. O vos beatos, qui a curis

omnibus separati, uni salutis negotio sedulo ac diligenter vacatis!

V. Multa bona, quibus adhæsimus, effluxerunt; iis uti voluimus, peccavimus, nec sic evasimus, uti sperabamus. Divitiarum amor, quæ nos multis curis implicitos tenuerunt, dominos minime sequentur vita functos, quos tamen peccata ad sepulcrum euntes prævertent. Felices magnanimi, quorum fortitudo in labore ac dolore spectata est! Exultat adversarius aspiciens, quas colligemus opes, nobis alio deportatis, ad hæredes transfugere, nostra autem peccata nos ad judicium accersitos, illuc citato cursu antevertere, ut coram Domino suos nos esse auctores accusent. Te autem imprimis beatum dico, cui salutis nostræ Reparator promisit fore judicii diem et jucunditati et gloriæ.

VI. Quis similis tui, naturæ Conditor? Quis tuam erga nos clementiam et benignitatem imitetur? Etenim si nobis pœna pro merito sustinenda est, æquissimo Judici obstrepimus; et si bene nobis fuit, et prospere cœptis successit opus, ad superbiam ferociamque insolescimus. Benedictus, qui singulari tua lenitate mores nostros asperos et difficiles patientissime sustines, illatasque tibi injurias mira charitate dissimulas. Ad ovile tuum animam, quæso, meam reducito. Erravit enim sicut ovis, quam invenisti; illam in tutum refer, vetusto exue vellere, et novo exorna, ut ambæ omnipotenti Domino sine metu appareant. Gloria æterno Patri, qui pœnitentes miseratus, te misit in terras humani generis Salvatorem; tua quippe gratia nostræ securitati consultum est. Tu crucem ferendo et peccata nostra et mortis chirographum sustulisti; tu quæcumque debemus declarabis remissa, quando gratiam tuam in sæculorum exitu manifestabis. Adventum tuum laudamus, pie Domine, qui summam peccatoribus impertis misericordiam.

PARÆNESIS XVIII.

I. Illos igitur ter et amplius beatos appellemus necesse est, quos divinus Sponsus jam ad nuptias vocavit suas, sibique comites adjunxit in triclinio discumbentes, hoc est, in illo virtutis regno, cujus nunquam est intermoritura suavitas. Heu! quam miseranda clades imminet impudenti, qui lugubri indutus amictu in illius auctoritatem loci temere sese intrudere ausus est! gravi namque strictus compede tenebricosum in carcerem præceps dabitur nocti sempiternæ addictus. At contra qualis, quam beata civitas excipiet vos, integerrimi castitatis et abstinentiæ cultores, vosque viri fœminæque sanctissimæ, pura et integra virginitatis gloria venerabiles, et victo debellatoque diabolo triumphantes! Vos scilicet ad immortalitatem, ad gloriam natos Filius regis in aulam suam magnifice deducet, et omnium bonorum accessu felicissime cumulabit. O qualis, quam jucunda voluptas! Quam magnum ad laudandam divini Numinis beneficentiam incitamentum! Sed o miseram conditionem! O calamitatem maxime deplorandam illorum, qui quam longissime a tantæ beatitudinis jucunditate rejecti, turpissimum exilium pati omnem ultra æternitatem cogentur, ubi magnis etiam precibus impetrare non poterunt ad restinguendam sitim tantum humoris, quantum hærere possit extremo digito in fontem immissæ manus!

II. Miserum me! Quantam malorum audio mihi imminere acerbitatem, si mihi ad regni cœlestis oras aditus intercludatur! O me ad extremum usque felicem ac fortunatum, Domine, si, ad tuum conspectum admissus. vi-

dero causam meam misericordiæ viribus eo exitu perorari, ut apud tuam justitiam severissimam delictorum vindicem, impetrata scelerum præteritorum venia, mihi liceat vitam in cœlis agere ab omnibus periculis tutam, et nulla temporum vicissitudine dissolvendam!

III. Vides-ne apertas ad beatitudinem vias, jamque patefactos ad cœlum aditus? quave parte ad cœlestem gloriam se pandat iter? Scilicet undequaque difficultates maximæ et frequentissimæ tentationes viatores infestant, insequuntur et premunt usque ad confinia regni, quo fortes animæ pervenire moliuntur. Videsis, indocte, ne tua te angat inscitia, nam si fueris bene probus, et bene doctus eris, ac utique homines vel natura callidissimi habebunt, quæ a te discant plurima, secus et si fingas, te tua sapientia eo evasurum, unde scias solis cursum sistere, et Oceano spatium circumscribere, si modo absint bona facta, nullus eris, nec ullum inter sapientes locum habebis. Advena cum sis, tuo diversorio contentus esto, neve datum ad brevem horam domicilium mutes, nec amplam tibi moliare domum, neque situm, qui tibi in sortitione non obtigit, occupare velis. Ædiculam ad tuas angustias metire, tantum spatii cape, quantum tecto sufficiat; cave in alieno solo operam insumas tuam, ne labor extraneo profuturum suscipias.

IV. Fortunatas merito dicimus prudentes virgines, quæ cum divino Sponso intrarunt ad nuptias, propterea quod cum ejus amore vehementer flagrarent, ejusque adventum avidissime expectarent, insomnes totam fere noctem egere, imprimis sollicitæ, ne provisa maximeque necessaria olei copia lucernis deesset : infelices contra damnandæ sunt earum sodales fatuæ, quibus ingressus in triclinium interdictus fuit. Cum enim eas in struendis oleo lucernis vacare oporteret, obrepens somnus oppressit, utpote de ad-

ventu Sponsi parum sollicitas; et quamvis postea nuptialis aulæ pulsarent fores, inde tamen rejectæ sunt. Duo virginum ordines duas designat regiones, alteram, in qua summi regis assurgit augusta domus, quæ latissime patet, et ad cœleste convivium vocatos excipit et conservat; angustissima vero alteri circumscripta sunt spatia, quam gehennam dicimus, quæ coacervatis iniquorum corporibus rato tempore opplenda est. Cæterum nec illos beatissimæ vitæ jucunditas deseret, nec istis dolor mitigabitur, et perpetuus luctus, utramque sortem pro æquitate et merito, singulis dispensante supremo Judice, gratiam frustra deprecantibus iis, qui recte facta secum afferre per oscitantiam et socordiam neglexerunt.

V. Age, quid cessas, Paule, potissimum Ecclesiæ nostræ columen et propugnaculum? Quid cessas, inquam, quasi non videas tuas ab hominibus passim proculcari leges? En avaritia et insanus amor habendi, quem quondam a mortalium animis evellere tuis præceptionibus studebas, hodie ubique regnat, adeo ut, sanctioribus templi adytis occupatis, sacerdotum gulam eliserit, et iniquis contractibus plurimos de populo promiscue captos extinxerit. Sacerdotium, cujus sanctitati tuis satis cautum decretis fuerat, hodie venale habetur. Calcatam a justis ad cœlum viam scientes volentesque deseruimus, hisque potiores duximus devios tramites, et salebrosas atque horrendas crepidines, unde vix evitabilis imminet in tartarum ruina. Quod ergo maxime nostra interest, charissimi, agamus, ut nostrorum scelerum recordatio nunquam non mœrentes et afflictos habeat. Vis quippe doloris unica vitæ turpiter anteactæ tempora oblitterabit. Quicumque proinde peccavimus, suscipiamus debitas peccatis pœnas, lacrymisque delictorum syngrapham eradere satagamus.

VI. Neminem inconsulta scientiarum cupido fallat. Si

ergo tibi litteris operam navare sedit, cave ne illarum studium tantopere te sollicitum habeat, ut tuum in virtutibus profectum negligas. Neque enim tanta litterarum cura habenda est, si recte sapis, ut non longe major bonorum factorum sollicitudo te angat. Qui sapientiam appetis, dignos sapiente mores induito. Vide ne sine lege scientiam quæras. Non enim implent magna dicta, sed bona facta legem. Doctrinæ studium multorum ingenia exercuit, quos tamen fama, repugnantibus eorum moribus, a stultorum censu non exemit; alii contra quanquam nihil quæsivere aliud præter justitiam, longe tamen post se viros etiam sapientissimos reliquerunt, tibi potius esse debet agere, quæ non legis, quam legere, quæ non agis. Felices habeto non qui legis periti sunt, sed qui legem observant. Nunquam legas, ut videare sapiens; non ille perfecte sapit, qui arcanorum involucra evolvere plane didicit; satage, ut clara et explicata, quæ legis, opere compleas, neve in nuda Scripturarum intelligentia subsidas. Qui enim potest suis moribus erudire rudes, is imprimis doctus habendus est.

VII. Cum virtus in actione consistat, ideo qui in Scripturis evolvendis operam ac laborem consumit, ea quæ legit, opere exequatur necesse est. Cum Præceptor sapientissimus, qui nos, nullis omnino suffragantibus meritis, elegit, id a nobis imprimis exigat, ut in usu habentes, quod nobis ipse tradidit, immortalis gaudii præmia assequamur. Bona quidem est mandatorum intelligentia, sed multo melior executio, adeo ut merito illum animadversione dignum dicas, qui ea, quæ didicit, actu perficere negligit. Satagite ergo, charissima mihi capita, ut id quod legitis, discernendo, illa duntaxat admittere studeatis, quæ vobis benevolum faciunt severissimum Judicem, cui de minimis etiam cogitationibus mox sumus rationem reddituri.

VIII. Humanæ vitæ initium, et primus gradus est, ut naturæ morem geramus, ejusque legibus pareamus et quæ hominem decent, actu exequamur; succedit secundus, isque videtur instar absolutæ virtutis esse, si integre sancteque vivendi præcepta discamus, et quæ didicimus, eadem opere compleamus. Succedit tertius his omnino contrarius gradus, qui plagis plane dignos nos efficit, si quæ operoso studio apprehendimus, actu perficere negligamus. Nec non postremus, qui stultitiæ nos arguit, si ignorare velimus, quæ perficere detrectamus, otiumque discendi studio suppeditandum non adamemus, quia negotium virtutis exercendæ plane fastidimus.

IX. Hic porro animadvertitis, credo, fratres, quantum ab officio discedant illi, quos cum Scripturas legere minime delectet, ac magis etiam pigeat, ea, quæ didicerunt, amplecti, eos nihilominus carpunt, qui sacros Codices frequenter evolvunt, et quæ inde hausere præcepta, opere complere studiose satagunt. Enimvero si is, qui omnes perfectæ cumulatæque virtutis numeros absolverit, attamen si inde sibi placere, et hominum laudem aucupari occipiat, ipsa animi levitate, mentisque elatione omnem præteritorum, bene honesteque factorum gloriam amittit, et prorsus obscurat, annon ille potiori jure reprehendendus videatur, qui fratres ea, quam dixi, causa aspernatur et reprehendit?

X. Ego neminem eo feliciorem dicam, quam qui Scripturis divino Spiritu nobis traditis, aures eodem Spiritu plenas præbeat, et codicem percurrendo prudenter cogitet quomodo præceptum sibi ob oculos propositum observare cum laude possit, is profecte intelliget quam justo ac æquo jure ipse sibi irasci, seque arguere debeat, qui, non illata vi, sed sua libera voluntate peccaverit. Unde porro mœrens et afflictus in luctu ætatem traducere decernat,

præteritæque vitæ dies inutiliter et otiose transactos utili pœnitentia compensare.

PARÆNESIS XIX.

I. Pie Pater, cujus in manu felicitas nostra est et calamitas, tua gratia sanctifica me, maculas terge meas, et lava hyssopo, qua candorem rebus impertis omnibus. Vulnera mea sana, ut in pristinum restitutus, laudibus ubique prosequar beneficentiam in me tuam; id, quæso, effice ope tua, ut ex tenebris ad lucem redeam, et e fovea, in quam lapsus sum, felix evadam: quoniam prodesse omnibus soles, obesse nemini, porrige mihi dexteram, et misericordiæ tuæ beneficio incipiam ducere de cœlo vitam. Rapuit me adversarius, ornatum meum abstulit dissipavitque, et inutilem veluti truncum me reliquit, omne splendore turpiter denudatum. Sed illud me recreat, ac reficit, quod in die judicii pietas tua inopiæ meæ ac solitudini præsto erit. O quam terribilis est futura judicii dies, cum a singulis exigentur rationes operum et cogitationum, et ipse oculorum nutus ad stateram sanctuarii examinabitur! Judex clementissime, in illa hora absolve me, quia reus sum. O qualis dolor! O quanti gemitus futuri sunt, quando omnia, quæ in deliciis habuimus, nos plane deserent, et unusquisque nudus stabit ad judicium mox ducendus! Væ illi misero, qui similis mei sua exaggeravit crimina, qui peccata commisit et celavit, ne hic dedecus sustineret, ac propterea illic in die judicii digito monstrabitur, ac per ora hominum traducetur!

II. Tunc temporis omne genus hominum contremiscet,

cum singuli secundum opera sua judicabuntur, et unusquisque a seipso vel absolvetur, vel condemnabitur. Delicta mea multiplicata sunt nimis, et dies mei dissipati sunt, et defecerunt; advenit meæ vitæ finis, et nullus pœnitentiæ fructus apparet. Itaque si aberit misericordia, hei mihi in die judicii! Felix, qui parum in hoc sæculo laboravit, et in sæculo nunquam præterituro regnum hæreditabit, quia etsi modicum laborem sustinuerit, multam referet mercedem. Dies obitus, dies amara est, in qua anima et corpus ab invicem separabuntur cum dolore, tristitia, lacrymis et singultibus. Omnes mœrebunt, hoc luce clarius intelligentes nihil esse ista, quæ dileximus, et omnia, quæ nos delectarunt, tanquam somnium avolasse. Nulla est in tuo judicio, Domine, acceptio personarum, quia unusquisque juxta opera sua in illo recipiet, si bene egerit, regnum; si autem male, tormentum. Quis non stupebit, et ingemiscet, cum viderit promiscuum vulgus in partes dividi, et suam singulis assignari sedem, et alios quidem ad lucem transferri, alios ad tenebras? Misericordiam tuam laudamus, quæ peccatoribus veniam elargitur, adoramus justitiam, quæ de iniquis et rebellibus pœnam sumit, admiramur utramque, ut bene beateque per utramque vivere valeamus.

III. Spes pœnitentium Jesu, aperi mihi ostium miserationum tuarum, et porrige mihi manum tuam, quæ obliget vulnera mea, et ulceribus medeatur. Merito mihi irata est justitia tua, quia non respexit ad misericordiam, alteram regni tui sociam et administram. Ambarum ope tu, mihi, Domine, præsto esto, et ego per ambas salvus ero. Patet thesaurus tuus quærentibus te; qui tamen eo locupletari cupiat, virtutum ornamentis præstare debet. Ego vero, cui ex ignavia et socordia mea superexaggeratæ sunt sordes, ad tuam confugio supplex misericordiam;

ne peream. Mea me prava voluntas, quæ tuæ obsequi voluntati noluit, ad tuam imperii sedem adduxit, ut tuis voluntatibus obsecundem, et gratiam majestatemque confitear, quæ de pœnitentium constantia mirum in modum gaudet. Suscipe pro tua benignitate deprecationem meam, teque mihi placatum exhibe, et in die adventus tui, ea, qua vales plurimum, misericordia vitam tribue, ut confundatur diabolus, cernens me apud Regem omnium maximum invenisse gratiam. Magnum est hoc, quod improbis datum est, ut si is, qui peccavit, peccasse se doleat, ejus syngrapha deleatur. Ego vero, etsi pœnitentiæ remedio destitutus sim, tua tamen pietate fretus, salutem non despero.

IV. Illum laudemus vere bonitate optimum et magnitudine maximum, qui descendit, et factus est unus ex nobis, nostraque sanavit vulnera et scelera expiavit. Omnia te laudibus efferant, Rex regum, Deus; laus et gloria sit mitissimo Filio tuo, qui quotidie onus nostrum portat, etsi noscat nos esse malos. Nos ipse creavit et modo nutrit, et suo sole illustrat, cujus lumine mundum efficit speciosissimum. Misericors esto, benignissime Domine, et protende mihi dexteram tuam, qui sine fine bonus et pius es, et errantem ad tuum ovile reducito, ut fiam beneficentiæ tuæ particeps et prædicator. Januis tuis hærebimus, et nomen tuum supplices invocabimus, quoniam inde refert, quod quisque petit, ea est tua pietas, ut omnes rationes ferendæ nobis opis disquirat.

V. Peccata mea, quæ tanquam maceria me a tua bonitate secernunt, tuo Numine labefacta concidant, mihique aditus ad tuam gratiam patefiat, et ubi abundavit malitia, ea superabundet charitas, quæ me ad tuam provehat altitudinem. Dum conscientia perterritus, in lamentis luctuque jaceo, id, precor, effice, ut ex scelerum recordatione,

quorum memoria hærebit animo sempiterna, eos fructus consequar, qui meam ægritudinem in die judicii consolentur. Felix, quem tua, Domine, misericordia excipis! Quia non aspernaris, quem ex corde diligis, ne me despicias, Domine, neque sinas, ut me diabolus perdat. Propitius esto mihi, qui nihil sum; placatus, inquam, et propitius esto propter misericordiam tuam, et immerenti ignosce; multa sunt delicta mea, ut eorum veniam consecutus, laudem clementiam tuam cum iis omnibus, qui nihil antiquius habuerunt, quam ut, ne lato quidem ungue, a justitiæ tramite aberrarent. Omnes namque tuo judicio rei et damnabiles sumus, quoniam legem tuam, per quam victuri fuissemus, impudenter violavimus. Me quoque cum omnibus despiciendum, et præ omnibus repudiandum, ne, quæso, indignum deputes, cui ignoscas, cuique gratiæ tuæ dono liber ad te detur accessus.

VI. Enimvero mihi omnibus vitæ meæ diebus jucundum fuit legem meditari tuam; ideo fac, oro, ut merear cum Justis te laudare, et clamare: « Sit illi gloria, qui mei misertus est, et laus ei, qui mihi mea peccata dimisit. » Altitudo laudat te, glorificat te profundum, omnia adorant te, quia tu omnia creasti, Domine noster misericors; rerum denique universitas de tuis laudibus ubique personat. Quisquis est alieno ære obstrictus, si recte sapit, creditori placere assidue studet; cum enim non habeat, unde in integrum satisfaciat, ipsum orat ut debitum dimittat. Ego vero, qui nequeo contractum reatum pio labore expungere, Judicem precibus flectere conabor, ut quantumvis immerenti pro sua misericordia pacem propitius concedat, meisque ut ignoscat peccatis.

PARÆNESIS XX.

I. Omnium ille auctor perfectorque bonorum sic sua dona dispensat, ut utilitatis inde accipientibus proventuræ rationem habeat. Quamobrem si quæ petuntur, aut noxia aut inutilia fore prævidet, ea petentibus negat. Omnium, quæ postulantur, bonorum incœptor et perfector est Deus, eaque ejus est conditio, ut qui vacuus ab eo redit, non secus ac ille, qui accepto munere suas preces ratas fuisse sensit, propriæ inopiæ subsidia ferat; nam si ad illum unice ac vere bonum duo accedant, mendicus alter, et alter reus, et illi quidem propitius Deus victum largiatur, et isti culpam condonet, neuter ab ejus foribus repulsus sine munere recedit, mendicus, subministrata annona, egestate liberatus est; reus, impetrata delicti venia, effugit pœnam. Omnibus ubique modis nos suis divitiis cumulat, et miseros relevat, etiam quando precantes abjicit, et negat, quæ nobis perniciem exitiumque allatura videt, quantumlibet nos futurorum ignari insistamus, ut tribuat; magni enimvero beneficii loco habendum est, magnum avertisse malum, nec nobis grave videri debet, si vota repellit, ut damna prohibeat; ostium quippe felicitati aperit, qui calamitatibus aditum intercludit.

II. Nullum in summo largitore locum habet commune orantium vitium; ideo puerum, qui parum prudentia valeat, absurda petentem repellit, eaque duntaxat tribuit, quæ rationi consentanea sunt. Quæ enim ab honestate abhorrent et a lege dissentiunt, negat; talia quippe postulare ejus sapientia aut stultitiam existimat, aut impudentiam singularem. Conditionem itaque petitionum ipsarum

indicat exitus. Nulla siquidem contemnitur. modo noxia, aut otiosa non sit; omnis admittitur, si tamen innocens et utilis habeatur. Justus et bonus est largitor, quæ petis negare non potest; nec enim malitia in summam bonitatem cadit, neque in summam justitiam invidentia. Si autem cunctatur dare, quod postulas, non inde arguas illum detrectasse promissa; sic porro tecum agit, ut post experimentum laudet patientiam tuam; non enim, nisi post transactum meridianum portantes pondus diei et æstus dijudicare potest, quod quidem onus ubi constanter tuleris, tum vero navatæ operæ mercedem alta voce reposces, et ille duplo majorem merito reddet; diurno siquidem præmio adjiciet clarum suæ Divinitatis aspectum.

III. Et sane si largitoris ostium pulsare insisteris, quamvis nihil accepisse videaris, patientiam certe referes, donum utique omnium, quæ moliebaris, præstantissimum. O præclarum largitorem, qui dum precantem abjicere videtur, ampliora, quam ille petat, impertit! Ea est ejus sapientia, ut postulata prius consideret, et concedendæ gratiæ momentum exploret; ac si quid minus opportunum comperiat, largitionem in tempus commodum rejiciat, quantumlibet mora petenti gravis accidat et molesta, utpote rei suæ conficiendæ tempus aptissimum ignoranti, quo nimirum idonei temporis opportunitate munus reddat ex hoc etiam capite gratissimum.

PARÆNESIS XXI.

I. Omnipotens ultionum Deus, cujus judicium rectum est, et cui omnia vel occultissima ante oculos obversantur,

æquissimo judicio tuo ne me tum arguas et condemnes, oro, quando omnes erunt animorum latebræ manifestandæ. Iis, quas quondam peccatrix obtulit, lacrymis sua delicta abstersit. Ecce iterum tibi lacrymæ deferuntur, ut illis vim esse maximam voluisti, sic effice, ut harum pondus faustum, felix, fortunatumque sit. Suis artibus me diabolus irretitum decepit, mentemque meam suis illecebris in servitutem abduxit, illum, Domine, longe a me repellito, meque ejus potestati eripito, ne me discerpat. Judica, Domine, judicium meum, et ab immani adversario meo vindica me, qui venenatas in me sagittas tanquam ad signum convertit suas. Misericors et potens es, id igitur efficias, oro, ut sua psum tela confodiant. Adjutor esto misero mihi, qui defensorem habeo præter te neminem, absque cujus auspicio mox ille nequam mihi victo profligatoque, ut primæ generis nostri parenti, temere insultabit.

II, Hei mihi ! si ad censuram omnia revocentur, et ad vindictam, ubi delictorum defensio non admittitur. Contremui vehementer audiens, sceleratos et improbos fore ignibus explorandos. Quidni vehementissime contremiscam ! Brevi marcescens sum ego flosculus, et larva inanis: si te videro personam Judicis sustinere, primo statim aspectu misere evanescam. Clementia tua, Domine, quæ tibi potuit pro generis nostri reparatione de arbore infelici suspendium persuadere, illa, illa te clementia præoccupet, atque moveat, ut nostræ valeant apud te preces, sicut tui pro nobis suscepti labores, tua mors, tua vulnera tantopere valuerunt. Jesu, qui omnes tuo sanguine redemisti, et morte tua monstrum teterrimum alligasti, nunc opus exple, quod inchoasti; diaboli nempe vincula, manicasque atque compedes frange : ejus audaciam increpa, ut a me infelici recedat, et mecum assidued ecertando fieri voti compos nequeat. Quoniam flagitia mea quantumvis maxima tua cha-

ritate operuisti, huic beneficio tuo aliud etiam adjungas velim, ut voluntati tuæ semper in posterum adhæreat voluntas mea.

III. Ne in manibus inimici relinquas me, nec ratos esse conatus ejus improbos, et sceleratos sinas, qui corpus et sanguinem tuum immiscuisti mihi, et frontem meam regalibus crucis tuæ insignibus nobilitasti. Adjuva me, Domine, quia infirmus sum, et propitius esto mihi misero, quia peccavi nimis; sanctifica sensus meos, ut incedere tandem gestiant per viam regiam; oriantur lux tua cogitationibus meis, quæ radiis tuis exhilarentur, et fulgore gloriæ tuæ lætentur, quia tu es Sol complens omnia luce tua. Turpitudinem nostram hyssopo tua dealbes, obsecro, ut maculæ meæ sanguine tuo deleantur, et corpore tuo abstergantur occultæ sordes cogitationum mearum.

IV. Labitur mundus, et est quasi non sit, judicium autem stat, nec dissolvetur. Sed o rem difficilem et inexplicabilem, si tu in judicium tuum inducas me, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens! Os tuum nobis promisit fore ut quicumque invocaverit te, ipsum exaudias: ecce invocavi te, Domine, sicut præcepisti, exaudi me, sicut promisisti. Inclina aurem tuam, et audi vocem meam, Fili Dei, qui eximia charitate tua corpus nostrum induisti, et gemitus nostros suscipe, qui pro iis, quæ nefarie admisimus, offeruntur. Revoca cogitationes meas ab errore, et transfer mentem nostram ad alteram vitam, quæ nullo vel motu concuti, vel injuria dissolvi potest. Corripe me in misericordia tua, ut erudiar, et in multitudine pietatis tuæ posside me, ab errore peccatorum revoca, et agnis tuis ad dexteram tuam locandis adjunge me. Simonem, qui te invocavit in fluctibus, adjuvisti, ne mergeretur, me quoque, ut Simonem, erue a turbulentis hujus sæculi tempestatibus. Sit laus tibi, qui genus humanum perditum

servasti, et humeris tuis sublatum in domum Patris tui introduxisti.

PARÆNESIS XXII.

I. Fili Dei, cujus in nomine oportet nos salvos fieri, ne irrita esse jubeas desideria cordis mei, quin etiam vota mea idem velle, eodem ferri tuis cum desideriis impera; concede mihi voluntatem agendi, quæ bona sunt, ut a voluntate tua nunquam declinem. Contine me, ne sim discipulus dolosus, et pecuniam possideam, et solvam legem. Tribue mihi, ut fiam discipulus tuus verus, et visibilia, quæ corruunt, odio habeam, invisibilia diligam, quæ nullo vel motu concuti, vel injuria dissolvi possunt. Libera me, ne intemperanter erogem stipem mihi largiter impertitam, et mendicando congeram mihi pecuniam, quæ me tibi faciat debitorem. Largire mihi alimenta in mensura tibi non ingrata, et in tuis laudibus cogitationes invigilabunt quotidie meæ. Eripe me, ne sit filius hominis spes mea, neve pendeam a spe sæculi, quæ spes non est : da mihi, ut dilatetur cor meum in te, qui afflictorum angustias tollis, et dexteram extendis unigeniti Filii tui, quæ divitiis cumulat indigentes. Eripe me ab illis, qui nomine tuo appellantur, sed ipsos nimis anxia nummorum cura dies noctesque stimulat, et plane internecat. Iis me adjunge comitem, qui, cum in terris fuerint pauperes spiritu, neque peram, nec sacculum possederunt. Dux esto mihi, ne in via tua ad speciem ambulem, non ad virtutem, et videntes capiam, ut beatum me dicant : hoc tribue mihi, ut ex meo placere majestati tuæ in occulto possim, et sancta opera mea palam tuo nomini confiteantur.

III. Libera me ab eorum consortio, qui tuis beneficiis abutuntur, et de tuo comedunt, nec tibi gratias agunt quantas maximas debent. Concede mihi, ut in abundantia, et charitate tibi laudes referam, nec quidquam audeam submurmurare. Cave mihi, Domine, ne hujusmodi personam agam, quæ videri, quam esse pudica malit. Habeat servus tuus magistram veritatem, et ab ea discat ubique modeste casteque agere. Libera me ab eorum supplicio, qui legem noverunt tuam, sed placere tibi noluerunt; fac ut merear sociari indoctis, qui sin minus intelligentia, opere certe fuere eruditi, et sapientes. Eripe me ab atrocibus pœnis litteratorum, qui omnes codices terunt, ac prope devorant, et omnia nefarie agunt. Interpretationes arcanorum sensuum loquuntur, et expositionem jactant grandium sententiarum; mirabilia sunt eorum dicta, præclara, et culta; oculi autem eorum deficiunt, cum ad veritatis lucem sese convertunt.

III. Legere quidem soleo, lecta vero non exequor; sapere ad ostentationem et superbiam cupio, non ad virtutem; mentem siquidem ab errore arcere malo, quam voluntatem a scelere. Multum lego, cum nihil agam, in studio diligens, in opere remissus et segnis. Scripturas aliis, quo magis reus fiam, persæpe narro, cum justitiam in ipsis descriptam et lectam ipse fastidiam. Parcant, oro, humilitati meæ, qui ad triclinium admittuntur, et pro me convivii Dominum deprecentur. Ego interea his eum vocibus obtestabor : omnia tu vincis, Domine, ego vero tuis licet instructus armis, mea voluntate victas dedi manus. Imbellis sum, nec ad arma idoneus; imbecillitatem et socordiam meam tua virtute robora.

IV. Caro mea infirma est, tua virtute firmetur : contere auxiliis tuis tela dolosi, et ordini electorum ascribe me, Rex potentissime. Concede hoc mihi, ut, quoad anima spi-

rabo mea, sim totus tuus, et quidquid tibi placet, fortiter sine metu agam; cumque semel cœpero virtutis opera exercere, in dies magis per te, Domine, roborer, ut, te bene juvante, laudabiliter ad extremum vitæ spiritum perseverem. Quoniam tua est virtus, per te strenui et diligentes in acie vincant, et a te ad egregia quæque opera eleventur; timidos autem et negligentes tua charitas virtute muniat, ne ulli mortalium prætereat momentum temporis fructibus et laude vacuum.

V. Quia imperium auspiciumque tuum abnuisse me fateor, a tuo judicio libera me, et quia non te negavi, ultio tua non me fulminibus plectat suis, quia nequam ego pessime animæ meæ consului, tua mei misereatur gratia, quia bonus es. Peccavi, fateor, non ignoratione quadam, nec falsu metu, aut errore aliquo misero funestoque compulsus, sed cupiditate atque libidine : culpa teneor non erroris humani, sed sceleris. Scio me a mea libertate delapsum in supplicium ruere voluntarium non dubitasse : nunc autem dolore exanimatus clementiam invoco, quæ me justum efficiat. O qui oriri facis solem tuum super bonos et malos, fac ut lux tua mentis meæ tenebras abigat dissipetque; lumine tuo deleantur letifera peccata mea, quorum deformitas noctem mihi attulit omni comploratione majorem.

VI. Malum non videt diabolus in me ullum, cujus ipse non auctor fuerit; per ipsum enim omni sum scelere coopertus; ideoque ex libero arbitrio illud sum consecutus, quod intermortuus ac plane perditus in angustiis jaceo maximis et miserrimis; alligat me quippe diabolus, quia ultro me illi obtuli alligandum. Inertes et viles tuum, Domine, jugum fugiunt, et quos sui pigere debet, tuus non sapit amor. Gloria gratiæ tuæ, quæ mater est doctorum, quia ut sint admodum dura flagella, quibus contumaces

castigas, severitatem tamen remittis, et manum porrigis ad alliganda vulnera pœnitentium. Adoramus igitur Patrem tuum, tuumque Spiritum veneramur, qui vix dici potest, test, quantopere nostro ad fidem, probitatemque reditu lætatur.

PARÆNESIS XXIII.

I. Deus, qui vocasti nos per gratiam tuam, ut ad te propius accedentes non pereamus; Pater misericordiarum, qui non semel dixisti : « Invocate me, et ego exaudium vos : » Ecce ostium tuæ gratiæ pulso; meas audiat preces misericordia tua, neque delicta mea respiciat. Propitius sis mihi, Domine, ob clementiam tuam, quia tuæ justitiæ debere plurimum me profiteor.

II. Tuis ego, summe Opifex, manibus compactus sum; tu me tuam imaginem appellasti, atque ad tuæ pulchritudinis similitudinem efformavisti. Tu me laudabilem, sed angustam vitæ docuisti viam, et ad ruinam latum spatiosumque callem mihi pariter ostendisti. Invidus ac perditissimus veterator mihi insidias ubique struxit, suisque dolis circumventum, ex recto justitiæ tramite me abduxit, et in sordes impulit flagitiorum ac scelerum. Heu quam longe, infelix! quam turpiter ab innocentia declinavi! At tu mihi, Domine, præsto sis, tuæque gratiæ subsidio protinus reviviscam.

III. Animarum auceps vaferrimus meam libertatem surripuit; me dolo malo pravoque in errorem induxit; oculorum aciem potissimum hebetavit, meoque in animo cogitationes omnium turpissimas ingeneravit, ac uno verbo,

quidquid boni habebam, imminuit, rapuit, dissipavit. Cogitavi lasciviam; sed cogitationem excepit dolor. Manus meæ iniquitatem patrarunt, unde omnibus tandem partibus infelix disperii. Proh miserum, quem ignis undequaque adoritur! Me, mitissime Deus, eripe, ne sempiterna morte occumbam.

IV. Mortalium omnium miserrimus sum, quandoquidem data opera infelicitatem mihi ipse conflavi. Peccabam quotidie, effusaque gestiebam lætitia, nec cogitabam mortem mihi ante oculos obversari. Væ mihi, quia advenit Angelus mortis illud in mandatis habens, ut me ad judicii tribunal quamprimum rapiat! Proh dolor! Mox dies aderit, cum peccator oppilabit os suum, cum secreta declarabuntur omnia, et ego totus pudore ac confusione suffundar.

V. Mea opera descripta et signata sunt singula, et ex iis ne particula quidem ac syllaba in ingenti illo Judicis volumine desideratur. En innumera mea debita ibi exacte relata sunt. Eheu infelix, cum justitia ea omnia singillatim, quæ vel a primo adolescentiæ limine ad extremam usque senectutem admisi, scelera ex eo libro publice recitaverit! Quid mihi agendum in calamitosissima illa hora supererit? Quasve petam latebras, Domine, ut tuo me conspectui subducam?

VI. Me miserum, quantis premor criminibus! Væ mihi, quia nihil est sceleris, quod non patraverim, nec pœnitentia noxam expiavi. Benignissime Deus, qui peccatricem commiseratus es, meæ, obsecro, imbecillitati propitius sis, ne pessimo leto afficiar. Pro unguento, quod tibi peccatrix obtulit, ecce corpus ac sanguinem tuum meis immixtum membris offero. Ne, piissime Domine, ne velis mea opera intueri, sed tua meis delictis clementia ignoscat.

VII. Tremenda est magnopere, Domine, justitia tua, terribilesque sunt Angelorum ordines, qui ad ultionem parati stabunt ante illam, quando tuæ magnitudinis et

majestatis sedes ad judicium firmabitur. Obstupescent, ac præ nimia formidine prope corruent ordines dominationesque, quando Angeli gladium vagina vacuum intentabunt, et ignis absumpturus improbos exardescet. Quis me tunc temporis occupabit pavor? Quæ desperatio? Quis luctus? Eripe me, Salvator, ne exanimis concidam.

VIII. Cogitationes meæ me obstrinxerunt, et in impii proditoris laqueos conjecerunt. Existimavi demens abditas eas esse, et minime perscriptas in magno illo Judicis libro; verumtamen omnes appositæ sunt ante me, et me manent, ut parem merito pœnam luam. Hei mihi, Domine, qui, ne meæ insaniæ præmium gehenna sit, vereor vehementer!

IX. Jam ad occasum properat dierum cursus; vita jam consumpta et erepta est a me, nec quidquam mihi præter luctum reliquum fecit. Quid agam infelix in horribili illo flammarum carcere constitutus? Quid consilii capiam? Aut quo me vertam? Te, Domine, obsequio, quo decet, maximo implorabo, ut a teterrimo illo miseriarum fundo eripiar, cui me proximum jam esse video; sed si præsidium tuum non recusaveris, regionem terroris plenam facile superabo, et ad eam, quæ vero gaudio ac immortali felicitate redundat, sartus tectusque perveniam.

X. Dexteram tuam, Domine, quam tuis Discipulis, ne maris fluctibus obruerentur, porrexisti, et mihi porrige, ut a meorum criminum immenso pelago sospes evadam. Baptismus tuus, quo factus ab incunabulis fueram tuæ particeps Divinitatis, ille nunc mihi ad vitam protectio sit atque columen. Hoc scilicet firmamento, Redemptor mi, terribilis incendii æstus incolumis prætergrediar, quin exinde aliquid patiar detrimenti.

XI. Cum adolescens essem, peccabam, futurum sperans, ut in senectute resipiscerem. Venit mors, et adolescentiæ meæ curriculum interrupit, nec senectutem attingere, nec

agere pœnitentiam potui, quam mihi mors abstulit. Delicta me modo coram Judice expectant, quæ postquam reum me postulaverint, reddent pro mercede supplicium sempiternum.

XII. Ne quæso, Domine, ne introducas me in judicium tuum, « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis » vivens[1]. » Tu quippe solus natura potens, et justus es; ignosce mihi ob gratiam tuam, et me dignum effice, qui beneficiis fruar clementiæ tuæ, ut illis ditatus indulgentiam consequar optatissimam. Hoc si feceris, gaudium in cœlo erit Angelis tuis, sicut Evangelii auctoritas fidem facit egregiam.

XIII. Quis ineuntis ætatis meæ numerare flagitia valeat, aut ejus semitas invenire? meorum criminum in immensum prope auctus est numerus, quia nullas Babylon habuit vias tam in præcipiti positas, quæ a meo scelere abhorrerent. Deus optime, qui indulsisti David filio Jesse, indulgere quoque imbecillitati meæ ne renuas, quæ his quotidie deprecationibus apud te clamat: «Tu perfugium, Domine, meum es; si tua me suscipere misericordia nolit, interii miser, ac plane occidi.»

XIV. Ignis, Domine, conglutinatus est membris meis, penitusque jam abditus intimis est visceribus. Accipe deprecationem meam, Salvator meus, qui pro me sanguinem effudisti. Infernus en intuetur, ut cruciet me, quanquam toties calicem salutaris acceperim. Per tuum, Domine, qui suis me thesauris, ac radiis exornavit, spiritum, ne quæso concremer, quando ignei flammarum vortices ad vindictam infrement. Extinguatur ignis a conspectu meo, quando percusserit illum odor unguentorum tuorum.

XV. Lux tu maxima pœnitentium diceris, et spes unica peccatorum; jure igitur imploro, Domine, sanctum nomen

[1] Psal. CXLII, 2.

tuum. Cum judicium mortalibus indictum fuerit, ne te mihi iratum exhibeas, ob amorem Genitoris tui, ob ventrem illius, quæ te gestavit, ob eam denique, quæ tuum latus in Calvaria transfodit, lanceam. Sparge super me rorem clementiæ tuæ, ne sitiam aquas absorptus ignibus sempiternis.

XVI. Exaudi me, Domine, quemadmodum Eliam exaudisti, cum supplex ad te preces convertit suas. Audi petitionem meam, pœnitentium amator, ut audisti vocem filii Amathi, et salva me, sicut Simonem Cepham, quia nomen tuum negare non ausus sum, etiamsi diu multumque devius aberraverim. Recognosce me, Domine, servum tuum, quia confiteri te nusquam desii misericordiæ fontem et mansuetudinis.

XVII. Aditum ad clementiam, Domine, mihi aperi, qui tum optimo cuique, tum peccatrici etiam maxime patuit. Aspice, quas fundo, lacrymas; dabis profecto lacrymis, quod eloquentiæ negares. Sine ut aquas hauriam de fontibus Salvatoris, unde ab impetu ignis evadam tutus; exemplum etenim me terret divitis, qui flammis obrutus summo digito aquam frustra quotidie poscit.

XVIII. Crux tua, Domine, quam nobis ad bene sperandum, velut signum aliquod sustulisti, crux, inquam, tua mihi præsidio sit, ut a supplicio liberatus ad vitam transferar, cujus comes est et suavitas, et immortalitas. Tria sunt, Domine, quæ pertimesco, ardor ignis videlicet, carceris terror, et diuturnitas vermis, qui nunquam moritur aut conquiescit. Ne me absorbeat incendium illud, sed ejus flammas corpus et sanguis tuus a me avertat.

XIX. Invocavit te Jonas in profundo fluctuum; te Daniel in ferarum lacu imploravit; tres demum pueri in fornace ignis ardentis, tuo invocato nomine, non saluti desperaverunt. Tu Jonæ præsto affuisti; per te Daniel a belluis

ereptus est; clementiæ tuæ rore conspersi pueri, sunt ab incendio liberati; eadem mecum virtute utere, Deus optime, et vivifica me, et delictis ignosce, quia licet mortalium impurissimus, tamen nomen tuum constantissime sum professus.

XX. Miserere mei, clementissime Domine, et misericordiæ tuæ immensitate dele peccata mea. Lava me a manuum mearum sordibus, et emundabor. Quod peccaverim, inficiari non audeo; quinetiam scelerum recordatione, quibusdam veluti facibus quotidie vexor et torqueor vehementer. Tibi soli deliqui, Domine, et peccavi; sed exorari te sinas, obsecro, atque ubi malitia abundavit, effice ut ibi posthac superabundet gratia.

XXI. Simon iterum, et tertio te negavit, sed postquam obtulit tibi lacrymas, eum multo, quam antea, beneficentius excepisti. En lacrymas ipse quoque copiosissimas fundo, et gratiarum actionem, quam possum, maximam pro hostia refero. Innumerabilia esse fateor scelera mea, quæ nullo spatii confinio circumscribuntur. Tu vero, Domine, cujus mansuetudinem nullæ unquam injuriæ quatere potuerunt, me clementer, ut soles, excipe, et ostende munere te ingratos malle, quam perdere. Dele chirographum mortis, quam mihi impendere jampridem sentio, et stultitiæ meæ, cui parem inveniri non posse arbitror, ne recorderis.

XXII. Gloria Deo reddatur maxima, qui non vult mortem peccatoris, sed eum quotidie ad se allicit, et redeuntem clementer excipit, exceptumque benignissime apud se habet. Gloria tibi sit sempiterna, Redemptor omnium, qui fores pulsantibus aperis, et veniam precantibus impertiris, atque benevolentissime omnes complecteris. Salve spes nostra, Jesu bone, amor cordium nostrorum salve, et mortalium omnium miserere.

PARÆNESIS XXIV.

I. Agitedum, mercatores, admodum cauti estote in thesauris vestris custodiendis a latronibus, quorum maxima turba est in hoc mundo, cujus viæ offensiones sunt et insidiæ fere inextricabiles. Felix ille, qui thesaurum nec publice portat in via, nec in tenebris ambulat, et recte vivit.

II. In mundo, fratres mei, non paucos vidi, navicularum instar, fluctibus ac procellis sine ullo discrimine submersos, quorum fallaces spes et contentiones inanes ante in ipso cursu sunt obrutæ, quam portum conspicere potuerunt. Eos interim continuo stimulat vox illa horribilis ad resurrectionem excitans, et ad judicium; quod cum advenerit, peccator misere exclamabit: « Infernus domus » mea est. »

III. Manifestum est hoc, quod nudi mundum ingressi sumus, et nudi ab ipso egrediemur. Vitam ingressi sumus mundi et pulchri, sed ab ea discedimus fœdati et turpes, ac fraudibus inquinati. Quapropter properamus, concitato cursu, ad judicium, ut condemnemur.

IV. Mundi delicias sequimur, ac deperimus oblectamenta, veluti nunquam interitura. At quam turpiter fallimur! Finis jam vitæ imminet, mens tamen nostra, proh pudor! in nihilo occupata et sollicita est. Benedictus Deus, qui per vim sæpe homines ad obitum rapit.

V. Ecce mundi cursus celer et præceps est, ut cito transeat; nos etiam atque etiam urget ad exitum. Mox veniet alius mundus, cujus nullus est terminus; nos tamen in hoc vitæ curriculo quotidie decipimur, blanditiis vinci-

mur, in pessum ducimur, et his vitiorum irritamentis delectamur, perinde quasi essent in perpetuum duratura.

VI. Facessere quantocius jubebit mundus amatores suos, et finem tribuet diligentibus se. Quærent modo illum et non invenient, quia præterit figura hujus mundi. Cupient voluptates quæ fuerunt, sed eas evanuisse comperient. Amorem denique, quo mundum temere prosequebantur, excipiet amarities animi sempiterna.

VII. Mundus est proditor : mensam, quæ diabolum decet, suis sectatoribus quotidie extruit ac proponit. Beatus ille, qui mensæ hujusmodi non accubuit, sed bona mundi omnia repudiavit conculcavitque. Hæc est via, quæ ducit ad vitam, et quam qui tenet, nulli aut regressui obnoxius est, aut errori.

VIII. Solemnitas ejus plena est bonis et malis, et quidlibet quispiam desiderat, eligit sibi mortem. Qui quærit veritatem, nullam facit jacturam, et qui colit iniquitatem, incidit in ruinam. Utraque autem in Filio hominis invenitur.

IX. Salutarem atque honorificam nactus Adam habitationem fuerat; periculosæ plenam aleæ civitatem fuisse scimus, ubi Lot habitabat. Inter vivos mortuus est Adam, quia voluit; inter mortuos vixit Lot, quia ipsi placuit. Libertas in voluntate posita vincit, et vincitur.

X. Dies mei, fratres charissimi, erepti sunt a me, et non sensi, neque recordatus sum quandiu peccavi, et non me pœnituit. Plura sunt delicta mea diebus meis. Completi jam ferme sunt anni mei, et adhuc delicta mea impudentissime perseverant; et ecce reservatus est ipsis judicii terror, qui non habet consummationem.

XI. Quam exiguum est tempus nostrum! et quam celeriter a nobis avolat! Brevis est via, et exiguus est cursus noster. Plenus est dies sceleribus. Plena est nox tenebris

intra sepulcrum; et ecce resurrectionis dies properat, et judicium ad æternitatem permansurum.

XII. Nemo est ibi, qui non dolore afficiatur, nisi solus ille gradus sapientum et perfectorum; insipientes vero, qui ad novissima sua minus serio respicientes nec peccandi consuetudinem deseruerunt, nec culpas pœnitentia expiarunt; et justi, qui ab recto salutis tramite defecerunt, cum viderint immortales ac præclarissimas triumphantium coronas, et eorum beatitudinem, qui pro Christo fortiter laborarunt, anteactam vitam execrabuntur, et conspicient quam præclara sit servitus Deo præstita, et quam bonus etiam et suavis sit Dominus adorantibus se.

XIII. Descendunt improbi in infernum, qui eos tenebris offundet usque in æternum, ubi nulla alia vox, nullusque exauditur clamor, quam: «Utinam nati nunquam fuissemus, neque e sepulcris excitati!» Tanta est tormentorum vis atque immensitas.

XIV. Ascendunt boni ad cœlestium incolarum beatas sedes, ut cum superioribus ordinibus arctissimo affinitatis vinculo conjungantur, quia a tortuosis carnis, et mundi viis deflexerunt, atque spirituales effecti sunt, quanquam mortali corpore, ac fragili materia compacti essent. Itaque cum beatissima Angelorum concinentium multitudine delectantur in regno.

XV. Duos veluti parentes Filius hominis sortitur, ventrem scilicet et sepulcrum; de ventre ad laborem et defatigationem nascitur; e sepulcro ad judicium et retributionem. Alius transit, aliud perseverat. Beatus ille, qui vir bonus et sapiens nominatur.

XVI. Aperit justitia os suum ad arguendum, et omne os in ejus conspectu clauditur et condemnatur. Justitia, quæ supra omnia severa est, et clementia, quæ ab omnibus oppressa est, in medium tunc prodibunt, et ab utraque

filii hominum retributionem, quam non cogitant, consequentur.

XVII. Inclinat aurem suam justitia ad cogitationes et mentes, et judicium exercet cogitationem inter et voluntatem. Equidem nisi voluissem, malum non fecissem; non quia mihi deesset virtutem sectandi opportunitas, sed quia ipsemet volui, reus factus sum.

XVIII. Duo stant latera ad dexteram et sinistram, et alterum alterius conditionem intuetur cum mœrore ac tristitia. Illud ad cœli altitudinem contendit, hoc ad abyssi profunditatem descendit; alteri beatitudo immortalis, alteri vero ægritudo ac calamitas indeficiens obtingit.

XIX. Variis personat vocibus utraque hierarchia, quoniam utriusque diversus fuit ab hoc mundi theatro exitus ac discessus. Horribiles impii ex inferno blasphemias evomunt; Justi autem de regno intonant hymnis, et ante Sponsum feliciter collætantur.

XX. Oculos retorquent improbi ad beatorum fortunatas sedes, et duplicatur eorum mœror, quando immensam electorum gloriam conspiciunt, quam illi exiguo ac brevi certamine adepti sunt, quemadmodum ipsi etiam pro nihilo sibi supplicium compararunt.

XXI. Suam, Domine, super me umbram oriri jubeat gratia tua, et me protegat sub tegumento alarum suarum, ne peream. Compertum enim mihi est, ac plane sentio, contemptu me dignissimum esse, et aliena ab operibus meis mea esse verba. Suscipe, Domine, vota precesque meas, et misericors esto imbecillitati meæ.

PARÆNESIS XXV.

I. Quisnam percussus, aut tot peccatis vulneratus est, quot ego me saucium ac fœdatúm mœstus contueor? Si quis est mei similis, ad me properet, et mihi adhæreat, atque mecum omnia lacrymis compleat et ululatibus; at me miserum! Nullus enim, qui tam frequenter, ac turpiter, ut ego ipse, lapsus fuerit, inveniri, aut excogitari facile potest.

II. Ex me petant exemplum mortales omnes, et tam justi, quam peccatores mecum una collacrymentur; mea etenim flagitia mensuram longe superant, et numerum omnem excedunt, nec humanæ rationis viribus deprehendi possunt. Omnium pro me oratio ad Dominum convertatur; forsitan pro peccatore communes benigne audiet intercessiones.

III. Ægritudo et mœstitia cor meum perculit, et improvisus stupor animum occupavit, cum venit in mentem quandiu peccato cesserim, et non resipuerim. Commemoravi peccata, quæ ab ineunte adolescentia ad senectutem usque patravi; tum præ dolore clamavi, inquiens: « Domine, et Deus meus, propitium te mihi ostendere ne graveris.

IV. Quotiescumque nefaria, quorum conscientia teneor, scelera, æqua rationis lance perpendo, totis equidem artubus contremisco. Me miserum, cum ante justitiam apparebo! Porro si animadvertere severitate, qua solet, maxima, in me voluerit, quid agam in illa hora? Aut ubi me abscondam, Domine, ab ejus vultu et iracundia?

V. Ecce expleta est vita mea in peccatorum servitute,

et dies mei malis operibus occupati jam effluxerunt, nec unquam judicii diem, ultionem et supplicium peccatoribus reservatum commemoravi. Tu, qui mansuetus natura es, et mitis, talis esto mihi, Domine, in illa die, in qua revelabuntur abscondita.

VI. Væ mihi! qui fragili isto ac fugaci mundo usus sum, ut voluptatis arbitrio, viverem non rationis. Ecce mihi adservatur merces in illo mundo, cui summa est cum æternitate conjunctio. Corpus multis commaculavi criminibus, et ideo me culpis manet sceleribusque debita retributio. De me praviter conquerentur et flebunt peccatores, qui mei similes extiterunt.

VII. Tremendus est judicii tui dies, Redemptor noster, in quo peccatorum obscuriores latebræ patefient; eapropter ingenti tremore ac stupore correptus sum. Cum peccata mea innumerabiliora sint, quam cuique credibile sit, idcirco, Domine, qui bonus es, et suavis, per misericordiam tuam indulge mihi.

VIII. Intuitus paulisper animo sum peccata mea quam gravia sint, et quam turpiter multiplicata; tum ingemui, et exclamavi: « Væ malitiæ meæ! Cum lingua mea loquatur firmiter, gubernatio mea vilis, præpostera, imprudens est. Væ misero mihi in die, quo scrutabitur Jerusalem in lucernis! »

IX. Diserti admodum et prudentes videntur aliis sermones mei, sed vitæ administrationem meæ boni viri summopere judicant contemnendam. Alios ordinem doceo, ipse vero errorem perpetuo sequor. Jure igitur timeo ignem, qui paratus est insipientibus.

X. Omnes trivi dies in peccatis, et defecerunt, ut ne per unius quidem usuram horæ justitiæ obtemperaverim. Antequam statuissem peccandi licentiam cohibere, neque ultra sceleribus superaddere, venit iterum malignus Ser-

pens, qui sua me invidia decepit. Hei misero mihi, quia sciens volensque incidi in ruinam!

XI. Pergens aliquando deambulatum in plateis, ut justus et sapiens habeor, et si videro hominem peccare, eum audeo irridere et subsannare. Sed proh miserum! quia cum revelabuntur mea debita, tunc erubescam!

XII. Utinam in lucem de matris utero non prodiissem, neque conceptus essem, nec hujusce mundi lubricas fallacesque illecebras adamassem, aut cognovissem : nullius enim delicti conscius forem, propterea impunitus ac liber pœnam et vindictam non extimescerem, nec judicii laqueos, aut supplicii acerbitatem reformidarem.

XIII. Postquam certam præteritorum scelerum pœnitentiam promisi, ut ab omni culpa vacarem, iterum in mala opera cecidi, quinimo lætatus sum eo tempore, quo peccavi. Væ mihi, quia non animadverti infernum esse mei similibus divinitus reservatum!

XIV. Lumen perspicuum est hic mundus justis, et ego ibidem in tenebris plusquam Cimmeriis ambulavi. Ab eo tempore, quo reus factus sum, et me non statui hoc mundo prudenter et religiose uti : ab eo, inquam, tempore timore crucior vehementissimo, quia parata est mihi retributio in illo die, qui pœnas est scelestis hominibus pares ac debitas illaturus.

XV. Declinavi, et odio habui viam rectam, quæ ducit ad vitam, et malui per illam pergere, quæ ad interitum et ruinam trahit. Eheu infelix, cum infremuerit ignis, et exarserit, ut comburat peccatores! Ubinam, Domine, ubi gentium abscondar a conspectu tuo?

XVI. Magnus est divitiarum thesaurus justis in cœlo hominibus præparatus, et ego pro divitiis cœlestibus rerum humanarum sordes ac vanitates dilexi. Existimabam terrestres opes ludicras non interire, neque immutari, et

ignoravi illius, quod futurum est, regni gaudia esse immutabilia.

XVII. Volavi intelligentiæ viribus ad Justorum fortunatas sedes, et postquam ædificii magnitudinem, atque ornatum accurate perscrutatus sum, reversus peccatorum tabernas animadverti : illorum beatitudinem admiratus sum, horum autem calamitatem deploravi, dixique mihi : « Eheu qui luctus ! quæ suppliciorum genera improbitati meæ parata sunt !

XVIII. Mea me voluntas impurissima pessumducit ad scelera, et cum pecco, accuso Dæmonem. At hei mihi, quia illi occasionem vincendi præbeo, quoniam nullam ipse vim inferre cuiquam potest ! Sponte delinquo, cur ergo illum insimulo ?

XIX. Invoco te, Deus optime, suscipe preces meas, ut Simonis, et peccatricis lacrymas excepisti, quia non negavi nomen sanctum tuum, et licet multo magis peccassem, quam omnes homines, quia tamen tui me cultorem confessus sum, tu confitere me tuum esse filium, et miserere imbecillitatis meæ.

XX. Propitius esto mihi, pœnitentium amator, et injurias, quibus te lacessivi, oblivione contere, ob insignem tuæ gratiæ largitatem ; suscipe demum lacrymas, quas tibi offero, ut indulgeas mihi, quemadmodum peccatrici indulgere non recusasti. Quod peccavi, Domine, non inficior, sed misericordiam tuam imploro, ut me incipias iterum, sicut solebas antea, consolari.

XXI. Annue, Domine, votis meis, quæ supplex offero Majestati tuæ, et meas ablue maculas per clementiam largitatemque tuam, et ne ingrediaris in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Tibi soli peccavi, tu potes unice præsidium ferre, quod multum habeat roboris ac firmitudinis.

XXII. Ingrediatur deprecatio mea ante conspectum tuum, et aperiat paradisi portas ante faciem meam, ut excipiar in sinum Abrahæ, et tua luce perfruar cum Justis, qui dilexerunt te, et psallam tibi gloriam cum omnibus Sanctis tuis.

PARÆNESIS XXVI.

I. Huc, fratres charissimi, vos ferte et mecum misericordiam quærite, dum nobis integrum est illam impetrare, et veros agere pœnitentiæ fructus; in illo enim mundo, quem æternitas intuetur, neque lacrymis superest, neque deprecationi locus.

II. Lacrymis, quas peccatrix obtulit, suorum criminum atque damnationis chirographum discerpsit; has tecum sume, peccator, et accede cum gemitu, et clama ad Dominum, et ipse subito tibi benigne annuet præstolanti.

III. Si moram feceris, scelerum fortasse fluctus elevabuntur, quibus ipse quotidie demergeris, planeque absorberis. Ad te, Domine, clamo, mansuetudinis ac clementiæ parens, extrahe me naufragum et ejectum, qui peccatorum impetum sustinere non potui.

IV. Lacrymarum munus offer, pœnitens, Christo Domino, et tuum concute pectus instar evangelici publicani, cum singultu repetens: « Propitiare, Domine, peccatori, qui te ad iracundiam concitavit. »

V. Ecce aperta est janua clementiæ, ut te excipiat, o peccator! Quid cunctaris occupare fores? Expergiscere, et converte te ad Dominum tuum. Qui vero jam reversus es, derelinque prorsus obscœnam viam, et semitas regni ingredere; si ingrederis curre, si curris advola.

VI. Væ mihi, inquies, quam crudelis ac molestus est laqueus, quem mihi osor meus malignus tetendit, quo me implicavit, effecitque, ut ad flagitia me convertens, homo perfrictæ frontis improbissimus, ac miserrimus evaderem.

VII. Totis artubus contremisco a conspectu judicii, quod, hac mundi fatiscente machina, habendum erit; scio enim, ac probe intelligo, peccatores igne probatum iri. Me miserum, si devorator ignis perscrutabitur cor meum, quia peccata mea nescio quid arbitror immensum esse ac infinitum!

VIII. Contaminatus iniquitatis spiritus effluxit in te, anima mea, et medicinam si diutius protuleris, te totam corrumpet. Medicus tuus sapientia est, tuum illi vulnus ostendito, et Salvatoris commovere misericordiam contendito, ut tuis medeatur ulceribus.

IX. Pastor omnium amantissime, qui tuam pro nobis animam obtulisti, crucemque pati, et mortem ipsam, ut me redimeres non recusasti, eripe, quæso, animam famuli tui a suorum delictorum multitudine, ut gratiarum actiones rependat tibi et Patri tuo, tum Spiritui quoque tuo, qui sanctitatis est auctor et charitatis.

X. Delicta mea, quoddam veluti pelagus, me maximopere terrent, et renes meos horrore complent, ac metu inenarrabili. Eheu quam impudens, quam tetra juventus in terra fuit atque senectus mea! Tu, qui indulsisti ipsi latroni, indulge mihi, et dele crimina, quæ tibi singula innotescunt.

XI. Sacerdotii dignitas mihi talentum suppeditavit, sed ob animi dissolutionem illud ego in terra abscondi. Væ mihi cum judex advenerit talenti a me rationem repetiturus! Qua tum ipse excusatione utar, cum servus piger extiterim nullosque fructus ex argento mihi divinitus tradito comparaverim?

XII. Quo vadam a conspectu tuo? aut quis erit perfugii locus, ubi me abscondam? Terrent mea me delicta, planeque exanimant, quia nimis invaluerunt. Sed si jubeas, Domine, et delicta condonabuntur, et peccata mea unico non dicam verbo tuo, sed nutu singula remittentur.

XIII. Ecquis erit, qui imbecillitatem sublevet meam, si Christum medicum destituero? Quis infirmitati consulet tam feliciter, quam totius humani generis Reparator? Tu, qui permultos sanasti ægrotos, et perditos, animæ sanitatem redde, quam peccata affatim corruperunt.

XIV. Veniant super me misericordiæ tuæ, Domine, ut promisisti, et ipsæ mihi opem suppeditent; sic enim meos conteram adversarios, misericors etenim es, et omnium pœnitentium redemptor.

XV. Sustine brachio tuo imbecillitatem meam, potentissime Domine, et invidia malignus prorsus tabescat, quando me in pristinum viderit restitutum confirmatumque, et erubescat, ac e meo conspectu recedat; ego autem surgam, et misericordiam tuam in æternum cantabo.

XVI. Opera mea mala fecerunt me alienum a te, Domine; tu tamen exaudi, Redemptor meus, ut illam peccatricem Mariam : suscipe singultus meos, ut illius lacrymas exaudisti : remitte mihi stultitiam meam, quæ nimis jampridem invaluit, atque inveteravit.

XVII. Quoniam patent fores tuæ pœnitentibus, aperi mihi, Domine, januam misericordiæ tuæ, ut ingrediar, et petam a te criminum remissionem, quæ jam supergressæ sunt caput meum.

XVIII. Extremis in periculis et angustiis crux tua sit perfugium mihi, ut ad te transeam; « Satiabor enim, cum » apparuerit gloria tua [1], » et gratias agam misericordiæ,

[1] Psal. XVI, 15.

quia magnifice mecum egit peccatore omnium impudentissimo.

XIX. Suscipe infirmitatis meæ lacrymas, et ratas effice petitiones meas. Dele delictorum meorum chirographum, et confundetur malignus, videns illud clementiæ tuæ patrocinio deletum, ut non amplius me deterreat æternitas.

XX. Misericordiæ tuæ divina vis ad roborandam animi mei imbecillitatem studiose properet, et ab infensissimo meæ salutis hoste eripiar, et ex ipsius sævissima tyrannide ereptus, ad solium tuum accedam tecum in æternitate victurus.

XXI. Pœnitentium vocibus aures tuæ pateant, Domine, neque tibi molestus sit clamor meus, et accepta pœnitentiam atque orationes meas, et ratas habeto petitiones meas de thesauro tuo, qui misericordiis omni tempore locupletissimus extat.

XXII. Gratias agat tibi, Patrique tuo, et Spiritui sancto quam maximas peccatrix anima, quæ contritionis lacrymis purgata, ad pristinam venustatem redacta ac restituta est, et tabernaculum facta est, ubi seculorum creatrix potestas suam sedem libentissime collocavit.

PARÆNESIS XXVII.

I. O mundi levitas et inconstantia, quæ nulli vel adjumento, vel præsidio iis es, qui tibi adhærent, sed amatores sectatoresque tuos omnium voluptatum illecebris aucuparis, et in extremo vitæ momento in inferno conculcas pulchrorum speciem, et gigantum vim; væ illi, qui ad tua

castra se confert, et quem tu amore prosequeris ; quoniam gaudia ejus luctus occupabit et ululatus !

II. In mundo, hoc est, in alto funestoque peccatorum gurgite facti sunt omnes dies mei otiosi, completa est inutiliter vita mea, et factus sum sine lucro, quia ad mei interitus horam nunquam mentem converti. Cucurri, et iniquitatum gravissimum mihi onus imposui, et zizania, ac tribulos incendio prorsus convenientes collegi, et ecce superest mihi doloris ac tristitiæ maximum argumentum in illa regione sollicitudinis ac timoris plena.

III. Thalamus luminum, ad quem divinitus vocatus eram, ne in cogitationem quidem meam cecidit ; sed prætereuntis hujusce sæculi illecebris captus, æternum gehennæ incendium mihi potius comparavi. Cœlestem illam habitationem omnibus redundantem suavitatibus commutavi cum regione plena sollicitudinis, atque interitus. Et ecce mihi imminet dies, in quo judicaturus est omnia ille Rex, qui scrutatur renes, et manifestat abscondita. Sponte mihi ignem, et incendium paravi. Misericordiæ tuæ, Domine, spargant super me rorem, qui flammas potest aut extinguere, aut mitigare.

IV. Quia dilexi te, mundi vanitas, a pueritia ad ultimam usque senectutem, ideo dilapsum est vitæ meæ tempus, et non sensi, et mors meis me in criminibus deprehendit. Utinam in te ingressus nunquam forem, tuorum seductor omnium incolarum ! Amatoribus tuis nulla veri gaudii ac lætitiæ materies affulget, nec osores tui te deseruisse affligantur. Beatus ille, qui rete tuum discerpsit ; gaudiorum siquidem thalamum hæreditabit.

V. Hic mundus decipit sapientes fictis bonorum integumentis, et copias, facultates, commoda, aliasque illecebras offert, et possidendas præbet, quæ tamen omnia tollit in die obitus. Imparem peccatis pœnam tribuit, quandoqui-

dem peccandi potestatem facit brevem, et hæreditandas relinquit tenebras ac supplicia sempiterna. Æquissimum est judicium tuum, integerrime judex; te tamen animi demissione, qua possum, maxima obtestor, ut mecum velis non tam judicem agere, quam parentem.

VI. Væ tibi doloris habitatio et luctus, quæ hæreditatis nomine amicis tuis ignem tormentum, ac horrorem impertiris, proximisque tuis dolores et suspiria reddis, præterea nihil! Mendacia verba tua sunt, nocentes consuetudines tuæ; jucunda somniantibus es voluptas, intolerabilis vigilantibus amarities. Beatus, qui te odio habet, et quem tu minime dilexisti, cui servata in cœlis est corona victoriæ immarcescibilis.

VII. Justus es, et recta judicia tua, Domine, in æternum. Hæc regio peccatores occultat; sed illa, quæ invisibilis est, eosdem per ora omnium traducit. Ibi cum æquitate conterentur filii Adæ, quorum supplicium erit peccatis par. Lux jucundissima iis affulgebit, quorum animus præclaro virtutum ornamento instructus fuit, atque expolitus; eos contra sempiternæ obruent pœnæ, qui intemperanter, flagitiose, nefarie vixerunt.

VIII. Peccabam quotidie rebus creatis immoderate abusus, et libidinis ac voluptatis sitim ardentissimam explebam. Occurrit mors, suoque me ferro prostravit, et ecce rapit me ad mortuorum obscuras sedes. Quid reliquum mihi est, cum contracta atque imminuta sit vita mea, et infernum adire ac in jus venire quantocius compellar? Judex ad ultionem sollicite, tua mecum misericordia utere in die judicii.

IX. Seductus sum, ac improborum vestigia demens sum consectatus, nec meam unquam subiit mentem æternitatis recordatio. Deserui semitam virtutis, et post vanitatem incessi. Væ mihi, quia dies accedit retributionis, et indu-

menta mea sunt ad insaniam sordibus inquinata. Gratia tua protegat me in illo die ab igne insipientibus destinato.

X. Dextera tua, quæ plasmavit Adam, et Simonem traxit ex fluctibus, ipsa extrahat me de tempestatum periculo; quia mundus in me concitato agmine fertur, et suis me turbinibus suffocavit, nec dedit mihi, ut in tutum ascenderem et libere respirarem. Crux tua, Domine, columen mihi fiat, et se ducem præbeat in itinere maximis undique difficultatibus ac periculis circumsepto.

XI. Me non solum piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet, quia infra mortuos amandatus oneribus aggravor peccatorum. Chirographum, quod æquitas conscripsit, me prorsus exanimabit in die resurrectionis. Væ mihi in tempore, quo publice legendus erit adversum me liber et scelerum et flagitiorum: unde divulgabuntur maculæ sordesque meæ, et ego ad sinistram infelicissime propulsabor. Esto mihi, Domine, lumen in tenebris.

XII. Divitiæ et bona, quæ obtinui, dum adhuc vita suppeteret, mihi e vivis sublato se comites non addiderunt. Quemadmodum enim in lucem prodivi nudus, ita pariter nudus abscessi. Nudus in ipsam mortalium arcem ingressus sum, et nudus ad judicium, et gehennam proficiscor; neque alios habeo socios, qui me ad judicium comitentur, præter opera, quæ patravi.

XIII. Quam pulcher ac formosus est mundus ad interitum natus! Comparandus profecto videtur grosso, consurgere solito mense aprili, qui postquam germinavit rore et pruinis, percutitur calore æstivo, et exsiccatur; sic plane humanæ vitæ arbori ut plurimum accidisse experimento didicimus, quæ statim ac mundi hujus rore humectata in infructuosum atque inutilem truncum excrevit, venit mors, quæ immenso æterni ignis calori exsiccandam objecit. Præsta nobis, Domine, ut pœnam hujusmodi fu-

giamus, et te præside, teque auspice, provehamur in illas sedes, ubi æqui sanctique homines non quiete, non æquabiliter, non tuto solum, sed bene etiam beateque vivunt.

XIV. Divinitatis in cœlo aspectus multo profecto spectabilior est, et lucidior, quam omnia mundi lumina, et rex ille siderum ac moderator sol; idcirco tenebricosissima sit ac prorsus cæca earum mentium acies necesse est, quæ nunquam ad jucundissimam paradisi lucem sese convertunt; quia eas tenebræ circumquaque obnubilant, ne tantam altitudinem, pulchritudinemque perspiciant. Ii, qui infixi sunt in limo profundi, et quorum perstricta atque obcæcata visio est, oculos suos statuerunt declinare in terram. O lux sole splendidior, affulgeas mihi, obsecro, ne in obscurissimam inferni regionem ferar.

XV. Stultus est mundus cum filiis suis, qui peccatores sunt et formidolosi, ac commoti tempestatibus suis. Quotquot in eo sunt, in sceleribus volutantur, nec quiescunt, donec mors finem iis imponat, et ad incendium eorum fraudes amandet. Patens est guttur iniquitatis, et veritas conticescit, insipientia apparet, veritas latet. Obitus autem ordinem rebus imponet omnibus, ac in vero lumine collocabit. Beatus ille, qui in mundo vitam traduxit, nec ejus illecebris irretiri se passus est.

XVI. Mundus tumultuans magnis fluctibus est, et Oceano procellosior. At tempus aderit, quo quiescent tempestates ejus, postquam scilicet peccatorem ad naufragium compulerint. Mundus diuturnis libidinum fluctibus agitatur, et spiritus falsitatis inflat terras. At modo judicium aderit, et accedet dies, quo mendacii spiritus et libidines conquiescent. Beatus ille, qui non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram, nec ullum cum improbitate fœdus inivit.

XVII. Apertum est pœnitentibus ostium, et non est

tempus, in quo non audiantur; clemens namque Dominus qualibet hora pronus est, ut necessaria remedia et scelerum expiationem nobis largiatur. Ecce in immensum prope calamitatum gurgitem projecti sumus, et accessit judicium, quod fiet sine misericordia. Concede nobis, Domine, ut vigilemus in deprecatione, et petitiones nostræ humaniter excipiantur.

XVIII. Egressus sum de parentis visceribus maximam lacrymarum vim atque copiam effundens; protinus meam infantiam excepit error, qui me facile illaqueatum post vanitates abduxit. Exivi de tenebris ad tenebras peccati; occurrit mihi mors, et in tenebras longe obscuriores impulit, et ecce corruptio formæ pulchritudinem depravavit, et tenebræ ad retributionem parantur.

XIX. In timore sum maximo, quia nudus mari me committo, quod omnibus naufragii periculum minitatur. Descendi miser in illud ad mercaturam, ut ipsius ope atque beneficio pecuniam coacervarem. Ipsum vero fluctus suos erexit adversus me, et absorpsit me tempestatibus suis, steteruntque inter fructus ejus anima, et bona. Prodivi nudus in principio, et nihil mihi in exitu suppeditavi.

XX. Timorem parit ac sollicitudinem sane maximam iniquitas, quæ mundum efficit habitationem tristitiæ, ubi multo quam fluctus, periculosiores sunt cupiditates exardescentes ad incendium. Retia ejus et laquei, peccata scilicet et delicta, quæ onera sunt gravissima, vinctos tenent ministros ejus mox ad interitum capiendos. Atqui, mundo valere jusso, virtutem unice amplectuntur, eorum navis in portu libere conquiescit.

XXI. Primo quidem aspectu pulchra, ac delectabilia sunt tempora et momenta tua, o voluptas, sed tanquam fumus illico evanescunt. Mundi honor depictus es tanquam somnium transiens, et dies tui in similitudine umbræ. Ves-

per tuus non durat, et mane tuum avolat, Effluunt horæ tuæ, ut statim in occasum inclinentur. Dum tibi lumen diei suppetit, peccator, ad consequendam remissionem propera.

XXII. Rectum est judicium, et integerrimus judex, cujus ad tribunal expenduntur, uti decet, singulorum hominum opera in statera. Afflictabuntur in illo die improbitatis cultores; contra vero lætabuntur justi in illa regione, in qua prosperandi sunt bonis. Et me, Domine, qui in meam aliorumque utilitatem adversus mundi illecebras huc usque dixi, inter electos tuos recensere ob gratiam tuam ne dedigneris.

PARÆNESIS XXVIII.

I. Divinus ille David citharam tractare occœpit, et ea personante, Psalmos composuit, inter quos hæc habentur verba: « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Do» mini. Beati, qui scrutantur testimonia ejus[1]. »

II. Redemptor vero noster vitæ beatitudinem annuntians, ita locutus est: « Beati mundo corde, quoniam ipsi » Deum videbunt. Beati, qui lugent, quoniam ipsi conso» labuntur[2]. »

III. Qui mundum, et vanitates ejus aspernantur, suasque concupiscentias et otia flocci pendent, iis in annuntiatione vitæ bonorum retributio, thalamus non transiens et vita indeficiens promissa est.

IV. Eadem porro merces iis etiam asservatur, qui genus, et parentes, et divitias, et possessiones reliquerint in

[1] Psal. CXVIII, 1, 2. — [2] Matth. V, 5 et 8.

hoc mundo pro charitate Domini sui; illi namque sententiam hanc radicitus attingentes: «Beati scilicet pauperes » spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1], » templa Spiritus sancti fecerunt corpora sua, et concupiscentias, ac vitia et cupiditates laboribus ærumnis, acribusque conflictationibus superarunt, et ob amorem Domini sui oderunt vitam, crucifixerunt animas et corpora sua, et orationibus nullo unquam tempore intermissis, omnium Creatorem mitigarunt; viderunt mundum prætereuntem, et detestati sunt concupiscentias ejus, quæ similes somnio sunt. Væ illi, qui mundum possidet, et ab ipso misere possidetur.

V. Promisit Dominus in Evangelio beatitudinem iis, qui diligentes sunt ac vigiles in ministerio ejus. Dexteram suam porrigit, et dat eis mercedem, eosdemque ad mensam vitæ secum accumbere jubet. Coronas imponit illis, ut in thalamo delectentur, eo quod defessi sunt cum illo a mane usque ad vesperas.

VI. Ad Jerusalem, quæ sursum est, volant, et exaltantur ii, qui mandatis ipsius obtemperant, et ejus legem custodiunt. Cœleste regnum immortalitatis expectat, et respicit eos, qui in agone decertantes, superiores et triumphantes discedunt.

VII. Præsto adsunt, ut solent, Angeli, corroborantque athletas, qui fortes in acie consistunt. Desiderant Cœlites victorum occursum, et dant illis beatitudinem. Ingredimini, aiunt, laborantes, et a perturbationibus, quibus affecti fuistis, modo quiescite; vicistis enim, vicistis mundi improbitatem laboribus, quos tolerastis.

VIII. Paradisus suas pandit fores ante eos, ut in splendidissimas illas stationes ingrediantur, et ibi perpetuis fruantur deliciis. Splendet fulgor eorum ut sol, et pulchri-

[1] Matth. v, 3.

tudo ipsorum, sicut lux indeficiens, elucescit. Clamant modulis suis : « Benedictus es, Fili regis, qui non negas mercedem iis, qui tecum operati sunt. » Laus et gratiarum actio ab ipsis redditur Deo optimo maximo, qui corroboravit eos in certaminibus suis. Contritiones, et perturbationes, quas tolerarunt absque murmuratione, vitam illis præparaverunt in regno, cujus gloria est absque consummatione.

IX. Admirantur Angeli mortalium felicitatem, qui parem cum creaturis ipsis spiritualibus gloriam consequuntur. Gloria, et Spiritu sanctitatis explentur, qui humilitatem Domini sunt imitati. Diligit justos Pater, et Filius blanditur humilibus, et Spiritus sanctus inhabitat in eorum cordibus, qui virginitatem sedulo coluere. Vocat eos, inquiens: « Vos, qui ejecti, et expulsi estis propter nomen meum, » Venite, possidete paratum vobis regnum [1], » cujus cives nunquam deficiunt. »

X. Concurrunt optimi quique, illuc certatim confluunt, ubi jucunditatis plena vox exauditur, et justi etiam anachoritæ advolant per nubes in occursum Filii Domini sui, ut suscipiant ab ipso laborum suorum mercedem. Illi etiam, qui præ nimia sacrorum Codicum lectione oculos amiserunt suos, totisque viribus in divinorum præceptorum meditatione, atque executione incubuerunt, ascendunt ad illam Ecclesiam primogenitorum, quæ est in cœlo, et cum illustribus castisque sacerdotibus concinentes sibi mutuo gratulantur. Eorum animi divina prorsus atque incredibili lætitiæ voluptate gestiunt, corpora vero æterna in luce posita nec ullius jam morbi squalorem timent, nec mortis tenebras reformidant.

XI. Iis, qui, virtute sibi proposita, facere et pati fortia Christianum esse arbitrantur, et paupertatem divitiis ante-

[1] Matth. xxv, 34.

ponendam judicant, felicitas in cœlo est divinitus constituta, quæ neque improborum odio, neque invidia eripitur, nec tempestatum, nec temporum vicissitudine mutatur.

XII. Quam quidem felicitatem cum viri optimi consequentur, tum squalor erit et ægritudo maligni serpentis maxima, quod præclara Sanctorum corpora ne leviter quidem obscurare potuerit, neque potestas sibi cum iis decertandi relicta sit, qui nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis, hominibus a natura datam cum probe scirent, ideo temperantiam in deliciis habuerunt, existimantes tum magnum vectigal parcimoniam esse, tum summas in abstinentia divitias esse positas. Videbant enim nec, libidine dominante, sapientiæ locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere. Itaque non divitiis cum divitibus, sed cum modestis pudore, cum innocentibus abstinentia certarunt.

XIII. Non mirum igitur, si communis bonorum omnium hostis, eos dum intuetur, immortaliter dolet, quia et confringi laqueos, et fraudes pervulgari suas ab iisdem impune sensit : et se propterea victum profligatumque videt, eos autem ad immortalitatis sedem evectos, ubi veris summisque bonis, nullo adjuncto incommodo, incredibiliter gaudent. Quidni itaque pestis illa immanissima præ tristitia corruet, cum Justos viderit invidiæ suæ, suisque fraudibus superiores?

XIV. Hæc ipse mecum cogitans, facere nullo modo possum, quin te, Domine, vehementer orem, ut velis hic mihi lacrymas impertiri, quibus maculæ deleantur sordesque meæ. Me virtuti inimicum atque infestum fuisse fateor, sed ut fatenti parcas, et fores pulsanti tuas misericordiæ thesauros ut aperias obsecro atque obtestor.

XV. Manifesta sunt tibi turpiter a me gesta, et vulnera patent mea : tu mecum illa, qua datur homini ascensus in

cœlum, misericordia utere. In te, Domine, protegar, ne abjectus, contemptus, despectus ab omnibus in luctu jaceam, cum medicinæ faciundæ locus non erit.

XVI. Peccavi, nec inficiari audeo; nunc ecce id posco, ut effundas in me misericordias tuas, et redemptionem mihi tuam impertiaris. Absit a gratia tua, Domine, despicere peccatores detestantes iniquitates suas, et ad ovile tuum redeuntes. Gratias agam et ore et lingua munificentiæ tuæ, amator pœnitentium, et propitiator peccatorum. Clamabo inter populos, et cautionem ac fiduciam præbebo omnibus peccatoribus, qui me secuti sunt errantem. Si misericordia mihi adsit tua, et ideo indulgentiam adeptus fuero, clamabo ad te quotidie inquiens : « Tibi laus et gloria, Deus optime, sempiterna. » Vos interim, oro, atque obtestor, quibus mundi fraudes compertas efficio, ut a Domino nostro Jesu Christo pro me peccatore veniam imploretis.

PARÆNESIS XXIX.

I. Quid peccato tantopere indulges, anima amabilis et chara, quin judicii diem tecum unquam cogites? Te equidem latere non arbitror commutationem, quæ tibi extemplo eveniet, et rationem, quam de singulis operibus, et peccatis, quæ in hoc mundo admisisti, mox redditura es. Surge ergo, illacrymare, ne suspiria inania fundere in inferno cogaris.

II. Me miserum, fratres charissimi, quia extincta est lampas mea in convivio, et a Domino meo jam longe remotus, in tenebras impellor exteriores, ac propter scelerum

fœditatem vilis sum Angelis, et comes Satanæ ! Væ si sederit æquitas, et judicaverit me ! Confundar utique cum maligno.

III. Ecce montes et torrentes et colles increpant me, quia pœnitentiam protraho, et scopuli lacrymant, et vitam deplorant meam gemitibus tristissimis, et nos etiam stimulant, ut secum effusis lacrymis ac singultibus comploremus, et imitemur Jeremiam prophetam clamantem : « Væ si dederint simul, et fleverint infirmitatem meam miserrimam ! »

IV. Arguent et increpabunt me omnes colles, quia factus sum fœtidus et bonorum omnium expers. Decebat omnibus momentis meis protegi verbis Spiritus sanctitatis. a qua me prohibuit rebellis proditor. Voluntate mea depravata atque in deterius in dies prolabente, ei morem gessi, et vestigia secutus sum illius, qui pessimus est ab adolescentia sua, et qui, si voluissem, statim a me recessisset.

V. Væ mihi, amantissimi, atque charissimi fratres, quia fœdus cum scelestis inivi, et ecce egestas, ac calamitas, in quam incidi, vilis est omnibus, qui me intuentur; opem enim petebam, et nullus mihi opitulaturus accedebat. Ingemiscam absque mensura, et flebo absque quiete, et lacrymas effundam cum dolore, ac tristitia, eo quod factus sum habitaculum malorum, et vacuus sum bonis.

VI. En me omnes sancti ac beati conspiciunt, et ut ipsis associer invitant; at ego nullas fudi lacrymas pro delictis, quæ multiplicari cœperunt a teneris unguiculis. Lugeant me honesti omnes et sancti; factus enim sum alienus a thalamo gaudiorum.

VII. Fratres charissimi, dementiam, quotquot adestis, lugete meam, quia longe abfui a dilectione vestra. Ecce scopuli, in quos illisus sum, meam conditionem miserantur; quippe qui me otiosum, atque a virtutis calle longe

errantem inspexerunt. Commoti sunt super me cum horrore et clamore valido, quia non præparavi subsidia ad viam æternam, et emolitum non est cor silicis, quod a teneris annis obdurescere incœpit.

VIII. Væ ergo mihi, si æquitas in judicio sententiam mihi congruentem protulerit! En extemplo prope exanimis deficiam. Væ quoque vobis, fratres mei amantissimi, si ibi misericordiæ aberit locus, sicuti nunc est omnibus quærentibus illam cum gemitu ac singultu! Misericordia siquidem vitam, et gaudia unicuique, qui pœnitentiam obtulit, impertitur.

IX. Quam cito evanescunt, et quam celeres fluunt peccatorum dies! Non sufficient omnium ora et linguæ judicii terrorem improbo reservatum satis exprimere. Si tamen experrectus repente fuerit, et serio miserrimam suam conditionem consideraverit, lacrymandique nullum finem fecerit, tum gaudiorum thalamo perfruetur, et judicii severitatem effugiet.

X. Beatus ille, qui felicitati restitutus est, et iratum placavit Dominum mirifica pœnitentiæ efficacitate, et illuc se contulit, ubi veræ tranquillitatis portus apparet, et ereptus est a judicio, et igne, qui paratus est diabolo et angelis ejus; a judicio, inquam, illo, cujus sententiæ nullus est, qui audeat refragari. Beatus ille, qui Satanam nunquam audivit, nec præstitutum illi judicium est passurus.

XI. Beatus ille, qui mala sua omni loco ac tempore detestatur, et aversus est a malitia, ex quo meditari cœpit vanitates et scelera, quibus præsens mortalium sedes impurissima sordescit; beatus, inquam, quia ingredietur in atria tua, Domine, fruiturus cum electorum omnium choris in illo regno, quod nulli vel minimæ corruptioni, aut vicissitudini obnoxium est, sed deliciis abundat indeficientibus, ac divinis.

XII. At me miserum, fratres dulcissimi, qui libidinum ac flagitiorum omnium cœno volutatus sum! O cor silice durius, quod nunquam formidandus ille judicii dies timore perculit, in quo nullæ sunt misericordiæ, nulla remissio, neque ullus superest lacrymis, aut suspiriis locus! Væ igitur mihi, qui æquitate monitus scio quam late pateant ea, quæ intoleranda cum audacia ac petulantia sunt a me commissa et perpetrata!

XIII. Cum me, Domine, pereuntem vidit charitas tua, passa non est ut ab æterna felicitate perpetuo exularem. Quapropter ex altissimo majestatis fastigio descendisti, et salutiferæ tuæ nativitatis, passionis, et crucis beneficio memetipsum a dæmonis tyrannide eripuisti. Ego tamen injurias pro officio reposui, et non intermissa peccandi licentia, mitissimum tuum animum per audaciam singularem exulceravi. Proh me infelicem et omnino perditum præ multitudine scelerum atque malorum!

XIV. Ecce dolens ploravi, et lacrymarum maximam fudi copiam, tacitus mecum animo volvens ignem mihi jam impendere in illa regione, in qua « Nullus ordo, sed » sempiternus horror inhabitat[1]. » In obscurissimam maximeque metuendam me adduxit foveam; natare per incendium coëgit; in tenebris et in umbra mortis me oppressit admirandum in modum ex terrore transitus ululantem.

XV. Ad tetros tenebrarum carceres animum adjeci; respexi ad dexteram Beatorum sedes, et ad lævam improborum stationes; tum vero vim ejulatibus superaddidi amare lugens, et clamavi cum gemitu et tristitia, ac mihi ipsi contemptui extiti et pudori. Me etiam atque etiam infelicem! Ecquid mihi est ab æquitate paratum?

XVI. Surrexi, et experrectus sum, et non liberum ab ipso me supplicio cernens, scidi indumentum meum, et

[1] Job. x, 22.

exterritus intima doloris magnitudine ejulavi, quem imbecillitati meæ video contigisse. Quid faciam igitur? In similitudinem peccatricis confitebor peccata mea, et madentibus oculis justitiam jure mihi iratam pro virili contendam flectere atque emollire.

XVII. Mei similes publicanos et peccatores ad pœnitentiam reversos investigabo, et cor meum excitabo letali in veterno jacens, ac prope sepultum, atque a vitiorum potestate, cui tandiu emancipatum est, vindicabo; pœnitentibus me adjungam socium, et cum iis super mea crimina ingemiscam, ne ad teterrimum judicium, et supplicia apud inferos omnia sustinenda compellat.

XVIII. Dignum me, quæso, effice, ut te, Domine, cordium nostrorum amorem diligam, cujus in aspectu Justorum lætitia ac beatitudo sita est, nec quidquam a te alienum expetam. Qui pœnitentes amplecteris ac peccatores, qui dolentes ac gemebundi stultitiam suam improbant, humanissime excipis, præsta ut optatissimum sanctorum exitum, quorum in benedictione memoria est, mihi sortiri contingat.

XIX. Deus, tua te charitas eo impulit, ut de nihilo me creatum cœlesti pulchritudine decorares; ego autem ingrati animi vitio laborans, tui oblitus sum, et Satanæ obtemperans cecidi a pristina illa gloria speciosa ac delectabili in lutulentissimum fœditatis obscœnitatisque gurgitem. Væ mihi : « Quia, cum in honore essem, non intellexi [1], » et ideo æternis ignibus torquendus ero.

XX. Te supplex, Domine, per crucem tuam contestor, ne debitas de meis sceleribus pœnas sumas, neque coram majestate tua confusum assurgere patiaris; secus enim præ timore concidam exanimatus. Imo te mihi placatum exhibe, ut filio Jesse, cui liberationem culpæ, et errati veniam con-

[1] Psal. XLVIII, 13.

cessisti. Obsecro te, ut per illum funestissimum diem, quo immanissimi carnifices te arbori suspenderunt, benevolentiam in me tuam augeas quotidie magis.

XXI. Ignorant Cherubim cui comparanda sit illa virtus in ipsis habitans, quæ licet ab eorum conditione quam longissime distet, ea tamen ipsi divinitus illustrantur. Benedicta est virtus, quæ tam altis in ipsorum mentibus radicibus infixa est, ut nullo unquam modo labefactari queat. Gratias tibi habeant maximas cœlestes Vigiles, gloriæ tuæ participes, et cum Maria matre tua superiores omnes et inferiores tibi cum laudibus gloriam offerant omnibus horis.

XXII. Insurrexerunt Martyres, qui propter Regem gloriæ strenue decertantes in ipso pugnæ æstu animam efflarunt. Oderunt vitæ usuram propter illius spem vitæ, quæ nullo temporis spatio circumscribitur; nec tormentorum acerbitatem extimuerunt; quinetiam eo virtutis devenere, ut cruciatus, vulnera, mortem denique ipsam contempserint. Quapropter interminabilis vitæ beatitudo, et thalamus luminis non deficientis illis divinitus asservatur.

XXIII. Ecce in terram redeunt et in pulverem mortales quotquot ex Adamo profecti sunt, et resurrectionis vocem sollicite expectant, ut ad vitam sua corpora cum immortali gloria excitentur. Defuncti, Domine, qui stola candida induti sunt in baptismate, et pasti sunt corpore tuo, et vivo tuo sanguine potati sunt, resurgent olim in latere dextero, et in beata immortalitatis sede Angelorum gaudiis perfruentur.

PARÆNESIS XXX.

I. Hoc mihi impertire, Domine, ut si pervigil noctes traducam, in tuis oculis castus atque integer consistam; si vero obdormiam, omnis prorsus sceleris expers sit somnus meus. Si vigil in culpas offendam, sine, Domine, tua me clementia expiari; si autem sopore correptus peccavero, tua mihi adsit propitia benignitas.

II. Somnum mihi concede tranquillum, et curis omnibus ac sollicitudinibus vacuum ob crucem et humilitatem tuam. Turpia illa ac turbulenta, quæ mentem agitant, insomnia, ut a me arceas, supplex posco, perque totum nocturnæ quietis intervallum mihi præsto adsis, ne obscœnis cogitationibus animus deturpetur, ac pessimi veteratoris fraudibus deludatur.

III. Vanas ac perniciosas a me cupiditates remove ob vivificum corpus tuum, quod sumpsi, et pro infirmitate mea sanguis excubet tuus, ut, omni prorsus abjecta formidine, somnos capiam placidissimos. Animæ autem meæ, quam tui pene similem procreasti, pulcherrimæ tuæ formæ præstantiam redde, quæ in corpus etiam, quod tuis manibus efformatum est, mirifice trajiciatur.

IV. Miserationibus tuis, inexpugnabili veluti scuto me undequaque circumda; maxime vero te etiam atque etiam oro, obtestorque, ut cum somno reficior, immanem generis humani hostem retundas, ob Genitricis tuæ preces et merita, et ob incruentum ac salutiferum illud sacrificium, quod pro omnibus æterno Patri in ara crucis sanctissima obtulisti.

V. Quod mihi pollicitus es, perfice, Domine, et custodi

vitam meam crucis tuæ præsidio; sic plane fiet, ut tandem experrectus, tibi debitas laudes referam cum iis omnibus, qui placido fruuntur somno, et qui vigiliis ac laboribus cum infensissimo animarum adversario decertant. Tibi gloria, Domine, qui nunquam obdormis, et mihi maxime imbecillo tua charitate opitulatus es, et me vigilem ad tui gloriam effinxisti.

PARÆNESIS XXXI.

I. Suscipe demissionem nostram, mitissime Deus, et te tuo populo placatum exhibe, nec nos increpes in ira tua, neque consurgas adversus nos; multorum enim nobis ipsis conscii criminum sumus, ac flagitiorum. Te iratum immensæ misericordiæ flectant, et quam nos innumeris obstricti peccatis tibi offerimus in odorem suavitatis, hostiam benigne excipe. Sacerdotum, qui sacro altari tuo ministrant, dignitas pertingat, oro, ad illud usque fastigium, ad quod summus sacerdos Aaron fuit olim evectus.

II. In immensum, Domine, iniquitatis mare demersus sum, atque ipsius fluctibus huc illuc impulsus a via mandatorum tuorum quam longissime aberravi. Idcirco in ingentes calamitates ac sordes incidi, quin aliquis vel minimo me præsidio juvaret, aut effrenatam animi licentiam coërceret. Te, Domine, supplex invoco, sicut Simon in mari; et quemadmodum ipsum ex redundantibus fluctuum vorticibus sartum tectumque ad te traxisti; ita me quoque a meorum criminum ingenti pelago, ab inferni carcere, et a vermi, qui nunquam moritur, eripias, supplex contendo. Maximas interim tibi gratias habeo, unigenite Fili Dei, qui

propter nimiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, ad filios hominum delapsus es, eorum redemptionem magnificentissime operaturus.

III. Mundi consortia consectatus sum, et mea mens nunquam perturbationis expers fuit, quandoquidem illud præ oculis semper habuit, quod mundo adhærentibus servatur incendium. Dolebant itaque, et vehementer angebar, cum viderem in flagitiis transactam huc usque vitam, eosque tunc beatos prædicabam, qui ad honestatis ac virtutis normam suos dies composuerant. Nunc vero tuam, Domine, imploro clementiam, ut mihi propitius sis, antequam meis mihi facinoribus coram metuendo tribunali tuo terrorem incutientibus in æterni squalorem carceris detrudar.

IV. Væ mihi, fratres charissimi, qui tempus trivi in captandis hujusce sæculi voluptatibus, neque unquam serio animadverti formidandum accedere diem illum, in quo Unigenitus Dei Filius e cœlo in terram iterum descendet, innumerabili cœlestium agmine circumseptus! Unusquisque tunc temporis ante ipsum consistet præ formidine plane exanimis, ut cujuslibet vel levissimæ culpæ Judici rationem reddat. Si me interrogaverit tam de latentibus, quam de manifestis criminibus, quid illi reponam? Sine, Domine, ob sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum, quem ego indignus suscepi ex sacerdotum manibus, ut indulgentiam consequar optatissimam.

V. Mundus, ejusque divitiæ, et opes nihil omnino sunt. Præterit ejus figura, et potentia deficit. Ipsius concupiscentiæ cito evanescunt, et somniantium instar, nihil inveniunt in manibus suis omnes viri divitiarum.

VI. Nobis, fratres amantissimi, semper ante oculos obversetur improvisæ mortis, judicii, et pœnæ, quæ in vitæ exitu scelestis capitibus imminet, funestissima imago. Et modo, dum tempus sinit, sic ad Deum cum gemitu ac

tristitia clamemus « : Mitissime Domine, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, placare, obsecro, nobis omnibus, qui peccavimus. »

VII. Cum Dei Filius cum potestate magna et majestate in cœli nubibus apparebit, ut mortuos ad vitam restituat, descendent cum eo omnes Angeli horribili tuba personantes, cujus clangorem omnes, qui in monumentis sunt, audientes, in momento, in ictu oculi, singuli ad vitæ diuturnitatem excitabuntur. Tunc thronus firmabitur, in quo Judex sedebit. Mox separabit malos de medio Justorum, bonos quidem regno, malos vero gehennæ perpetuo addicturus.

VIII. Deprecemur, charissima mihi capita, dum adhuc luce fruimur, misericordiam, ut in sæculo nunquam interituro illam inveniamus, et regnum hæreditario jure ingrediamur, hilarique vultu atque ingenti lætitia perfusi occurramus Domino cum iis omnibus, qui gratia ipsius ditati sunt.

IX. Domine, tuo vocis oraculo dixisti quondam : « Invo» cate me, et ego exaudiam vos[1], Pulsate, et aperietur vo» bis[2]. » En ad te clamamus, ut peccatrix illa in Evangelio laudata. Nobis, quæso, dimitte, quam contraximus, noxam, ob immensam clementiam tuam. Te obsecramus ea animi submissione ac verecundia, qua olim publicanus, et ea cum fiducia, qua filius ille omnis patrimonii dissipator patrem suum adiit; cum illo genuflexi, ac dolentes clamamus : « Peccavimus in cœlum, et coram te, Domine, tu modo nos, sicut promisisti, benigne excipe, et gaudium erit in cœlo coram Angelis tuis, et Angelorum principibus. » Tu, Domine, qui Simonis pœnitentiam ratam acceptamque habuisti, eam quoque excipe, quam tibi nunc offerunt famuli tui, et nostrum omnium miserere.

[1] Jer. XXIX, 12. — [2] Matth. VII, 7.

X. Agedum, peccator, qui præsentem Dominum injuriis lædere ausus es, intimo animi dolore affectus ad eum propera, et ipse acceptas injurias oblitterabit. Clama, nec cesses cum gentibus ad Medici ostium pulsare, eumque obtestans animæ illi vulnera ac cicatrices ostendito. Custodi deinceps linguam a malo, et labia tua, quæ ad Creatoris laudes celebrandas efformata sunt, ne loquantur dolum.

XI. Si peccaverit in te frater tuus, dimitte illi, et Pater cœlestis tibi pro sua miseratione dimittet, uti non semel ipse testatus est. Misericordia tua, Domine, nunquam nos deserat, sed delictis nostris propitietur, dignosque efficiat, qui æternis deliciis in tuæ Majestatis sede perfruamur.

XII. Quid ita, fili hominis, prætereuntis hujusce sæculi dolis te irretiri passus es? Cur inanes eas illecebras, quibus tibi tantopere blanditus est, quasi te veris possent felicitatibus cumulare, tam pronis auribus accepisti? Hoc tibi compertum esse velim hujusce mundi figuram veluti umbram evanescere, et tibi nihil profutura obsequia, quæ ipsi maxima præstitisti.

XIII. Mortalem te esse cogita, et horam vitæ novissimam studiose accurateque perpendito, neque te divitis illius evangelici recordatio prætereat, cui vel unica aquæ guttula, exigua scilicet ac nullius prorsus momenti in tantis ardoribus recreatio, est divinitus denegata. Opem largiter, dum vitam vivis, indigenis erogato, quia Christus tibi se amplum fore remuneratorem pollicitus est, dum ait: « Beati » misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur[1]. » Nam si te in pauperes præbeas misericordem, beneficum, liberalem, in resurrectionis die uberrimam gaudiorum segetem colliges. Quod ut certo certius consequaris, frequens erit deprecatio hæc tua: « Ne te iratum sentiamus pecca-

1 Matth. v, 7.

tis nostris ob gratiam tuam, Fili Dei, quoniam ad humanæ conditionem humilitatis descendisse te novimus et gratulamur. »

XIV. Imminet jam, ac prope adest fatale tempus, et terribilis illa dies non longius protrahetur, cum Rex regum Christus stipatus ingentibus Angelorum copiis est processurus, et ad montem Jebus cursum cum majestate maxima directurus. Hinc Angelis jussurus, ut sparsam ac circumfusam humani generis multitudinem in unam cogant, suoque ordine collocent. Postmodum, throno erecto, ac Judice sedente, omnes sententiam audituri suis operibus debitam circumstabunt. Num quæso, Domine, qui constitutus es judex vivorum ac mortuorum, tum ea mecum misericordia utere, cui nulla potest oratio par inveniri.

XV. Quo enim pergam? aut ubi me abscondam a vultu iræ tuæ, cum nullum inveniri aut excogitari queat tam in cœlo, quam in terra, aut in profundo, spatium, quod tuæ magnitudinis immensitate non impleatur? Ad te igitur supplex venio, quemadmodum fœmina illa, cujus est in Evangelio mentio, quæ vestimenti tui fimbriam apprehendens, illico ab inveteratæ ægritudinis molestia emersit. Eadem ferme ratione, ego etiam, quia crucem tuam apprehendi, et in ea omnes spes habeo collocatas meas, te oro, ut a sempiternis ignibus liberatum tua me misericordia collocet in sinu Abrahæ.

PARÆNESIS XXXII.

I. Antequam mea me crimina ad judicii tribunal properantem prævertant, meque reum, ac proinde pudore

obrutum coram Judice constituant, succurre mihi, et miserere mei.

II. Antequam tuas mihi fores occludas, et ardentissimis gehennæ ignibus adurat, succurre mihi, et miserere mei.

III. «Antequam frangatur hydria populorum ad fontem, »et rota temporis currat super puteum[1], » succurre mihi et miserere mei.

IV. Antequam fallaces virtutis imitatores dicant: «Domine, Domine, aperi nobis,» tuque eis reponas : «Nescio vos,» succurre mihi et miserere mei.

V. Antequam Filium Regis præeant Angeli vadimonium singulis constituturi, comparendique in judicio designaturi diem, succurre mihi, et miserere mei.

VI. Antequam in pulverem convertendus tabescam, et pristina formæ dignitas deflorescat, succurre mihi, et miserere mei.

VII. Antequam florentes annos abscindat mors, et letalibus dolorum cruciatibus prematur corpus, succurre mihi, et miserere mei.

VIII. Antequam obscuretur sol in aëre coruscans, lux tua atram, densamque meæ mentis caliginem dissipet, ut experimento discam nihil tam esse promptum aut paratum, quam miseris hominibus operam, curam, diligentiam. auctoritatem tuam.

IX. Antequam insonet tuba illa horribilis tui adventus nuntia, hoc a te, Jesu Salvator omnium, vehementer poscimus et obtestamur, ut quam semel suscepisti defensionem dignitatis nostræ, in ea non solum misericordiæ, sed etiam constantiæ causa fortiter perseveres.

[1] Eccl. XII, 6.

PARÆNESIS XXXIII.

I. Expavesce et contremisce, peccator, a judicii conspectu, atque supplicii, quod paratum est in inferno. Quære tibi remissionem in præsenti vita, et a Domino Deo tuo salutem etiam atque etiam exposcito. Tibi misericordiam para, antequam e vivis decedas, ne ab interitu ad pœnarum æternitatem gradum facias. Ingenti quisquis formidine corripietur, dum Judex judicandi materiem a voluntate sumet; is porro, qui justum se esse jactitat, judicii sibi conflat argumentum; contra vero, qui se reum ac pœna dignum ultro fatetur, misericordiam facilius ab Judice impetrabit. Væ inerti atque oscitanti mercatori, cujus talentum sine fructu sepultum jacet! Terror ingens tunc temporis animas occupabit, cum rationem erunt de omnibus suis operibus reddituræ. Oculos ad fratres convertet improbus et ad amicos, ut sibi suppetias ferant. Obliviscetur titulos, dignitates, opes, oblectamenta, cæterasque mundi illecebras, eosque infelicissimos arbitrabitur, qui præter id, quod est victui necessarium, plurima possidere laboraverunt.

II. Proh quam dura et deplorabilis ea divisio est, fratres charissimi, quæ fit a Deo in die judicii! Quo me conferam, ne tot tantisque calamitatibus atque angustiis intersim? Aut cujus consiliis, studiis, actionibusque nitar, quæ tutum mihi perfugium et auxilium suppeditare possint Quid agam mox judicandus, cum egomet in me tela converterim? Ignis æterni vim, et furorem quisnam oculus intueri, aut intellectus percipere valeat?

III. Vafer ac proditor diabolus me fefellit. At vero si de-

cipi humanum est, ne me, Domine, cum iniquis atque peccatoribus in infernum projicias, oro; sed jubeas me venire ad te in splendidissimas Beatorum sedes, quæ electis tuis paratæ sunt. Crux tua, Domine, me ad dexteram contendere laborantem sustineat.

IV. Pretiosissimum illud cœlestium clavium pignus, cui, Domine, commisisti? Apostolorum principi Bar-Jona, quocum ut thalamum tuum mihi communem facias, te obtestor, Domine; teque, oro, sanctissime Apostolorum cœtus, ut tua pro me auctoritas atque gratia deprecetur. Vos quoque, Prophetæ, appello, vosque, invictissimi Martyres, qui vestrum pro Christo sanguinem effudistis, imploro, ut mihi veniam impetretis. Tibi, piissime Jesu, confitebor, et tui nominis prædicationem cum sæculorum omnium memoria adæquabo. Tu peccatori in vitiis enutrito, et quod caput est, de æterna salute nihil plane sollicito, tu, cum judex adveneris, mihi veniam impertire.

PARÆNESIS XXXIV.

I. Domine, peccatorum salus, atque perfugium, parce nobis in die judicii, neque injurias, quas tibi summam per impudentiam intulimus, ulciscaris. In eo, inquam, judicii die nos ad Agni nuptias evocato. Cum cœlestes Hierarchiæ tui furorem vultus, majestatemque veritæ ante justitiæ solium constiterint, tum me terrore perculsum atque prostratum ne tuæ misericordiæ subsidio exuas. Nam licet nequam et improbus, tuas tamen laudes celebrare non destiti. Quando sapientum ora obmutuerint, et graviter vehementerque infremuerit virga judicii, aperi tunc, Domine, os

meum, quia nomen sanctum tuum palam professus sum. Quando nullus aderit aut propinquus, aut socius, qui vel minimo possit esse subsidio, et uniuscujusque gesta in quæstionem publice adducentur, tum mihi, Domine, defensor sis et patronus; « Ad te enim levavi oculos meos, unde » mihi auxilium obventurum confidi[1]. » Quando ignis furet, et quisquis in summa animi perturbatione versabitur, et qui tanquam aurum in fornace probatum non effulgebit, æterno ignis supplicio afficietur, tunc pietatis tuæ rorem effunde super me, ne igne voracissimo concremer. Quando mei similes timor invadet maximus, et ignis peccatores torquebit vehementissime, tum sis mihi, Domine, adjutor, et protector. Quando tuba horribili suo clangore mortalibus metum afferet inusitatum, et mercedem unusquisque accipiet suis operibus debitam, tum surge, Domine, ad defensionem meam; te quippe unum spectat spes omnis mea, et salus ex te nostra unice pendet

II. Quando igneum illud fretum ad ultionem infremet, is, qui navem scopulis ac procellis fractam atque illisam reficere neglexerit, fluctibus obruetur. Ego autem in te, Domine, veluti in tranquillo ac tutissimo salutis portu, cum electis tuis placide conquiescam. Quando improbi sinistram, probi vero dexteram occupabunt mox æternitatis gaudium ingressuri, dignum me, quæso, effice, Deus meus, ut ipse quoque illi beato gregi comes adjungar.

III. Domine superiorum gloria, et spes inferiorum, suscipe ministerium nostrum, et calamitatibus nostris opitulare. Indulge nobis, Domine, et parentibus nostris; nec parentibus tantum, verumetiam præceptoribus. Indulge nobis, iterum dicam, indulge nobis, et quotquot aut consanguineis, aut præceptoribus obstricti sumus; quietem vero et pacem tribue defunctis nostris, et iis omnibus, qui invicta

[1] Psal. cxx, 1.

animi constantia nomen tuum professi sunt, observandæque religionis studio ad corpus tuum et sanguinem frequenter accedere consueverunt. Singularis illa tua misericordia vincat improbitatem nostram, ut cum tuis agnis conjuncti tuum in ovile ingrediamur, et sanctis ordinibus ascripti majestati tuæ, quæ te maxime decet, gloriam retribuamus. Pateant omnibus, excludant neminem valvæ tuæ, o Jerusalem beata civitas, et vota, deprecationesque nostræ ante thronum Agni admissæ tum Dei parentis Virginis, tum Beatorum omnium intercessionibus misericordiam atque clementiam consequantur. Accipe, quod tibi offerimus, nullius sane pretii ministerium, et misericors nobis esto per obsequentissimos Angelorum choros, et Principum, quorum in te amor is semper fuit, qui esse debet. Suscipe orationes nostras, et iis, qui charitate tua, et fide fulti vitam laudabiliter impleverunt, in cœlesti thalamo æternitatis beatitudinem elargire.

PARÆNESIS XXXV.

I. Illum, Domine, furorem, qui in Israëlitas exarserat, summus tuus sacerdos Aaron compescuit, postquam tibi thus in odorem obtulit suavitatis. Thus illud pariter, quod hodie in honorem tuum cremarunt servi tui, gratum acceptumque tibi sit, et iratam in nos majestatem tuam permulceat, et tuum gregem expiet, qui nunquam de tuis laudibus conticescet.

II. Innumeras, quibus mea fœdata est anima, consideravi maculas, et obstupui; quinetiam ingens me cepit pavor, cum ad intoleranda supplicia, quibus devotus sum,

mentem converti meam, præsertim in die judicii, cum nullo habito ætatis, aut conditionis discrimine scelesta capita supplicio addicentur. Misericors et miserator Domine, propitius sis mihi, et clementiam jubeas de me tuam, non justitiam triumphare. Causam meam suscipiat mansuetudo, non furor, et gratiam tuam inflammato studio celebrabo.

III. Refugit animus, ac perhorrescit cum judicii, Domine, tum flagelli terrorem tui. Ecquis enim, vel ita innocens, aut usque adeo duræ frontis est, qui sustinere possit faciem tuam, cum pro tribunali sedebis? Quis non metu concidat, cum terrificis clangoribus buccina circumsonabit ferendæ mox sententiæ signum datura? Tuam, quæso, indignationem, Domine, cœlum et terra, et omnia, quæ in eis sunt, placatam nobis atque propitiam efficiant: nostram apud te causam suscipiat corpus tuum, quod sumpsimus, et ab æternis nos cruciatibus vindicet salutare, quo initiati sumus, baptismatis sacramentum.

IV. Tuas quotidie fores obsidet clamor adorantium te, ne nostrarum patiare, quas in maximis angustiis ad te fundimus, supplicationum vim esse irritam atque inanem. Te lacrymantibus quondam oculis invocavit peccatrix, ac repente non solum delictorum veniam, sed pacem etiam, et pacem veram consecuta est. Flectant te modo altarium pulvinaria sanctissima, et sacerdotum suspiria, qui pro ovibus tuis sibi commissis veniam impetrare non cessant. Propitiare igitur Ecclesiæ tuæ, quam ab initio possedisti. Quod refractarii sæpe fuerimus, ac contumaces, certum perspectumque nobis est, quorum scelera extiterunt et multo maxima, et plurima. At tu, bone Jesu, qui cum adhuc in terris ageres, pertransire benefaciendo solebas omnibus, tu ab altissimo majestatis fastigio, ubi tam pulchre sedes, misericors nobiscum esto, salutaribus nos undis ablue, et super nivem dealbabimur.

V. David, qui lapsus est in peccatum, statim ac tactus dolore cordis intrinsecus a te veniam efflagitavit, misericordia motus es super eum, et opprobrium ab ipso suum illico abstulisti. Quidni igitur Ecclesiam pariter, charissimam scilicet sponsam tuam, dum te supplex obsecrat, amplectaris, cum præsertim ejusdem filiis tuo vocis oraculo non semel dixeris : « Invocabitis me, et ego exaudiam » vos [1] ? » En te singuli invocamus, quemadmodum nos esse monitos voluisti. Quid ergo restat, nisi ut te profitearc non tam in ultionibus, quam in promissis et fide firmiorem ? Pateant itaque aures tuæ misericordiam, et opem implorantibus, neque diutius gratiam nobis deesse sinas, quæ una ex omnibus maxime est ad nos consolandos accommodata.

VI. Vix apud me præ verecundia sum, ac præ metu, cum tacitus mecum ipse memoria repeto gravissima illa verba : « Serve nequam, recede a me in tenebras exterio» res [2]. » Quod si cum tempus aderit lolium a tritico secernendi, perjucunda me voce illa : « Euge, serve bone et » fidelis, intra in gaudium Domini tui [3], » recreare volueris, id ego muneris eximiæ tuæ benignitati tribuendum unice ducam, ac magnifice prædicabo. Ne ergo, Domine, ne, quæso, me indignum efficias, qui ad cœlestis Agni nuptias adducar, solidam perfectamque animi tranquillitatem consecuturus.

VII. Singulare vas illud et admirabile electionis Paulus apostolus conscripsit ad primævos Christi fideles Epistolam, in qua aperte profitetur nos non habere hic permanentem civitatem, sed futuram inquirere ; noctemque processisse, diem autem appropinquasse, in qua manifestabit Judex consilia cordium, et aperiet librum, in quo omnium gesta cogitationesque singillatim notatæ reperiun-

[1] Jer. XXIX, 12. — [2] Matth. XXV, 26 et 30. — [3] Ibid. 21.

tur. Hinc separatione reproborum ab electis facta, aliis quidem cœleste regnum impertietur, alios autem æterno supplicio mulctabit.

VIII. Me jampridem ex delictorum cœno emergere conantem, ipsa peccata, quæ nimirum adversum me invaluere, præpediunt; quinetiam pestilentissimus humani generis hostis nunquam a mei oppugnatione desistit, cum illi certum in animo sedeat suis me telis confossum sternere ac profligare. Tu, Domine, qui mortalium firmissimum es præsidium ac decus, sis mihi « Turris fortitudi» nis a facie inimici [1]. » Tuam opem imploro in teterrimo hoc certamine constitutus. Tua crux adversarii tela retundat, et statim ex acie victor discedam, eoque in persolvendis tibi gratiis studiosior ero, quo majorem habet, præteriti doloris secura recordatio delectationem.

IX. Gratum acceptumque tibi sit, obsecro, ministerium nostrum; preces nostras benignus excipe, neque sileas, aut discedas a nobis, suavissime Domine, cujus bonitatis thesaurus est infinitus; schismata et contentiones, christianæ reipublicæ pestem, atque exitium nunquam satis deplorandum, ab Ecclesia catholica perpetuo arce, et universo terrarum orbi pacem atque tranquillitatem optissimam impertire; nobiscum vero impiis et peccatoribus beneficentiam exerce, quam soles, maximam, ut ornari celebrarique ab omnibus cum tu non desinas, tum Parens tuus, ac divinus præsertim Spiritus hortator auctorque bonorum omnium, et consiliorum, et operum.

X. Ne benevolentiæ, Domine, amorique nostro plurimum elargiri, nosque benignissime excipere defatigeris, quos tuo ipse sanguine ab inferorum faucibus vindicavisti; nostra siquidem maleficia furorem tuum lacessere non desistunt, ac pœnam tuis prope de manibus extorquere.

[1] Psal. XL, 4.

Ne tuo nos, inquam, deseras subsidio vacuos ob saluberrimam passionem tuam. Si te ad ultionem concitavimus, trahe nos ad pœnitentiam, et libentissime non voluntatibus solum, sed tuis etiam nutibus morem geremus. Cibasti nos pretioso corpore, et sanguine tuo, quem nobis certam futuræ beatitudinis arrham reliquisti ; ne idcirco pessum abire nos sinas.

PARÆNESIS XXXVI.

I. Cum judicii sedes firmata, ac universo mortalium generi sententia indicta fuerit ; cum Judex suam orationem exorsus fuerit, superioresque ordines trepidabunt ; cum de operibus quemque suis interrogaverit, ac rei pallescere occœperint, mea tum levitas si me tibi vehementius commendabit, eam ne aspernare, Domine Jesu, cui Virgo parens extitit, singulari inauditaque clementia. Cum justitia singulos e tumulto redivivos jusserit ad tribunal accedere : cum Angeli ejusdem comites et administri optatam aliis, aliis invidam partitionem efficient, tum, Domine, ne excludere nos a portu, ac perfugio velis, quin potius nos amplectere, qui nomen tuum palam, ac super tecta prædicavimus, ut jussisti, et corda tibi sensusque nostros, tanquam votivas in precibus offerendis victimas immolavimus ; ex te enim didicimus : « Omnis qui petit, accipit [1] ; » Ne igitur faciem tuam avertas a nobis, quamvis in ea vita manserimus, in qua nihil reperias, nisi propagationem miserrimi temporis.

II. Pastor omnium amantissime, qui devias ad pascua

[1] Matth, vii, 8.

redeuntes oves non modo non rejicis aut aspernaris, sed earum in amplexus irruis, ac de reditu magnopere gratularis; Pastor, inquam, vigilantissime, insonet, oro, vox tua in auribus nostris, quæ a gravi vitiorum sopore nos excitet, et ad pœnitentiam adducat. Gloriam clementiæ celebret atque justitiæ tuæ universus terrarum orbis; misericordiæ siquidem tuæ vitam peccatores acceptam referunt, et quidquid ex pœnitentia boni sunt consecuti, id totum tuæ beneficentia laudem statuunt esse. Gloriam tuam omni prædicatione majorem fateantur Justi, quorum precibus mansuetudini cedere persæpe gaudet furor tuus. Tuis ubique laudibus peccatores faveant, quia de ipsorum emendatione summopere delectaris, perinde quasi eam cum ipsis tum etiam tibi gloriæ futuram arbitrareris. Omnis demum ordo, et omnis ætas gloriam tuam monumentis et litteris prosequatur.

PARÆNESIS XXXVII.

I. Domine virtutis auctor, et conservator, tuere nos ab iis omnibus, quorum perfidia nobis detrimentum potest afferre maximum : custodi vias nostras auspicatissimo tuæ crucis vexillo; surge in occursum nostrum, imbecillitatem corrobora, opem tribue, ut tibi tuisque legibus ac præceptis obtemperantes hæredes olim et regni et beatitudinis evadamus.

II. Jesu parens ac pastor optime, te cum gemitu invoco, quemadmodum regius me docuit Vates in Psalmo, inquiens : « Miserere mei, Deus, secundum magnam mise- » ricordiam tuam. Lava me ab iniquitate mea, et a dilecto

»meo munda me. Tibi soli peccavi, et malum coram te »feci [1]. »Te ad iracundiam audacissime incitavi. Tu autem, qui suavis supra fidem, et mitis es, nobis succensere ne velis, neque vultus tui serenitatem nostris unquam peccatis sinas obnubilari. Per charitatem Patris, et Spiritus tui, precor, quæsoque, ut omnibus delictis meis ignoscas.

III. Ex numero me esse vides centum ovium felicissimarum, quæ sub tua degunt custodia. At proh miser! Excessi e grege, et inconsulto hoc illuc erravi, quoniam proditoris fraudibus me decipi passus sum. Amantissime pastor, egredere, obsecro, ad me quærendum, et inventum ad ovile reducito super humeros tuos, ut Angelorum cœtus et Ecclesia sponsa tua cum omnibus filiis suis de ove, quæ jam perierat, inventa tibi congratulentur.

IV. Ne sinas, Domine, ut a te divellar, quanquam flagitiosissimus; quandoquidem mos est clementiæ tuæ perditissimos quoque homines suaviter ad sese allicere, et revocare. Suscipe ergo indigni atque immerentis famuli pœnitentiam, exorantis majestatem tuam, ut per immensam gratiæ tuæ largitatem sibi quoque, quemadmodum latroni, ignoscas, et omnia peccati vulnera sanare velis, quibus, præter te, mederi nemo potest.

V. Cuncti ad pœnitentiam convertamur, fratres, et misericordiam efflagitemus, dum tempus superest, antequam judicii furorem experiamur, in quo lacrymæ nihil proderunt. Ecce nunc tempus acceptabile, in quo fores misericordiæ pulsantibus aperiuntur. Hoc autem qui consequatur, supplicium effugit, nec quidquam timere debet in eo die, in quo mercedem quisque referet suam.

VI. A quo, Domine, opem efflagitabimus, et errati, veniam impetrabimus, nisi a te, in quo salutis spem habemus

[1] Psal. L, 3, 4 et 6.

unice collocatam? Pande nobis misericordiæ fores, uti pollicitus es, et audi, qua soles, facilitate voces et gemitus quærentium te, neque animum in nos armatum retineas summo illo die, cum de universo hominum genere judicaturus adveneris; sed lætis oculis nos quoque a dextera stantes cum Justis intuens, judicium summa cum benignitate pronuntia, quo a miseriis ad perpertuam beatitudinem evocemur.

PARÆNESIS XXXVIII.

I. Quandoquidem te, Fili Dei, cónfessi sumus coram hominibus, nos ut confiteare, quæsumus, coram Patre tuo in formidando illo adventus tui die, cum buccinæ clangor universum terrarum orbem concutiet, et tu, Domine, in nube candida apparebis, erectoque æquissimi judicii tui solio, occulta patebunt scelera ad vindictam: tum nobis ignoscas, obsecro, juxta plenitudinem gratiæ tuæ, ut cum omnibus iis, qui nihil duxerunt melius, neque laudabilius, neque honestius, quam tuis voluntatibus obsecundare, hortum tuum deliciis affluentem ingrediamur.

II. Ingenti animi sui mœrore, atque intimis suspiriis clamat ad te, Deus noster, Ecclesia tua, ut filiorum suorum, qui sunt in deplorandis calamitatibus constituti, incolumitati opportune consulas. En fames, cædes, contagia undequaque grassantur, et immania supplicia, quæ ejus impendent filiis, ipsis ultimum exitium minitantur. Gratia tua, Domine, super nos effulgeat, et redemptio tua; sic enimvero continget, ut omnes gentes magnitudinem et gloriam prædicent ubique tuam.

III. Toto cœlo aberrat quisquis ab hujus fallacis sæculi blandimentis vera sibi et diuturna bona promittit, quoniam qua hora non putabit, vitæ finis illum deprehendet, qui extremo mortis articulo misera suorum criminum recordatione obruetur, et præ maximo patratorum scelerum timore commovebitur, quin ulla spes ejus animum consoletur. Itaque tuam, optime Deus, in quo summa sunt omnia, clementiam imploramus, ut nobis parcas corporis tui gratia, quo nos cibasti, ut illud jam liceat usurpare : « Os » tuum et caro tua sumus [1]. »

IV. Contingat mihi, precor, Fili Dei, placabilem habere pietatem tuam in supremo judicii die, quando abscondita omnia in medium proferentur. Ne mihi imputes quæ, te præsente, admisi, flagitia, sed inexhaustam pietatem in me tuam exerce. Ne cum protervis tuæ majestatis contemptoribus me recenseas, sed tua in me misericordia fulgeat, ne diutius cum periculo fatuus sim.

V. Tuum implorat patrocinium Ecclesia tua, et grex tuus id a te enixe contendit, veluti ab amantissimo animarum Pastore : suscipe quas ad te quotidie fundit preces, et ejus filii te sibi benevolum videant atque placatum. Redime sponsam, Domine, a noxis omnibus, quia crucem tuam summa cum veneratione complectitur, et quoties animum ad te convertit, summam toties charitatis tuæ ac providentiæ gloriam recordatur.

VI. Æquissime Judex, qui nec donis, nec muneribus hominum flecteris, nihil prorsus mihi est in bonis, quod tibi possim pro meorum scelerum compensatione offerre. Quoniam vero compertum mihi est te lacrymis magis delectari, quam auro, argento, et pretiosis lapidibus, excipe lacrymas, quæ meis ab oculis effluunt, et verbis, quibus ad tuam justitiam flectendam utor, annue, ut mirificum

[1] 1 Par. xi, 1.

tuum erga me amorem experiar magnis curis, ac molestis doloribus liberatus.

VII. Supreme bonorum improborumque Judex, ne tua, quæso, mihi studia desint, cum discutientur, quæ gessi, scelera, quibus nulla mihi non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliqui. Etsi vero indignus sim, qui facinorum meorum impunitatem obtineam, eam tamen a te deposco, quoniam propter incredibilem quemdam amorem corpore tuo me pavisti, et sanguinem tuum membris meis immiscuisti. Quandoquidem te dilexi, ut potui, crucemque tuam supplex adoravi, ut debui; corpus autem, et sanguis tuus meum præ deliciis animum rapuere, ideo propitiare, obsecro, mihi, et maculas omnes dele, quibus ablatis, nobilissimus virtutum omnium comitatus in animam infundatur.

VIII. In judicio tuo, Domine, nullius ordinis ratio aut conditionis habebitur; idcirco cum me peccatorem esse videam, planeque sentiam, vehementissime reformidem necesse est, cum, solutis septem signaculis, metuendi aperientur codices, et quæ in eis occurrent, scripta tua mihi justitia objiciet : tum misericordia, qua vales plurimum, causam meam apud justitiam tuam suscipiat, ut impunitatem ipsius patrocinio assecutus, cum Justis qui te dilexerunt, majestati tuæ præconia referam sempiterna.

IX. Sistedum, peccator, pedemque referre quamprimum velis ab illa, quam huc usque calcasti, via, nec diutius in illa moreris, oro; quandoquidem latissimus et spatiosus est, qui ad interitum perducit, callis. Davidem, qui leones, luposque discerpsit, perspice, quomodo super lectum suum totus in lacrymas delictorum causa dissolvatur. Ejusdem exemplum imitandum tibi propone, di-

cens, ut ille semper aiebat : « Miserere mei, quoniam tibi » soli peccavi, et malum coram te feci [1]. »

X. Næ ille sapiens est architectus, qui in hoc prætereunte sæculo ita animæ suæ ædificium componit, ut undique obluctantes hujus vitæ procellas, fluctusque illudat, quippe qui ædificii fundamenta accurate substruxerit supra firmissimam petram. Quisquis vero in construendis ædibus fratrem suum mendacio et astu circumvenit, et falso amicitiæ nomine deludit, in fraudem semetipsum inducit, ut scriptum est : « Incidit in foveam, quam fecit [2]. » Hujusmodi quidem criminis, quanquam nos esse reos fateamur, tamen tu, bone Jesu, quem scimus esse hujus ædificii lapidem angularem, nos ita excipe, ut preces et vota nostra non fuisse inania ac ludicra intelligamus.

XI. Nemo est inter mortales, Domine, qui domum tuam adeat, quin postulata obtineat, nisi qui parum fide præstat, ac religione. Zachæus in domum suam te recepit; justus et fidelis factus est; latroni quoque ad dexteram tuam crucifixo paradisi januam patere jussisti. En Ecclesia stans ante fores tuas, supplices ad te palmas quotidie tendit : exaudi, mitissime, ejus orationem, ut abs te votorum summam assequatur.

XII. Noli, Domine, officia nostra negligere, nostrasque preces, sed aperi nobis inexhaustum misericordiæ ærarium. Tuam efflagitamus clementiam, ne nobis succenseas, quamvis te ad iracundiam concitaverimus, sed defensoris partem suscipias fide, diligentia, consilio, auctoritate. Prohibe a cervicibus nostris omnia pœnarum, et suppliciorum genera : tua in nobis regnet benignitas, et clementia singularis, ut tecum lætemur, et illud ipsum gravissimum, et sanctissimum nomen pietatis levius nobis meritis erga nos tuis esse fateamur.

[1] Psal. L, 3 et 6. — [2] Id. VII, 16.

XIII. Quid? Num ignoramus, Domine, quantum abhorreat a præclara dulcedinis tuæ bonitate vultum tuum avertere a peccatoribus te invocantibus, foresque tuas pulsantibus? Scimus a Justis te olim invocatum; nec latet quam sollicite præsto eisdem fueris, et quanta lenitatis significatione illorum pœnitentiam exceperis, cujus causa eorum inopiæ tua munificentia, liberalitate, armis denique opportunissime prospexisti. Nos vero, quorum multiplex est iniquitas, illorum vestigiis insistentes, pietatem tuam imploramus, ut criminum nostrorum malitiam deleat, et expellat. At, o inauditam hominum proterviam impudentiamque singularem! O ineffabilem tuam, Deus, bonitatem! Ideo te quæsumus, ut nostri miserearis, et debita remittas.

XIV. In maximis rerum angustiis constituti sumus, tum ob extremam egestatem, tum ob temporis brevitatem nobis divinitus constitutam; undique enim sævis validisque criminum fluctibus obruti, nullum prætermittimus diem, quin scelera sceleribus superaddamus, et immanium flagitiorum conscientia obstricti, nunquam ad inexhaustum illud bonorum omnium pelagus mentem referimus, imo, ut modo aiebam, maximis quotidie libidinibus æstuamus. Secundum tuam bonitatem nobis ignosce, nostrique miserere.

XV. Thymiama odoratarum specierum obtulit Aaron summus sacerdos in castris Israëlitarum [1], ut luem undique grassantem dissiparet. Suffitus, quem modo tui famuli offerunt, tuæ Divinitati complaceat, et populus reconciliati tui animi pignus obtineat. Peccatoribus suorum delictorum veniam petentibus, et ad fidem nominis tui confugientibus propitius adesto. Quæ obtulimus thura, Domine, suscipe, nostrasque exaudi preces, et miserere nobis.

[1] Num. XVI, 47.

XVI. Agitedum, sacerdotes puritatis munditiæque alumni, admissam in animis nostris culpam expellere satagamus; gratos supremæ Dei majestati odores offeramus, nec non supplicibus eamdem præcibus conemur obsecrare, ut nostra excipiat, sicut olim Aaronis, et Zachariæ thura, cunctasque labes ab electa, et sancta Ecclesia abstergat, et defunctis, qui in ipsius repromissionibus lucis usuram amiserunt, parcat atque condonet.

PARÆNESIS XXXIX.

I. Summam Dei bonitatem prædicemus, qui nos a Satanæ et mortis tyrannide vindicavit, tum in supernorum Spirituum, qui peccatis nostris irritati fuerant, gratiam restituit. Præconia nostra in misericordem illum principem conferamus, qui non requisitus salutem nobis asseruit, de pœnitentia nostra mirifice lætatus; et ut nostrum errorem, nostrumque ad bonam frugem reditum declararet perditæ ovis comparationem instituit. Summam profecto lætitiam Angeli, et Beati omnes perceperunt, ex quo nos in hæreditatem filiorum vocavit, dum perieramus, et dum mortui, vitæ denuo restituit. Quis satis pro officio, Amator hominum, laudare potest tuam ineffabilem charitatem, qua nobiscum usus es? Filium tuum in terras misisti, ut nostram indueret formam, et ineundæ cum majestate tua concordiæ se auctorem faceret, et quasi vadem. Interim vero mirari subit novum illud, quod erga genus nostrum operatus est Deus, quod omnium creaturarum admirationem excedit: humanam naturam scilicet sanctuarium effecit, ut divinos cum ipsa honores communicaret.

II. Eia agite, mortales omnes immortalesque cœtus, dignitatis amplitudinem, ad quam evecti sumus, obstupescite, quandoquidem naturæ hujusce mortalis humilitas ad illius gloriæ, quæ omnium intelligentiam sensumque longe superat, fastigium divinitus elata est. Cœlum itaque, terra, et quidquid in ejus ambitu continetur, nobiscum magnificentiam prædicent illius, qui homines in tam sublimi honoris gradu collocavit. Ideo nunquam satis digne laudari poterit summa Dei benignitas, qui imaginem nostram renovavit, nostra expiavit crimina, suoque nos nomine nuncupavit, ac demum non modo cuncta nostræ potestati subjecit, verumetiam super omnia nos extulit. Laudem dicamus Filio, et Genitori ejus, qui ipsum ad nos demisit, et Spiritui sancto in sæculorum sæcula. Amen.

PARÆNESIS XL.

I. Hoc die, qui primogenitus est dierum, primitias laudis offeramus Primogenito illi, qui omni caret principio, quique nullum habiturus est finem. Et quoniam impia Judæorum turba tribus vicibus pronuntiavit indignissima verba : « Crucifige, crucifige eum [1]; » sic Christiani ter repetant universi : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth [2]. » Benedictus is, qui humiliatus est sicut voluit, et sanctissimam sibi Ecclesiam perpetuo vinculo desponsavit.

II. Orta est in terris lux tua, Domine, quæ culpæ tenebras fugavit, expulit, eliminavit. Piissime Salvator, qui lux vera es, « Quæ illuminat omnem hominem venientem in

[1] Luc. xxiii, 21. — [2] Isaï. vi, 3, et Apoc. iv, 8.

» hunc mundum [1], » oriatur, obsecro, tua lux super mentis nostræ tenebras, et densissima caligo illa, quæ animam obnubilat, perturbatque, dicto citius dissipabitur; ita fiet, ut ad splendidissimum fulgorem restituta ipsius acies, tuas, Pater invisibilis, laudes nunquam desinat prædicare.

III. Age, huc propera, peccatrix anima, et te comitem mihi adjungito, ut una contendamus ad eum, quem irritavimus, nec tibi in mentem veniat nos ab judicio eximendos fore hoc ipso, quod ab invicem separandi sumus. Magnum sane est, quod contraximus, debitum, neque nobis in promptu est quomodo persolvamus. Non quia judicium severissimum sustinendum nobis est, asserere poteris me tibi ignotum prorsus fuisse, cum alterum ex nobis seorsim labi, errare, ac decipi nullo modo potuerit.

IV. Quis porro valeat lacrymas continere, si judicii diem ac severissimas pœnas improbis infligendas, si extremam desperationem, si ploratus atque ululatus, si illam denique nunquam satis metuendam Judicis vocem : « Ite » maledicti in ignem æternum [1], » serio animadvertat?

V. Ecce nunc thesaurus spiritualis, et arbor vitæ, videlicet Ecclesia nobis patet : ecce propitium altare sanctitatis, ex quo vita fidelibus jugiter conservatur. Quotquot adestis, qui vita frui exoptatis, cauti estote, et ne iis commodis abutamini, quæ vobis Pater obtulit, ut salutem facilius assequeremini. Clamate unanimes : « Gratia Deo optimo et maximo, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, seipsum nobis in escam præbuit, ut eo in terris etiam perfrui inciperemus.

VI. Adam, quia fraudulentis Dæmonis illecebris assensum præstitit, turpiter victus fuit, debellatusque. Vestrum est, posteri, ut amantes filii, patri vestro inflictam necem

[1] Joan. I, 9. — [2] Matth. xxv, 41.

ulcisci. Perditissimus veterator splendidissimam illi gratiæ stolam abstulit in paradiso. Quapropter vos ultro vestro parenti occurrite, et Dæmoni perpetuum bellum indicite, eo quod in Adamo universum mortalium genus perdidit, ac profligavit. Nefarium hocce caput contundite virtute Domini, quo auspice, nihil est arduum, nihil difficile; omnes hostilis versutiæ nervos infringite, et Serpentis antiqui calliditatem notam omnibus exploratamque reddite.

PARÆNESIS XLI.

I. Piissimi Domini nostri clementiam, ac majorem omni laudatione pietatem celebrare invicem contendamus, qui dominicum diem ad summæ gloriæ, atque amplitudinis fastigium extulit, evexitque. Hic enim dies in primæva totius orbis constitutione, quando Deus ab initio rerum opificium aggressus est, principem sibi locum vindicavit et dignitatem. Hic ille dies, in quo Redemptor noster, humanæ reparationis opere expleto, a mortuis resurrexit in virtute, majestate, ac potentia. Hic ille dies, in quo sacerdotum cura, ac solertia sacrosancti Ecclesiæ parietes majori pompa et apparatu venustiori gestire plane videntur. Hic ille dies, in quo Rex gloriæ Dominus in temporis exitu, igneo curru vectus ex sublimibus cœlorum sedibus in terram delapsurus est, et recta via ad montem Sion processurus, et crucis vexillum super Adæ tumulum defixurus, ubi quondam ab insanissima atque execranda Judæorum perfidia in crucem sublatus, occubuit; inde vocem daturus est, vocem virtutis, vocem tonitrui magni, qua in monumentis conditi excitabuntur, et ad vitam singuli restituentur.

II. Cæterum hæc, quam cernitis, amplissima terrarum moles, ad pristinum chaos, in quo ante sui creationem, inanis jacebat, flammarum impetu redigetur; mox supremus Judex Angelis justitiæ administris jussurus est, ut parem improbis pœnam, Justis autem præmium et coronam reddant immarcescibilem. O rem stupore dignam! Angeli siquidem uno oculorum obtutu ex quatuor orbis partibus universum mortalium genus in unum cogent, ipsis vadimonium imponentes, ut maturæ singulorum operum atque cogitationum inquisitioni subjiciantur; cumque sententia de omnibus lata fuerit, Judex secum ad cœlum Electos trahet, improbos vero ad æternum ignem apud inferos amandabit.

III. Hac porro die tam tetra atque terribili, scelestorum agmen comparandum prorsus videbitur infelicissimis iis hominibus, qui cæcutientes in meridie, ac omni prorsus lumine destituti, nesciunt quo pedem conferant. Tunc misericordiæ fores cum lacrymis et ululatibus obsidebunt, et licet omni ad veniam aditu intercluso, clamabunt tamen iterum iterumque: «Domine, Domine, aperi nobis [1].» At proh dolor! nulla ab iis exaudiri vox poterit, nisi hæc: « Discedite a me maledicti in ignem æternum [2]. » Quamobrem te modo, mitissime Jesu, etiam atque etiam obtestamur, ut clementiæ tuæ rore abluas nostras sordes, ne morte præoccupati, frustra misericordiam et veniam imploremus; et quemadmodum quidquid tum splendoris, tum pulchritudinis hic mundus offert, celeriter labitur et evanescit; ideo, fratres charissimi, e somno consurgite, et dum pœnitentiæ spatium vobis suppetit, omni studio ac sollicitudine curate, ut optatissimum misericordiæ beneficium assequamini, ne improvisa morte perculsi ex hac vita capitalibus obstricti culpis misere excedatis. Gloria

[1] Luc. XIII, 25. — [2] Matth. XXV, 41.

interim Patri, ejusque Filio, et Spiritui sancto, ea, qua par est, reverentia, atque animi observantia persolvatur in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XLII.

I. Cum in lecto cubarem, mihi, Domine, in mentem venit eximius ac vehemens ille, quo homines prosequeris, amor, et benevolentia. Surrexi de media nocte, ut quantas maximas tibi gratias agerem, sed meorum scelerum recordatione deterritus totus abire in lacrymas cœpi, et animo utique corruissem, nisi me prope semianimem Latro, Publicanus, Peccatrix, Chananæa, Hæmorroïssa, ac Samaritana mulieres, hisce erexissent vocibus : « Surge (sic mecum colloqui videbantur) surge, mitte lacrymas, et clementissimi Servatoris misericordiam exposcito, atque hoc tibi firmum in animo sedeat, eum misera tuæ naturæ conditione protinus ad misericordiam commovendum.

II. Quin et regius Jesse filius suorum carminum concentu, me gravi sepultum somno evocavit, inquiens : « Expergiscere, miser ; quare obdormis ? Num ignoras acceptissimum divino Judici munus esse, quod media nocte ipsi tribuitur ? Exurge, inquam, et indulgentiam postula ; hæc siquidem petitio gratissima Deo est, cujus ostium noctes, diesque tum optimo cuique, tum ipsis etiam pœnitentibus semper maxime patuit.

III. Somno indulgentem meorum criminum recordatio subiit, et statim me funestissima rerum imago terruit, quæ et somnum illico, et quietem eripuit ; ideoque mihi infausta

sum omnia ominatus. Væ infelicissimis, exclamavi, væ hominibus, qui tenebris et caligine offusi nullis divinæ lucis splendoribus illustrantur, atque in resurrectione tenebris addicentur !

IV. Mos erat Davidi media nocte consurgere, quæ plane hora ad suam stultitiam deplorandam ei aptissima videbatur, et in qua vix humanitus percipi potest, quam ingenti lacrymarum copia suum stratum madefaceret; et quam ardentibus suspiriis clementiam exposceret, quam sibi conciliare hisce verbis studebat : « Iniquitatem meam ego cog- » nosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi » soli peccavi. Averte faciem tuam a peccatis meis, et om- » nes iniquitates meas dele[1]. »

V. Nos itaque exemplo hujusmodi commonefacti te, Salvator optime, oramus atque obtestamur, ut nobis subsidio occurras, quoniam immanissimus mortalium hostis nos vehementissime adortus est, et nudato jam ense, reges, judices, et potentes quoslibet sibi subdere minitatur. Eo insuper impudentissima illius audacia progreditur, ut etiam in electos tuos insolescere audeat, eosque superare ac sternere machinetur. Te ergo, maxima, qua fieri potest fiducia, obsecramus, ut, cum clementia ac misericordia plenus sis, nos ab omni macula expiatos, sub tua signa cogere ac tueri non recuses.

VI. Judex optime, cujus æquitas tanta est, ut ejus laudibus nemo valeat orationem afferre parem; optime, inquam, Judex, qui nullum accipis mortale munus, quid tibi offeram, ut te mihi placatum sentiam? Compertum habeo te pœnitentium lacrymis magis delectari, quam auro, aut argento, aut pretiosis lapidibus. Excipe igitur, quod tibi maxime arridet, lacrymarum munus, et remissionem nobis tantopere necessariam elargire.

[1] Psal. L, 5, 6 et 11.

VII. Te demum, augustissima Trinitas, unanimes invocamus, et celebramus diu noctuque. Tu jacentes erige, sordidos ablue, obstrictos solve, omnibus te parentem, ut soles, exhibe piam, beneficam, salutarem. Animam et corpus nostrum tuere, et ab hostis versutia, dolis, insidiis, laqueisque nos incolumes serva; ne demum, quæso, misericordias auferas a nobis tuas.

VIII. Piissime Jesu, nos jam peccasse cognoscimus, nec inficiari audemus; idcirco vultus noster, qui tandiu terrestribus sordibus hærere assuevit, cœli pulchritudinem ac præstantiam refugit intueri. Quæ cum ita se habeant, hoc unum superest, ut tuam clementiam imploremus, quæ causam nostram apud justitiæ solium tueatur. Audiat ergo voces deprecationesque nostras clementia tua, et votis annuat, quæ ante aras quotidie offerimus, atque ita majestati tuæ infirmitatem commendet nostram, ut tu ipse misericordia clarescere, quam justitia malis.

PARÆNESIS XLIII.

I. Expergiscere tandem, et perniciosissimum illum, qui te complectitur, somnum excute, anima christiana, et sedulo accurateque animadverte mundi hujus figuram quam citissime labi, et prætervolare.

II. Dic, sodes, ubinam illi sunt gigantes, qui quondam elati adeo ac tumescentes in ipso terrarum exordio incedebant? Ubi sapientes? Ubi reges illi potentissimi, quorum præclare gesta tantopere celebrantur? Omnes veluti umbra præterierunt. Beati, quorum spes posita est in Domino, cujus nomen non transit, et gloria nusquam dissolvitur.

III. Ego Ephræm hem morior! testamentum conscribo veritatis amatoribus, qui post me processuri sunt. Estote perseverantes in oratione diu noctuque: nam sicut solers agricola, qui ad exercendam excolendamque terram diligenter incumbit, uberem exinde messem colligit, ita porro copiosa fruges cogenda vobis erit, si ab oratione nusquam vacabitis. Ne oscitantes atque inertes agricolas imitemini, quorum agri spinas tribulosque germinant. Sine intermissione igitur orate; ille enim Domini amorem sibi, atque misericordiam conciliat, qui sedulam orationi operam navat.

IV. Singulare ac diuturnum est munus, quod tu, Domine, peccatoribus ad pœnitentiam reversis elargiris, quibus facilis ad te aditus semper patet, quemadmodum publicano, qui te deprecatus est, et veniam impetravit. Audi Ecclesiam ad te clamantem, eamdemque tuis foribus adhærentem vide, et laudes suscipe, qua et per se ipsa solet, et per filios offerre suos, quibus et Divinitatis, quam obsequentissime colunt, et crucis, quam amantissime amplectuntur, gloriam concinentibus, tu matrem benigne excipe pro filiis deprecantem.

V. Bonorum omnium largitor Deus, cum de nostra egestate sublevanda semper cogitet, nihil aliud a nobis expetit, quam ut simus animo ad ipsius munera recipienda parato. Immensas suorum ærariorum divitias nobis ubique offert. Nihil autem nisi gratiarum actionem ab iis reposcit, qui quidpiam de thesauro hauriunt suo, hac scilicet ratione, ut gratis hominibus beneficia largius in posterum effundat. O admirabilem divini Numinis benignitatem, qui oriri facit solem suum super justos, et injustos, et gratiæ suæ imbrem super peccatores spargit, cum misericordiarum suarum abyssus sit infinita!

VI. Insignis animarum Curator, ac Medice præstantis-

sime, tuas fores obsident vulnerati omnes, ut ab languoribus curentur suis; perfice ergo quod iis pollicitus es, inquiens : « Omnis qui petit, accipit; qui quærit, invenit, et » pulsanti aperietur[1]. » Et alibi : « Venite ad me omnes, qui » laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos[2]. » En grex tuus ad te contendit, teque invocat. Audi igitur obsecrationem ejus, et clementiam tuam ostende Ecclesiæ, et filiis ejus.

VII. Ingrediatur, oro, ministerium nostrum coram te, et copiosa sit super gentes redemptio tua. Non foribus hæsimus aliis, nisi tuis, Domine, neque te in alium commutavimus, ut tu plane nosti. Justissime Deus, qui præcepisti ne operarii merces pernoctet, mercedem tribue ministerio nostro, misericordiæ videlicet optatissimum munus, ut charitas tua in nos maxima elucescat.

VIII. Jesu mortalium spes, respice in me juxta gratiæ tuæ immensitatem, et mihi sceleratorum omnium maximo ignosce. Quemadmodum Simoni inter æstuantes æquoris fluctus dexteram porrexisti, cujus ope ab imminenti naufragio evasit incolumis; ita porro mihi dexteram e cœlo porrige, quæ me e vitiorum, quibus obruor, tempestatibus in portu collocet. Peccasse fateor, et maxime deliquisse; clamo ut peccatrix : oro ut publicanus; propitiare mihi, Pater misericordiarum.

IX. Ne mea me crimina reum postulent, et ab illa hæreditate prohibeant, quæ optimæ frugis hominibus asservata est, magnopere reformido; maxime vero, quia necessaria ad tam longum animæ iter viatica non præparavi. Obscurissimæ mihi tenebræ præcipitis instar torrentis obversantur. Exacti jam sunt meæ adolescentiæ anni, nec vitiis ac sordibus omnino vacui extiterunt. Maculas igitur exterge meas, et indue me splendidissima gloriæ stola, ut

[1] Luc. xi, 10. — [2] Matth. xi, 20.

beatas illas sedes luce, vita, et gaudio undequaque redundantes per te ingredi mihi liceat.

PARÆNESIS XLIV.

I. Eia itaque, fratres charissimi, evigilemus e somno, et Dominum cum gemitu deprecemur, ut dum nobis vita superest plena muneribus, et in qua ad Dei misericordiam præstatur accessus, mentem ab iniquitate revocemus, et feliciores dies traducere satagamus, ne nobis, cum pœnitentiæ locus desit, de nostra socordia atque oscitantia inutiliter, conqueramur. At Sponsi fores vigilemus, ut cum eo ad nuptias ingrediamur, et immortalitatis hæreditate donemur.

II. Unanimes Deo hac nocte laudem psallamus, et Angelorum choros, qui nunquam Dominum celebrare satiantur, æmulari conemur, ut, cum cœlestis Dominus, et Angeli advenerint, vigilantiam admirentur nostram, ac nos inter servos illos impigros ac studiosos annumerent, ut mensæ cœlesti discumbere mereamur.

III. Optimos illos viros imitari curemus, qui die ac nocte Domino placere student, et ne nos pigeat misericordiam sæpius a Domino postulare, et illud regii Vatis frequentissime usurpare : « Media nocte surgebam ad confitendum » tibi super judicia justitiæ tuæ [1]. » Nunquam, Domine, a propitiando quiesce, et mihi, quod unice in votis habeo, tribue, ut regnum consequar sempiternum.

IV. Ecce dies Domini improviso elucescit ; surgamus igitur, fratres, et somno excusso, deprecemur, ut felices

[1] Psal, CXVIII, 62.

per pœnitentiam evadamus. Præparemus oleum in lucernis nostris, et obviam cœlesti Sponso proficiscamur, ne nos metuendam illam vocem « Discedite a me maledicti in ignem » æternum, quia nescio vos [1], » audire jubeat.

V. Ne me, Domine, juxta æquitatis rationem judices; compertum enim perspectumque tibi est me reum esse, ac pœna dignum. Si me porro excusatum habueris, tum plane fiet, ut a tuis laudibus celebrandis nunquam absistam ; si vero de meis criminibus pœnas exposcere velis, vereor ne mihi infernus pro hæreditate obtingat, atque ita sola mihi sit reliqua desperatio. Nunc igitur propitiare et indulge delictis meis.

VI. Ne, Domine, sordes insitam animæ pulchritudinem tegant, cum ante justitiæ tribunal venero, ne mihi nudo atque omni prorsus auxilio destituto Beatorum præclaro gloriæ lumine coruscantium, conspectus ægre sit subeundus. Si, mea suadente infirmitate, misere lapsus sum, te sustinente, assurgam. Ne mihi, quam peccatrici in domo Simonis, et latroni in cruce veniam concessisti, velis, obsecro, denegare.

VII. Trahe nos ad agnitionem tuam, misericors Domine, et salutis viam nobis ostendito, et nos, qui in vasto vitiorum gurgite agitamur, tutos educito, quemadmodum Simonem prope naufragum eduxisti. Excipe, qua soles, benignitate exiguum lacrymarum munus, et cum intima cordium consilia tibi enucleanda propones, ac publice pervulganda, veniam nobis elargire, et in gratiis tibi rependendis, et tuo nomine celebrando assidue versabimur.

VIII. Vos interim, peccatores, curate, ut reliquum vitæ tempus in pœnitentia traducatis, et dum cœlestes thesauri ad indigentium inopiam sublevandam patent, hos vobis comparare omni studio totisque viribus contendite. Vigi-

[1] Matth. xxv, 41.

lantiam adamate non somnum, quemadmodum insipientes illæ virgines, quæ de salute sua parum sollicitæ oleum secum sumere neglexerunt; quin potius sapientes illas æmulamini, quæ necessarium sibi oleum opportune comparaverunt, et ad Sponsi nuptias feliciter ingressæ sunt.

PARÆNESIS XLV.

I. Eam converte, Domine, qua mirifice delectaris, misericordiam ad servorum tibi astantium, et tuæ Divinitati ministrantium miserrimam conditionem. Suscipe thymiama, quod tibi offerunt, uti Aaron quondam et Eleazar obtulit, quo placatus es, et parce ovibus tuis, easque ab omni prorsus discrimine quamprimum vindica, et incolumes serva.

II. Terreor, Domine, cum fugaces ancipitesque hujusce vitæ dies nullo consilio transactos, et in omni vitiorum cœno insumptos sedulo ac diligenter percurro, et timore ingenti correptus quotidie ante faciem tuam procumbo a te veniam postulaturus. Parce igitur, mitissime Salvator, parce flagitiis, quæ per insaniam patravi, atque impudentiam singularem.

III. Mihi semper præ oculis obversatur funestissimi illius diei recordatio, in quo ex hac luce demigrandum mihi erit, et incredibilis me pavor cruciat, non quod mortem mihi subeundam video, sed quia summam judicii severitatem mea crimina expavescunt. Quæ ergo demens admisi scelera, tu nunc dele, Redemptor optime.

IV. Tribue, Domine, ut misericordiæ suavitatem, non justitiæ rigorem experiar; nec mea te delicta et animi depravatio ad ultionem commoveant, sed gratiæ tuæ nitidis-

sima lux meas tenebras expellat, ut scelerum remissionem mihi gratuler obtigisse.

V. Piissimus ille David animadvertens sese ab ea cecidisse felicitate, in qua, dum tua gratia fruebatur, constitutus erat, inconsolabili statim gemitu illacrymatus est, hæc sæpissime repetens : « Miserere mei, Deus[1]. »

VI. Nullum, Domine, memini processisse diem, in quo nova flagitiis flagitia non addiderim, et ampliorem furoris materiam tibi non præbuerim ; tamen nunquam adduci potui, ut pœnitentiæ operam darem. En modo brevissimum vitæ spatium ad occasum vergit. Converte igitur me, Domine, ad te, et convertar, quoniam tuomet ore non semel dixisti : « Misericordiam volo, non sacrificium[2]. »

VII. Tu, qui neminem soles in te sperantem repudiare, suscipe, quæso, preces, quas undecima hora, latronis instar, ad te fundo ; suscipe spiritum meum, quem in manus tuas commendo, et tuæ clementiæ prorsus committo, et supplex oro, ut gratia, ac misericordia tua me semper antecedat, comitetur, et subsequatur.

VIII. Felicissimum animarum præsidium, Deus, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, peccatorum ego sum princeps; idcirco fac, ut « Ubi abundavit delictum, ibi superabundet et gratia[3], » illa scilicet victrix et triumphans, cujus beneficio novum hominem induam, virtutem unice adamans atque honestatem.

IX. Vix verbis expedire valeo, quanto mœrore conficiar, et quam terrear vehementer, cum consummationis diem memoria repeto ; neque enim ignoro eo meis criminibus devenisse, ut ex electorum albo expunctus sim, penitusque deletus. Porro si purissimi illi Angelorum ordines incredibiliter contremiscent, quidni mihi parricidii, et perduellionis reo formidandum erit ac trepidandum ? Tuam

[1] Psal. L, 3. — [2] Matth. IX, 13, et XII, 7. — [3] Rom. V, 20.

igitur, dulcissime Parens, clementiam exposcere non desistam, ne justitiæ furorem cogar sustinere.

X. Quæ duo meæ plurimum saluti conducere videntur, hæc ab infinita tua charitate impensius deprecor; alterum, ut hic me ab immanissimo hoste, et ab improbis ipsius administris eripias; alterum, ut tuo in adventu meorum scelerum impunitatem largiaris. Quod si præstiteris, non modo in hoc exiguo vitæ curriculo, verumetiam in immortali altero tuarum laudum monumenta ad perpetuitatem consecrabo.

XI. Illud mecum ipse quotidie repetam, quod advenientibus auspicatissimis illis temporibus, quæ humani generis reparationi fuerant præstituta, occultissimo sacramento, ac divino prorsus consilio factum est, ut tu, piissime Reparator, universorum Domine, servilem formam, obumbrata majestatis tuæ dignitate, susciperes, et de cœlesti sede descendens hæc infima ingredereris, et immortalis cum esses, mortis legibus subjaceres. Hinc Gabriel archangelus ad Mariam virginem celeriter advolavit, inquiens: « Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mu» lieres [1]. » Mox adjecit: « Ecce concipies in utero et paries » Filium, et vocabis nomen ejus Jesum [2]; ipse enim salvum » faciet populum suum a peccatis eorum [3]. »

XII. Cum, Domine, clementiam exposcimus, implorant nobiscum inclyti illi Martyres, qui suum pro te sanguinem effuderunt; implorant altaria, quæ vastata sunt, et Ecclesiæ, quæ dirutæ, et sanctuaria, quæ polluta, et venerandi Sanctorum cineres, qui a scelestissimis filiis Agar sunt dissipati. Parce, quæso, fidelibus tuis, qui te assidue colunt ac venerantur.

XIII. Defunctis autem, qui in tui spe decesserunt, perpetuam quietem ac tranquillitatem elargire, et dignos effi-

[1] Luc. 1, 28. — [2] Ibid. 31. — [3] Matth. 1, 21.

ce, ut in resurrectione dexterum latus teneant, et inter electorum numerum cœlesti mox regno potituri recenseantur.

PARÆNESIS XLVI.

I. Qualiacumque, Domine, sint, quæ rite facimus, sacrificia, gratum apud te locum habeant, et acceptum, eademque nos tibi optime reconcilient. Multum nos deliquisse fatemur, nostrasque iniquitates, ut in Psalmo legimus, super capillos capitis esse multiplicatas [1]. Quapropter te enixe obtestamur, ne, quam tibi grati animi offerimus, significatio irrita sit atque inanis.

II. Cum Angelus divinæ ultionis administer, nudato ense, Judæorum genti ultimum exitium denuntiaret; summus tuus sacerdos Aaron ad altare confugit, et, thure in odorem suavitatis oblato, Angelum expulit et fugavit. Eamdem, obsecro, vim tribue, Domine, sacrificio nostro, ut voluntas conquiescat tua, et furor in nos exardescens subito comprimatur.

III. Statim ac tuum ego auxilium deposci, mihi gratia præsto fuit; ideo oratio nostra, quæ dirigetur in conspectu tuo, oro, ut ad te in odorem suavitatis ascendat. Et quemadmodum Eliæ sacrificium accepisti, accipe et ministerium, quod tibi modo deferimus.

IV. Misericordiarum Parens, cujus januæ nunquam pœnitentibus intercluduntur; quinimo pulsantibus ea, qua vales plurimum, benignitate confestim aperis, pronus sis, obsecro, vocibus adorantium te, et ratas effice eorum preces, quibus tuam sibi gratiam conciliare contendunt.

[1] Psal. LXVIII, 5.

V. Jonam in mare projectum respexisti; ignem insuper interdixisti, ne tres pueros in Babylonis fornace positos vel ex minima parte lædere auderet. Cui ergo in mentem veniat te universi mortalium cœtus voces precesque contempturum?

VI. In te, Domine, perfugium quærunt ac solatium miseri omnes maximis curis, ac sollicitudinibus defatigati. Tu ergo, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum [1], pristinam illis animi serenitatem redde, eosdemque protege cruce tua, cujus præsidio « Reconciliata sunt omnia, » sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt [2]. »

VII. Memineris me ad tuæ imaginis pulchritudinem efformatum esse; neque patiaris ut perditus in pessum abeam, cum nulla sit « Utilitas in sanguine meo, dum des- » cendero in corruptionem [3]. » Clamare non desino : « Ne obliviscaris, Domine, salutis meæ, et me torrentes inundent misericordiæ tuæ, quæ mortalium infelicissimum sublevent ac reficiant.

VIII. In mentem ne, quæso, revoces, innumera illa, quæ per intolerandam audaciam admisi, flagitia, quia nullus apud te justificabitur vivens [4]. Gratia tua, Domine, mihi semper adhæreat in illo præsertim die, quo mortales omnes suorum operum rationem sunt palam reddituri.

IX. Æquissime retributor, qui parem persolvisti mercedem tam iis, qui primo mane, quam qui undecima hora ad vineam excolendam convenerunt, tribue nobis, ut in extremo judicii die vultus tui serenitas, non furor conspiciendus objiciatur; sic enim tuam cum primis et novissimis gloriam celebrabimus.

X. Cum judicii dies ea sit, ex qua aut æternæ felicitatis, aut ærumnæ gravissimum momentum pendet; idcirco,

[1] Prov. VIII, 31. — [2] Coloss. I, 20. — [3] Psal. XXIX, 10. — [4] Id. CXLII, 2.

humanissime Salvator, modo nos beneficiis cumula, ne tum, cum furori locus solummodo dabitur, clementia a me frustra sit imploranda.

XI. Piissime Domine, cui puræ, atque integræ mentes tantopere sunt in deliciis, largire nobis cordis munditiem, et turpes illas cogitationes expelle, quæ corporis et animæ venustatem commaculant.

XII. Ne, piissime Jesu, patiare, ut nostra flagitia tuum ante tribunal accusatoris partes suscipiant; quin te etiam atque etiam rogamus, ut singula misericordiæ tuæ beneficio delere velis.

PARÆNESIS XLVII.

I. Clementissime Deus, excipiatur, obsecro, sacrificium istud, quod sacerdotes ante altaria procumbentes in honorem tui nominis obtulerunt. Eam tribue hujusmodi sacrificio vim, ut hinc requies defunctis accidat, et felicitas iis, qui supersunt. Quam quidem mirificam sacrificiorum virtutem sicuti Israëlitæ optime cognitam habuere, cum pestem ex eorum castris discedere prospexerunt, ita nobis ipsorum præstantia innotescat, cum e tenebris in lucem revocatos nos esse sentiamus.

II. Dominus enim noster se veræ lucis auctorem esse ostendens, ita Discipulos allocutus est : « Ego sum lux » mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed ha» bebit lumen vitæ [1]. » Beati igitur, quibus virtutes in itinere facem prætulerunt; ecce enim eorum memoria dum in terra colitur, in cœlo etiam solemni pompa celebratur. Sit,

[1] Joan. VIII, 12.

quæsumus, eorum intercessio propugnaculo nobis inexpugnabili contra diuturnos adversarii impetus, ut evadamus in certamine superiores, quin ulla jam nobis a monstro illo pernicies comparetur.

III, Ne me, Domine, irato supercilio intuearis in judicii die, neque me inferni victimam statuas. Converte me ad te, et convertar, et misericordiæ tuæ voces pronis auribus excipiam, ut ab igne ereptus regni tui consors efficiar, et beatitudinem assequar ex omni parte perfectam, ideoque æternam et immortalem.

IV. Vix, dissipata tenebrarum caligine, dies lucis restitutor exoritur, statim muta etiam animalia tibi Creatori, ac conservatori omnium opportunissimo diei primitias consecrant. Quinetiam cœlum, terra et firmamentum, eaque omnia, quæ unico infinitæ tuæ potestatis nutu sunt efformata, tibi laudes et gloriam suo quæque modulo referre gestiunt.

V. Prima sub luce in montis vertice objecta est Moysi species illa visu admirabilis. Rubus scilicet ingenti flammarum vortice circumseptus, et exardescens, sed ita quidem, ut flammis nulla ex parte mirifice læderetur : Deum quippe sub mira illa imagine latentem se videndum Moysi præbuisse perspicuum est. Hinc vox de cœlo exaudita hujusmodi : « Solve calceamentum de pedibus tuis; locus » enim, in quo stas, terra sancta est [1].

VI. Deus bone, quia te nimium lacessere ausi sumus, suscipe, quas ad tuum furorem sedandum offerimus quotidie, preces. Ne, quæso, tuam a nobis faciem avertas, tuoque nos subsidio destituas, dum te summa cum fiducia invocamus. Largire, obsecro, universo terrarum orbi optatissimum pacis, tranquillitatisque fructum. Schismata quoque, et perniciosissimas contentiones, quæ Ecclesiæ

[1] Exod. III, 5.

tuæ sanctitati, ejusque membrorum unitati prorsus adversantur, radicitus evellito, atque extirpato; et clementiæ tuæ laudes nunquam non celebrabimus.

VII. Deus, qui Divinitatis tuæ infinitam atque immensam præstantiam ad infimam mortalium conditionem depressisti, ne universa humani generis propago quotidie in deterius ruens funditus interiret, et tuæ passionis ac mortis nunquam satis laudando beneficio nos Dæmonis, et peccati servituti mancipatos liberaliter vindicasti; miserere, oro, gregi tuo, qui maxima cum animi contentione tuam operam implorat, eique pristinam cordis serenitatem restitue. Sic porro fiet, ut inusitata lætitia perfusus tibi, Patrique tuo, ac Spiritui sancto laudes referat immortales.

XIII. Te Dominum mansuetudinis, largitatis ac clementiæ plenissimum et profiteor, et fide teneo. Quapropter supremæ tuæ majestati laudis præconia, quæ possum maxima, offero. Tu nobis innumeris peccatorum vulneribus misere sauciatis medicinam tribue salutarem. Esto pœnitentium benignus exceptor, nos maxime inopes atque indigentes inexhausto divitiarum tuarum thesauro exorna, et infirmorum imbecillitatem subleva, cum sis nostrum spes unica et firmamentum.

IX. O anima, ne eo insaniæ ac dementiæ devenias, ut aures occludas Domino tibi sic alloquenti : « Nolite diligere » mundum , neque ea, quæ sunt in mundo [1], totus enim in » maligno positus est [2], Seducti exierunt in mundum [3]. » Quapropter miserrimam tuam conditionem animadvertito, et quæ cum divina justitia contraxisti, debita cum lacrymis et mœrore diligenter intuere ; ex quo fieri potest, ut innumeræ tuæ maculæ deleantur. Hoc vero præ oculis semper habe, tuorum operum non modo, sed et minimarum cogitationum censorem ac vindicem esse Deum.

[1] 1 Joan. II, 15. — [2] Id. V, 19. — [3] 2 Joan. VII.

PARÆNESIS XLVIII.

I. Eia agite, fratres, appropinquanti Sponso obviam proditari, lampades vestras accendite, hoc pro certo habentes, in qua die operum fiet compensatio, justos ab ipso in deliciis affluente regno constitutum iri. Nam egregiæ quæque animæ tum voti compotes aptatissima æternitatis gaudia consequentur. Enimvero quicumque adventum ejus præstolati, ipsius nomen inter populos annuntiaverunt, præ lætitia exilientes, venienti accensis cum lampadibus occurrent. O illum sane felicem, cui advenientem Sponsum excipere continget! Tunc temporis videre erit lucis et gloriæ præcincta Sanctorum capita ab illo, cujus expectarunt redemptionis manifestationem, et cujus nomen ubique terrarum prædicaverunt.

II. Cum æterni Patris Unigenitus, qui est ante sæcula, ad inferos descendisset, ut ab horrendis suis spelæis vita functos excitaret, ii prodeuntem ex ipso admirabilem lucem conspicientes ardenti studio ei obviam procedere cupiebant; cum vero ipsum cruci affixum cognoverunt, tum quas ipsi perpessi erant ærumnas, quosque sustinuerant cruciatus, oblivioni mandarunt. Intelligebant enim, quod ob suam erga nos charitatem nobis immortalem asseruit vitam, nostrumque pulverem cum beatorum Spirituum agminibus consociavit, et quoniam mors ultimam nobis perniciem moliebatur, ideo ab ejus potestate nos exemit, eripuit, vindicavit.

III. Angelorum igitur Dominus summis extollendus est laudibus, qui suo ad inferos accessu mœrentes exhilaravit, tum quia tenebricosissimæ noctis caliginem expulit, tum

quia universum terrarum orbem admirabili suo lumine illustravit. E cœlo in terram delapsus incolumitati et saluti nostræ munificentissime consuluit, et denuo in cœlum ascendit, ut ad sui dexteram Patris consideret. Quare ipsi se comites adjungere inflammato animo expetunt quicumque adventum ejus præstolati, nomen ipsius in gentibus prædicavere.

IV. Cum Adam in voluptatis horto exitialem fructum degustasset, mortemque sibi, suæque soboli intulisset, nostram cœlestis ille Reparator miseratus conditionem descendit, ut amissam salutem nobis restitueret. Funestissima vero ac luctuosissima die, qua divinus ille Agnus in ara crucis immolatus est, monumenta ultro aperta sunt, non alia certe ratione, nisi ut de futuro judicio singuli admoneremur. En dies properat, in quo defuncti ad vitæ immortalitatem sunt revocandi. Næ ille beatus, qui diem hunc serio contemplans, opperitur! O formidandum adventus Domini diem, in quo omnia cordium abscondita in vulgus prodibunt, et mortui Dei voce excitati, vadimonium obire compellentur! Tunc Adam resurgens obstupescet videns factam sibi copiam in voluptatis paradisum remeandi illo longe jucundiorem, a quo fuerat expulsus, postquam Dei præceptum exequi detrectavit.

PARÆNESIS XLIX.

I. Mirum quî fiat, munde nequam, ut homines quamvis tuis lenociniis persæpe perditi, tamen tantopere te depereant! Tuam venustatem intueor, quæ vix dum sese conspiciendam offert, elabitur, et tanquam somnium avolat et

evanescit. O quam, munde nequam, tuus est ejurandus fastus et proculcandus!

II. Tuum contemplans decorem, oblectamenta, delicias, eheu, dixi, quam velociter prætcrfluunt ac elabuntur! O quam, munde nequam, etc.

III. Quid? Num ornatus tui decori et spectabiles, pulcherrimaque tua species velut umbra non evanescent perinde ac si nunquam extitissent? O quam, munde nequam, etc.

IV. Duo, munde nequam, meam plurimum mentem agitant, atque deterrent: alterum, si tuis obsecutus vocibus fuero, reus fiam, æternumque me supplicium manebit; alterum si te abjecero, vitam cogar in metu ac tristitia traducere! O quam, munde nequam, etc.

V. Quænam ex tuis mercibus captantur compendia, præter criminum onera atque facinorum? Oculis tu velum es, pedibus laqueus, et deliciæ tuæ velut flosculi cito decidunt, et arescunt. O quam, munde etc.

VI. Væ misero illi, qui tui devinctus amore, tuis sese laqueis sinet ac retibus impediri! Quia scilicet te nullam ei suppeditante opem, fatalem animæ exitum patietur. O quam, munde etc.

VII. Pergedum, munde insipiens ac proditor, ubinam sint clarissimi tui imperatores, reges illi potentissimi, imperterriti illi gigantes; ubi, inquam, sint ostendito. O quam, munde etc.

VIII. Tu speciosissimarum mulierum verecundiam deturpasti, tu eas liberis vita charioribus viduasti; tu dominis habitacula possessionesque eripuisti. O quam, munde etc.

IX. Sapientes tuis opibus atque illecebris seduxisti, eos vero qui dulcissimo libertatis arbitrio fruebantur, subdole in servitutem adduxisti, et simplices astu et dolo malo circumvenisti. O quam, munde etc.

X. Pelagus immensum es procellosis fluctuum motibus undequaque jactatum, a quibus vix quisquam speret sese incolumem evasurum. O quam, munde etc.

XI. In nihilum sane redigendæ sunt opes tuæ, tum omnis bonorum copia, tum deliciæ, tum voluptates. O quam, munde etc.

XII. En pulcherrimi clarissimorum regum ornatus, en auro gemmisque splendida Cæsarum diademata pessumdata et corrupta sunt, ac si nullo unquam tempore extitissent. O quam, munde etc.

XIII. Quisnam tui flagravit amore, cui detrimenta parta non fuerint? Aut quemnam tuis bonis locupletasti, cui jacturam non intuleris? Ecquis contra te odio habuit, qui honores non sit adeptus maximos, et immortales? O quam, munde etc.

XIV. O gurges omnium malorum origo iis potissimum, qui tuis se fluctibus commiserunt! O infelix eorum exitus, quos præmio affecisti! O quam, munde etc.

XV. Tuum contemplantibus aspectum, o quam deformis apparet! Quibus tuam offers necessitudinem, proh quam nefaria videtur! Quibus tuus exhibetur amor, proh quam impudendus repræsentatur! O illum sane felicem, qui tuis non est sordibus contaminatus! O quam, munde etc.

XVI. Tu pueros, et juvenes, tu viros et senes blanditiis illecebrisque quasi in vinculis, et compedibus detinuisti. O quam, munde etc.

XVII. Quisquis tui, munde nequam, studio inflammatus est, foveam malis doloribusque refertam omnibus sibi aperuit; qui te contra odio sunt insecuti, æternam vitam ac felicitatem obtinuerunt. O quam, munde etc.

XVIII. Tu domibus deplorandam vastitatem intulisti, earumque dominis perniciem ultimam induxisti, et ma-

trum uteros infœcundos reddere non dubitasti. O quam, munde etc.

XIX. Eia agite, fratres, sacrarum Litterarum monumenta consulite, et hunc mundum in pristinum chaos redactum iri, in eoque nihil esse firmum, nihil stabile comperietis. Subsidium itaque pro sæculo nunquam præterituro, nobis, dum possumus, comparemus. Tuum, munde fugax, ejuro fastum, qui jam ad occasum properas.

XX. Etenim ille Deum sibi benevolum facit atque propitium, qui fallaces hujus vitæ blanditias et voluptates fastidiens, annos æternitatis assidue meditatur. Tuum, munde fugax, ejuro etc.

XXI. Illius bonitatem summis laudibus ac præconiis extollamus, cujus immensæ ditioni, ac potestati, non modo præsens, brevi interiturum sæculum, sed et futurum illud ad perpetuitatem permansurum subjicitur. Tuum, munde fugax, etc.

XXII. Surgamus ergo, charissimi, animosque nostros in hoc transeunti sæculo ad perfectæ virtutis normam seduli excolamus, ut hæreditatem nunquam perituram in altero adeamus. Tuum, munde fugax, etc.

XXIII. Enimvero cum in pacatissima illa Beatorum regione, tanquam in sua sede inhabitet Dominus, cupiditates nostras in hac deficiente vita, si recte sapimus, comprimentes, pœnitentiam agere satagamus. Tuum, munde fugax, etc.

XXIV. Constanter perseveremus omni studio in vigiliis, et piis precibus, ut venienti Sponso cum prudentibus virginibus occurramus. O quam, munde fugax, etc.

XXV. Charitatis denique perpetuo vinculo copulati, contendamus, fratres, in jejuniis, et orationibus, ut cum justis, et pœnitentibus in illo bonorum omnium affluente triclinio accumbere mereamur.

PARÆNESIS L.

I. Emitte, Domine, lucem tuam in cordibus nostris, ut mandatis tuis fideles inveniamur. In vesperis, Domine, sol ad occasum vergit, tu modo nobis sol esto, ne tenebris obruamur. Te rogamus, fortissime sæculorum Gigas, cujus misericordia immortalitatem asseruit imagini, quam ipsa effinxerat. Te, inquam, supplicum votis deprecamur, ut splendor tuus oboriatur mentibus nostris, ne unquam a tuæ doctrinæ legibus deflectamus. Dignos nos effice, Deus, ut tuæ bonitatis præstantiam noctu meditantes, a nobis prava per te somnia abigantur; neque Satanæ copiam feceris, ut nos somno gravatos deludere valeat, ac subsannare. Elucescat lumen tuum in ædibus nostris, et fortitudo tua ubique nos roboret, atque communiat. Quæ Davidi regi suppetias tulit, omnipotentiæ vis, firmo gratiæ suæ aggere adversus tenebrarum principem nos circumsepiat. Tua, Domine, virtus se comitem nobis præbeat, ut communis adversarius, qui totis, quibus valet, viribus nos oppugnare non desinit, pudore deterreatur. Dextera tua præsidio nobis adsit in vesperis, noctibus, et ante lucem, emicansque tuæ crucis jubar nos tueatur, ac sospitet. Qui justum Joseph ab inimicorum insidiis eripuit, nobis quoque omni tempore adjungatur in socium. Domine Deus noster, cujus misericordia perpetuo patet peccatoribus ad bonam frugem redeuntibus, præsta nobis, ut nocturnis meditationibus te semper præ oculis habentes, Psalmos, Spiritu sancto afflante, elucubratos hilari lætoque animo concinamus.

O te invocantium spes unica, iis medere, quæ diabolus

animis nostris inflixit, vulneribus, ut tum vigiles, tum somno dediti, nunquam a tuo latere discedamus. Nostrarum mentium aciem collustra, ut gloriam tuam intueatur. Crux tua, Domine, ædes nostras præsidio tegat, et improbum adversarium ab iis cogat quam longissime abscedere. Justitia tua oculos illuminet, et mentis tenebras, solis instar, omnino dissipet. Deus immortalis, qui ex sublimi cœlorum fastigio delapsus, vitam omnibus tuo interitu peperisti, esto nobis pacis et tranquillitatis auctor et conservator in vesperis, noctibus, et matutinis, ut cum Ecclesia, quæ Patrem et Spiritum sanctum tuum humiliter confitetur, et laudat, a sempiternis cruciatibus eripiamur.

PARÆNESIS LI.

I. Laudes æterno Patri impræsentia persolvamus, cujus singulari beneficio factum est, ut tu, Reparator amplissime, in terram descenderes veluti « Splendor gloriæ, et justitiæ » sol, [1] » qui ex regia Davidis sobole ortus, in tenebris et umbra mortis sepultos illustrasti, et gentes ad pœnitentiam pertraxisti.

II. Agite, ergo pœnitentes, quicumque asperam vitæ rationem suscipere statuistis, misericordiam efflagitate, quæ ubique vobis in promptu est : « Derelinquat impius » viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur » ad Dominum, et miserebitur ei, quoniam multus est ad » ignoscendum [2]. » Scis, Domine, quam late pateant scelera nostra ; nos ergo penitus collabentes, dextera illa tua, quæ misericors, et clemens est, arripito et sustineto. Faciles

[1] Hebr. I, 3, — [2] Esaï. LV, 7.

meis precibus aures admove, quoniam immenso pretio, tuo videlicet sanguine, salutem meam reparavisti. Perditissimum illum adolescentulum patrimonii dissipatorem æmulati sumus. Peccavimus, inique egimus, et te ad furorem sceleribus inflammavimus, ac prope impulimus. Tu nostris modo calamitatibus, et angustiis subsidio adsis, et sordes ablue, quarum causa jam gratia tua in nobis locum, ubi consistat, invenire vix potest. Dulcissime Domine, cui pœnitentium voces gratissimæ sunt, te cum vidua evangelica maximopere obtestamur, ut nobiscum misericordiam potius exerceas, quam potestatem. Nobis innumeris obstrictis flagitiis ignoscito, qui hactenus nostrorum criminum sarcinam patientissime sustinuisti.

III. Auspicatissimum crucis vexillum inconcusso veluti præsidio ab æterni ignis impetu me tueatur eo momento temporis, quod ad operum retributionem divinitus est præstitutum; et cum misericordiæ tuæ lux affulgebit, nobis ejusdem gloriam consequendi potestas fiat. Præsta denique, ut cum Sanctis tuis, quos nihil unquam ab officio avocavit, Divinitatis tuæ æternas laudes celebremus.

PARÆNESIS LII.

I. Quicumque immensam Dei majestatem temere impudenterque lædere ausus est, suam audaciam atque proterviam oportet, ut cum gemitu ac tristitia detestetur. Mihi vero præ omnibus dolendum est, quippe qui omnium nequitiam improbitatemque superavi.

II. Angeli atque homines propter intolerandam meorum criminum insolentiam graviter commoventur; ego autem

a meis noxis et flagitiis palam detegendis, ac pervulgandis deterreor. « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ » a facie insipientiæ meæ [1]. » Quia hujus mundi delicias ac voluptates, quæ animam prorsus inficiunt, expetivi, idcirco impurissimus tenebrarum princeps me corruptum vitiatumque perdidit; tum me turpiter, ceu quondam Adamum in paradiso, seduxit ac subsannavit. Me nudum, atque omni præsidio destitutum, Evæ instar, conspexit, nec tamen immanis ille animarum carnifex meam cladem calamitatemque est leviter commiseratus. Tuum ergo, Domine, unicum mihi perfugium superest, qui me ex nihilo condidisti : tu extremam nuditatem contege : tu vulneribus medicinam adhibe : tu id demum effice, ut mea in tuto sint omnia. Me huc illuc inconsulto errantem ad te accersito, et vitæ meæ tutelam suscipe, tu, qui solus gratis misereris et parcis.

III. Hoc mihi etiam elargire, ut in resurrectionis die vultum mihi tuum liceat animo prorsus defœcato atque ab omni formidine vacuo intueri. Gratiæ tuæ salutari me rore perfunde. Sic enim fiet, ut æterni ignis supplicia et cruciatus effugiens cum beatis illis, qui tuo maxime amore flagrarunt, tuæ humanitatis præstantiam nunquam celebrare prætermittam. Felicissimis cœlorum civibus, qui veræ lucis filii sunt, sectatores tuos adjunge comites, et dignos effice, qui te Patremque tuum, et Spiritum sanctum æternis in cœlo laudibus efferant.

[1] Psal. XXXVII, 6.

PARÆNESIS LIII.

I. Dulcissime Jesu, mortalium salus et indulgentiæ largitor, qui in Calvariæ montis vertice oblatus es, ut humanam naturam saluberrimo tui corporis sacrificio æterno Patri reconciliares, suscipe, quæso, oblationes precesque nostras, suscipe, inquam, thura nostræ pietatis symbola, atque hujusmodi oblatio nobis omnibus delictorum veniam afferat, qua nihil ardentius concupiscimus.

II. « Ne, Domine, longe facias miserationes tuas a nobis [1], » dum te supplices colimus, et ad tuam clementiam confugimus. « Perfice gressus nostros in semitis tuis [2], » ut culparum veniam adipiscamur.

III. Amantissime pœnitentium Parens, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, excipe nos, quæso, qui frequentissimi tuæ clementiæ januam obsidemus, et largire nobis, ut non tantum verbis, sed et opere et actu pœnitentes simus et nominemur.

IV. Judicium omni prorsus lenitate carebit, et consummatio illius flamma ignis ardentis tota die [3]. Utrumque, o anima, æqua rationis lance perpende, et omni prorsus studio obnitere, ut horum effugium assequaris. Quod quidem tibi ex sententia continget, si bonis operibus eleganter exculta ac insignita decesseris.

V. Perniciosum illum somnum, qui tandiu indulsisti, excute, et obitus tui gravissimum momentum sedulo inspice, et fatalem horam, in qua Judicis quæstionibus responsum datura es, maxime reformida.

[1] Psal. XXXIX, 12. — [2] Id. XVI, 5. — [3] Eccl. XXI, 10, et Isaï. LXV, 5.

VI. Ad supremi Numinis similitudinem efformata es, ejusque pulchritudinis imaginem repræsentas, et illius vultus lumen signatum est super te. Cave igitur ne inditam tibi a Deo venustatem, qua tam pulchre elucescis, scelerum illuvie polluas, ideoque severissimum judicium ab ipso, cujus majestatem spernere ausa es, tibi sit sustinendum. Justitiam ex animo cole, id enim tibi maxime proderit. Ne pretiosa illa momenta tibi ad vivendum divinitus tradita incassum teras, et judicii diem sæpissime mediteris. Cum, Domine, regni tui thronum suscitabis [1], et accedes ad nos in judicio [2], propitiare nobis, ut exultemus ad dexteram collocati.

VII. Tu vero mortalium impurissime, cui nihil unquam nefas nec in facinore, nec in libidine fuit, ne a lacrymando absistas, et clementiæ Patrem enixe obtestare, ut tibi, quemadmodum peccatrici in domo Simonis, indulgeat.

VIII. « Redite ideo prevaricatores ad cor [3] : Convertimini in toto corde vestro, et scindite corda vestra, et » clamate ad Dominum [4], » Ninivitarum instar, ut vobis ignoscat, quemadmodum latroni, qui eum extremis, ac intermortuis plane vocibus invocavit.

IX. Clamo ad te, sicut peccatrix, et sicut publicanus, Domine, cujus beneficentia, atque humanitas latissime patet. Tu qui nihil, præter injurias, oblivisceris, ne delicta velis nostra reminisci; sed effice, ut cum iis recenseamur, qui postquam honestatis ac prudentiæ suæ triste hominibus desiderium reliquerant, ad summam illam, ubi nullus est dolori locus, felicitatem ac beatitudinem evolarunt.

[1] 2 Paral. VII, 18. — [2] Malach. III, 5. — [3] Isaï XLVI, 8.— [4] Joël. II, 12, 13.

PARÆNESIS LIV.

I. Unigenite Fili Dei, qui ex altissima æterni Genitoris mente providisti, quem post temporis plenitudinem, intemerata Mariæ virginis viscera, divino afflante Spiritu, excepere, et in hanc lucem, non inter pretiosa regum peristromata, sed inter pastorum tabernacula ediderunt; vide, quæso, quo pietatis ardore ac studio saluberrimi, ac divini prorsus hujusce facinoris memoria celebratur, et hanc sine celebritatem per te nobis esse beneficam ac salutarem.

II. Hic vos appello, invictissimi Martyres, qui tam strenue decertastis, quique ex tot, quibus conflictati estis, ærumnis gloriose triumphastis, ut pro nobis Christum deprecemini, qui nunquam velit sua nos misericordia spoliatos atque orbatos videre.

III. Tuæ, Domine, vocis imperio nos advoca, ut qui pretioso tuo corpore, et sanguine persæpe nunc vescimur, tum suaviter assurgamus, cum judicium peracturus adveneris, et universi tecum præclarissimas Beatorum sedes ingrediamur.

IV. Gloria æterno Patri sit maxima, qui beatam Virginem ad tantum honoris culmen evexit, ut in sui pectoris angustiis templum divinæ majestatis construeret, et in fragili humanæ carnis natura totam Divinitatis gloriam contineret. Filio etiam festi ubique dies summa cum celebritate statuantur, qui Martyres ad pugnam acuit, ac roboravit. Æterna denique gratiarum actio referatur Spiritui sancto, utpote admirabili nostræ resurrectionis auctori, et id unum præ oculis habeamus, ut augustissimæ Trinitatis gloriam præ-

dicantes, quominus innocentia possumus, ejusdem nobis misericordiam subsidio comparemus.

PARÆNESIS LV.

I. Opem, Domine, nobis omni prorsus auxilio destitutis suppedita, et gregi tuo dexteram porrige, ut animus noster debilitatus, ac prope fractus assurgat; tu enim et salus es et victoria nostra; in te spem omnes habemus maximam; et quemadmodum castis probisque viris beatitudinem consequi tuam per potentiam licuit, sic veris nos divitiis confidimus per misericordiam cumulandos.

II. Jucundus, quæso, nobis accidat adventus tuus, et lampades nostras oleo probe instructas portabimus. Cinge caput Justorum insigni gloriæ diademate, quo præclare ornati in resurrectione tibi gratulentur, sibique gaudeant, et ad tuæ majestatis sedem, tecum in æternitate victuri divino voluptatis gaudio collætantes accedant. Cherubim te, misericordiæ fons, et origo, exquisitissimis verbis assidue laudent: pontifices, ac sacerdotes omnes tibi gratias ubique singulares agant, qui æterni Genitoris majestatem perfectissime repræsentas.

III. Præsta, omnipotens Domine, ut nullus ex iis, qui baptismatis sacramento regenerati sunt, e paradiso excludatur in extremo judicii die, sed inter cœlestes incolas in æterna tabernacula singuli admittantur, atque illius sint convivii participes, cui nulla potest suavitas esse par, aut jucunditas.

IV. Militanti huic Ecclesiæ perpetuæ pacis ac tranquillitatis solatium impertire; ex quo plane fiet, ut universæ nationes certatim laudibus prosequantur augustissimum

illud Ternarium, quod testimonium dat in cœlo. Ecclesiæ autem ubi tranquillitatem dederis, tum nostras animas a delictorum omnium turpitudine sordibusque libera, et charitatis ardore inflammatas tuo præsidio fove, ut nihil abs te neque secundarum, neque adversarum rerum ipsas sejungere casus possit.

PARÆNESIS LVI.

I. Parens cœlestis, nos te invocantes exaudi, cùm non sit alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster. Enimvero cum nondum nati essemus, placuit tibi nos crucis beneficio donare; nunc vero cum conditi simus, ne pessum ruere sinas. Doce nos facere voluntatem tuam, et da, ut præceptis tuis obtemperantes, perfectis justitiæ operibus tibi placeamus.

II. Quia nominis tui gloriam atque amplitudinem confessus sum coram hominibus, tua me charitate complectere, quo die mansuetudine potius excipi, quam severitate terreri quisquis desiderabit. In ea nunquam satis metuenda hora, ne me tibi alienum esse profitearis, at mecum clementiam, quam nunc postulo, adhibe, et ad dexteram statue eos inter, qui tibi fideliter inservierunt.

III. Nisi silice durius esset cor nostrum, nunquam profecto lacrymas contineret, et quanquam improbitas cujusque nostrum vix verbis exprimi valeat, excordes tamen adeo sumus, ut nulla sit res, quæ plus apud nos polleat, quam effrenata voluptatum, atque deliciarum cupiditas. Eia igitur oculos et cor nostrum ad cœlum erigamus, ac omnipotentis Dei cultui toto animo obsequentes, ejus lau-

dibus delectemur, ex quo ille pluribus suis beneficiis in nos collatis, voluntatem nostram erga se et gratam, et memorem recognoscat.

IV. Proh quam luctuosa erit peccatoris conditio in eo temporis spatio, quo mortales omnes ad inexorabilis Judicis subsellia rapientur, et intima cordium penetralia in vulgus prodibunt! Formidandum sane judicium erit, ac fatale momentum. Beatus autem ille, cujus de salute sollicitus Redemptor erit, a quo fructus amplissimos est habiturus.

V. Mos mihi est, dum pecco, scelerum meorum turpitudinem occultandi, ne ulli innotescant. Frustra tamen elaboro, cum mea consilia Deo pateant, cui non est quidquam absconditum [1]. Si me peccantem hominum quispiam deprehendat, incredibili statim pudore afficior; Dei vero præsentiam minime vereor. O dementiam singularem! O stultitiam nullis unquam hostiis, aut piaculis expiandam! Propitius esto mihi, Judex omnium patientissime, qui homines ad te sero, aut diluculo venientes illa tua benignitate, tua, inquam, illa præstante, atque egregia excipis et amplecteris.

VI. Quid mihi modo agendum supersit, plane ignoro. Cum enim meis sceleribus, atque maleficiis nihil addi jam posse videatur, mihi quidem in promptu non est, quo tandem modo eadem valeam expiare. Si porro aquas expeto, nec flumina omnia, nec pelagus ipsum meis sordibus abluendis sufficiunt. Saluberrimum mihi tantum superest sanguinis tui, Domine, et undæ, quæ tuo ex latere effluxerunt, lavacrum, quo perfectissime emundabor.

VII. Tu vero, infelix peccator, quo te vertis? quid moliris? Ad te jam redi, et judicium, quod sustinendum tibi quamprimum erit, serio contemplare; a cujus severi-

[1] Eccli. XXXIX, 24.

tate si innoxius evadere ac impunitus cupis, modo, dum tempus sinit, ad pœnitentiam confuge. Hic Deum precari assuesce, ut illic propitiatorem habeas, ubi lacrymarum, et orationum munera irrita futura sunt atque inania.

PARÆNESIS LVII.

I. Piissime Domine, « Cujus charitas diffusa est in cor» dibus nostris [1], » te enixe oro, obtestorque, ut innumeris, quibus detineor, sceleribus ignoscas, quoniam nihil præter injurias oblivisci soles. Persuasum namque mihi est nullum momentum temporis extitisse, in quo tibi non displicuerim ; sed illud modo ab te contendo, ut in Salvatoris vulneribus imaginem et animi et amoris erga me tui complecti, atque osculari liceat.

II. Dies otiose perdidi, quin minimum mihi emolumentum aut utilitatem comparaverim. Propitius esto mihi, Domine, quemadmodum latroni, qui cum perexiguo temporis spatio morem tuæ gesserit voluntati, tuam tamen benignitatem habuit et perspectam et cognitam.

III. Ne illa respicias crimina, quæ meæ adolescentiæ florem contaminarunt; sed hoc mihi per admirabilem infantiæ tuæ sanctitatem, et innocentiam impertire, ut cum pueris, qui se tibi devoverunt, tuis possim laudibus indulgere. Quæ vero extrema in senectute impudenter admisi, ne ex justitia, sed ex misericordia pendas tu, qui Antiquus dierum sedes [2], et me dignum efficias, obsecro, veluti senem illum sanctissimum Simeonem, ut omnibus in rebus tuus amor erga me semetipsum ostendat.

[1] Rom. v, 5. — [2] Dan, VII, 9.

IV. Ne meæ vitæ rationem a me ita repetas, ut pœnas mihi debitas luam; quin potius meam imbecillitatem misericordiæ tuæ præsidio confirma.

V. Ne tuas mihi fores occludas, ut necessario gratiæ subsidio vacuus abscedam, imo vero mihi amanti, cupienti, ac vehementissime postulanti, cum quinque illis prudentibus virginibus esto in thalami tui delicias introductor.

VI. Ne meam causam severissime pertractandam suscipias, nec me justitiæ potestati prorsus committas, sed judicem mihi clementiam statue, cujus me gratia et auctoritas consoletur.

VII. Ne me maxime infirmum, animoque penitus fractum deseras, nec Dæmonis servituti mancipandum, sed eorum numero ascribendum existimes, qui postquam semel ad bonam frugem rediere, hanc sibi legem statuerunt, ut nihil, nisi de præceptis agerent ac consiliis tuis.

VIII. « Ne, Domine derelinquas animam meam in in» ferno [1], » tu, qui vitam degis ex omni parte perfectam, hoc est beatam, et sempiternam. « Quæ enim utilitas in » sanguine meo, dum descendo in corruptionem [2] ? » At eas potius mihi vires præbe, ut posteritati relinquam certum aliquod singularis meæ erga te observantiæ monumentum.

IX. Ne projicias me, Domine, a facie tua, sed ad eam, quam humano generi interclusam aperuisti, beatitudinem admittendum judica.

X. Ne mihi scelera, quorum conscientia mirum in modum torqueor, ultro ac palam fatenti debitas pœnas infligas; cum nullus profecto sit præter te, Domine, qui se justum, atque ab omni culpa vacantem audeat jactitare.

[1] Psal. XV, 10. — [2] Id. XXIX, 10.

XI. Ne mea tuo ex animo memoria deleatur, cum mei causa acerbissimum in terris judicium sustinueris, sed me comiter excipe in tuas sedes, uti perditum illum patrimonii decoctorem filium effuso sinu venientem suscepisti.

XII. Ne, Domine, sinas, ut animum penitus despondeam, et ad ultimam desperationem adducar, cum meæ salutis spes omnes in te habeam collocatas. Meam in te fiduciam auge, et intimos animi sensus amoris tui stimulis, quibusdam veluti facibus, accende.

XIII. Ne me ab optatissimo convivio tuo prohibeas, neque in tenebras exteriores projicias, sed nuptiali veste indutum, ad te omni tempore diligendum inflamma.

XIV. Ne atratam mihi vestem imponas, cum lustralibus baptismi undis expiatus innocentiæ stolam induerim; sed mihi largire, ut in die celebritatis et lætitiæ totus in eximiis laudum tuarum prædicationibus verser.

XV. Ne me, pie Jesu, cujus in mortales benevolentiam esse maximam prodigia ubique terrarum celeberrima testificantur, improborum gregi recenseas, sed eos inter quibus tua morte libertatem asseruisti.

XVI. Ne me ad infernum abigas, qui os suum dilatavit [1], ut me devoret, planeque obruat; sed præsta, ut cum beatis ordinibus lætitia gestiens, suavissimis convivii tui deliciis reficiar.

XVII. Ne mea, Domine, opera æquo pondere librentur, quandoquidem nullum memini me opus laude ac præmio dignum gessisse; mecum potius ea miseratione utere, qua factum est, ut mei similes bene multi vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint.

XVIII. Ne me, inquam, juxta meorum operum rationem judices, cum eo impudentiæ devenerim, ut nullum officii, gratique animi specimen tibi præstiterim; sed, qua pu-

[1] Psal. XXXIV, 21.

blicanos amplexus es, pietatem ac benevolentiam mihi ostendito.

XIX. Ne deplorandam animi mei tupitudinem Angelis conspiciendam objicias : maximum enimvero hoc mihi esset pudoris ac tristitiæ argumentum. Quinimo turpitudinem, qua sordesco, crux deleat tua, quæ hominum genus ad primæva jura revocavit, nullique secundum reddidit.

XX. Ne me, Salvator optime, tua justitia opprimat, nec mihi Beatorum cœtus se inimicum infestumque præbeat; sed tuam a me iracundiam deprecetur, ut ad auspicatissimam clementiæ sedem facilis mihi aditus patefiat.

XXI. Ne me ad lævam existimes cum scelestissimis statuendum, qui vim omnem Divinitatis ac potestatem eripere conati sunt, sed ad dexteram cum iis colloca, qui majestatem tuam veriti, crucis tuæ pondus æquissimo animo complexi sunt, ut ad immortalitatis gloriam niterentur.

XXII. Ne me de meis criminibus coram tuis Angelis objurges; secus enim præ ingenti trepidatione, ac verecundia corruam; quin potius mea crimina obliviscere, nec partes Judicis habeas, sed parentis, qui misericordiæ malit, quam potestati obsecundare.

XXIII. Ne me demum, humanissime salutis hominum Reparator, a conspectu tuo abjicias, nec adversariorum audaciæ me vinctum dederis, sed sinas, obsecro, ut gaudium sit Angelis tuis super me peccatore pœnitentiam agente.

XXIV. Ne debitas mihi pœnas justitia infligat, nec a gratia unquam destituar, sed misericordia, et eximia tua benevolentia me undique comitetur.

XXV. Solve, obsecro, arctos illos delictorum nexus,

quibus durissime obstringor, et sartus tectusque, te cum Patre, ac divino Spiritu æternis laudibus celebrabo.

PARÆNESIS LVIII.

I. Deus immortalis humanæ salutis auctor præstantissime, omni studio ad meam defensionem conspice; « Custodi me ut pupillam oculi, et sub umbra alarum tuarum » a tentationibus protege [1]. »

II. Oculorum licentiam cohibeto, ne huc illuc temere volvantur; aurium custos esto, ne pravas voluptatum illecebras et lenocinia excipiant,

III. « Pone custodiam ori meo, et ostium circumstan» tiæ labiis meis; ne declinet cor meum in verba malitiæ, » et ad scelera se convertat [2]. »

IV. Nobis impertire, obsecro, perfectam rerum cognitionem et intelligentiam, ut mores ad virtutem atque honestatem componamus; sic enim tibi erimus et odoribus, et aromatibus vel suavissimis jucundiores.

V. Effice, Domine, ut tui cupiditate maxima inflammemur, et mundi fastum atque oblectamenta respuamus, et conculcemus, posthabitisque prætereuntis hujusce sæculi bonis, tibi tantummodo adhæreamus.

VI. Largire nobis, ut tria tibi munera, tanquam tria, et quidem gratissima thuris genera, totidemque lampades offeramus, mentem videlicet, linguam, totumque corpus; quæ Trinitati augustissimæ consacremus. Mentem Patri exhibeamus; animam Filio; corpus Spiritui sancto, qui illud e pulveris humilitate sublevet, innovetque.

[1] Psal. XVI, 8. — [2] Id, CXL, 3, 4.

VII. Pater omnium amantissime, tuis meam mentem radiis ac luce comple; Fili, animæ sanctitatem tribue; Spiritus sancte, corpus, quod innumeris ærumnis et infirmitatibus conflictatur, corrobora; sine demum, ut nos de tua gratia, tu vero de nostra pœnitentia collæteris, et a mente, anima, et corpore tibi gloria referatur, tuæque nos misericordiæ divitiis omni tempore redundemus.

PARÆNESIS LIX.

I. Tuo me, potentissime Deus, patrocinio fove, et ex Dæmonis tyrannide redime, qui intoleranda mihi onera imposuit, et virtutis tuæ divina vis infensissimum hostem enervet, qui me sternere, ac penitus evertere conatur.

II. Dæmonem lubens ejuravi, et ab ejus me fraudibus atque anfractibus expedivi; idcirco omnes vaferrimus ille versutiæ nervos intendit, ut insidiis me iterum circumveniat.

III. Si, Domine, tua virtus nullas mihi suppetias ferat, neque crux tua me tantopere exagitatum sustineat, profecto in laqueos, qui mihi passim intentantur, misere impellar.

IV. Ne, sinas, oro, ut ex acie discedam ab illo profligatus, qui turpiter in cœlo victus fuit; cum ingens sit dedecus ab illo vinci, qui toties fractus est atque disjectus.

V. Auditum mihi non semel est insolentissimum illum humilitate conteri ac debellari. Tu, Domine, qui ponis humiles in sublime [1], et sedere facis cum principibus populi tui, immoderatumque tumescentium fastum, atque

[1] Job. v, 11.

arrogantiam perfringis, animi mei audaciam coërce, et me ad humilitatem, mansuetudinem, comitatemque traducito.

VI. Impertire mihi, obsecro, ut tua sub potestate degam, ac tuæ morem voluntati libentissime geram. Meæ vero mentis tenebras coram te, veluti coram sole nebulæ evanescant, ne unquam in morte obdormiam.

VII. Te modo, scelestissime Dæmon, execror Filii Dei nomine, tibique ea, qua polleo, auctoritate impero, ut impurissima ora occludas, atque obmutescas. Maledictus es in cœlo, et in terra, nec usquam locum, ubi tutus consistas, invenire poteris.

VIII. Ad te, pie Jesu, supplex confugio : crux tua tutissimum mihi portum, ac solatium præbeat. Maximas tibi gratias agam, majores etiam habebo; teque cum Patre et Spiritu sancto assidue colam ac prædicabo, eo quod ab immanissimo tenebrarum principe me vindicaveris, ut tuam vineam excolere et exercere aggrederer, quo nihil mihi gratius accidere potuit aut optabilius.

PARÆNESIS LX.

I. Antequam mors te e terra, cui radicitus defixus hæres, peccator, evellat, et horror judicii universum terrarum orbem pervadat, misericordiam efflagita, ipsamque adipisci totis viribus contende; ne si diutius commoreris, tibi ad eam aditus intercludatur, neque ulla indulgentiæ spes tibi elucescat.

II. Cum te prorsus lateat funestissimus ille dies, quo tibi mors vitam adimet, nunquam a clementia exposcenda

quiesce. Enimvero actum dubio procul esset, si ipsa te imparatum deprehenderet.

III. Ne, Domine, nos ultimo supplicio devoveas in tuo judicio, nec nostras percellat aures vox illa horribilis, cujus strepitus sinistrum latus perterrefaciet, sed dignos effice, ut illa vita vere vitali omnibus bonis et gaudiis circumfluente, una cum Justis perfruamur.

IV. Infinita est clementia tua, mortalium amantissime; ecquis ipsius amplitudinem valeat pro meritis celebrare? Num in toto terrarum orbe inveniri potest tam prona, sicut tua, Domine, miseratio, ad quam nobis confugere semper liceat? Num fores adeo patentes suppetunt, quæ nos in maximis rerum angustiis versatos tam faciles excipiant? Tua igitur clementia, quæ eximiis laudibus ac præconiis digna est, ne, quæso, nostris audiendis precibus defatigetur.

V. Tuæ miserationes immensæ sunt, humana vero malitia finita ac circumscripta, Hinc fit, ut multo latius illæ pateant, quam peccata. Ne ergo sinas, Domine, ut immensas miserationes vincant, ac superent finitæ culpæ, sed gratia nos tua ubique comitetur, et subsequatur.

VI. Eo potissimum ardentissima desideria, et vota respiciunt mea, ut magnifico illo convivio reficiar, cui Angeli intersunt et Beati omnes. Nihilo tamen secius prætereuntium bonorum blanditiis adeo mea mens stricte detinetur, ut ab earum cupiditate se expedire nesciat. Uterque me plurimum tenet amor. Tu, Domine, qui optime nosti, quam pronus in vitium ab adolescentia fuerim, effice, oro, ut mundi ardor a veræ felicitatis amore penitus extinguatur.

VII. Id nobis, amabo, elargire, ut cum Angelis, qui a tuis laudibus ex animo prædicandis nunquam deficiunt, gloriam tuam in æternitate laudemus, et invicem tibi ob-

viam progrediamur, cum electi ab improbis secernentur.

VIII. Sanctissime Parens, quem et Beati, qui in cœlo versantur, et mortales, qui adhuc terram incolunt, summa veneratione prosequuntur, abs te unum enixe poscimus, ut spiritus tuus in nostra pectora illabatur, eademque ab omni macula expurget, ita nimirum, quod reliquum nobis est vitæ tempus, in tuo nomine perfecta cum charitate colendo laudabiliter traducemus.

IX. Alacres illi Cherubim et Seraphim cœtus tibi in cœlis toto pectore obsequuntur. At quoniam pergratum tibi est ab hominibus etiam commendari, suscipe te adorantium preces, et tum singulis, ut soles, ovibus, tum universo gregi propitius esto, ne quid Ecclesia detrimenti patiatur.

PARÆNESIS LXI.

I. Quis valeat sacrificii vim atque præstantiam satis cebrare, cum tam late pateat, ut nemo ejus sanctitatem consequi dicendo possit? Quisquis Moysi libros accurate versabit, compertum profecto habebit summum sacerdotem Aaronem, statim ac, thuribulo accepto, suppliciter ad altare confugit, teterrimam pestem ab Israëlitarum exercitu propulsasse; scilicet tam grata tibi, Deus optime, accidit illius thuris suavitas, ut furor tuus illico conquieverit. Hæc cum ita se habeant, en sacerdotium nostrum tibi ejusmodi munus offert: effice ergo, ut ipsius virtute tuorum famulorum lues dissipetur, et nostrum erit egregium hoc benevolentissimæ voluntatis tuæ testimonium perpetuo colere et venerari.

II. Quos in tuum honorem concremamus odores, non minus certe accepti tibi esse debent, ac illi, quos tibi Aaron quondam obtulit. Et quemadmodum illorum beneficio expulsa pestis est ab Israële, cui tu jure meritoque succensueras, ita horum ope ab Ecclesia tua schimasta et contentiones, quæ deplorandum in modum ipsius unitatem frangunt, penitus arceantur. Hujus porro oblationis singularis præstantia nostris etiam majoribus prosit, qui tuum nomen palam professi in tua spe ex hac luce demigrarunt, ut, cum denuo in terram rediveris, in eam requiem, quæ plena oblectationis est, tecum feliciter ingrediantur.

III. Clementissimus Dominus humanæ saluti quam maxime intentus, Discipulos ad vigilantiam assidue cohortabatur, quibuscum hæc verba frequentissime usurpabat: « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus » sit[1]. » Et rursus : « Si ergo non vigilaveris, veniam ad te » tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te[2]. »

IV. Quibus sane saluberrimis monitis cum nos usque adeo parere neglexerimus, intimo animi dolore affecti, et lacrymantibus oculis tuos ante pedes procumbimus, mitissime Jesu, qui speculum es sine macula[3], et figura substantiæ illius[4], ex cujus altissima mente mirifice prodiisti. Nos sordidatos atque incompositos tua gratia ad munditiem, integritatemque traducito, tuoque præsidio subleva; plane enim nosti quam natura miseri simus atque imbecilles. Cum vero nos in rerum asperitatibus misere versatos videris, ne a tuo conspectu arceas, qui nostrum mœrorem tristitiamque potes unice consolari.

V. Quod peccaverim, gravissimasque tibi injurias intulerim, ne fraudi ac malitiæ vitio vertas, at meæ potius fragilitati. Gravissima animi ægritudine premor, ac prope con-

[1] Matth. xxiv, 42. — [2] Apoc. iii, 3. — [3] Sap. vii, 26. — [4] Hebr. i, 3.

tabesco, neque ulla medicina suppetit ad dolorem depellendum accommodata. Medicos adhibere non prætermisi, at eorum curatio nulli mihi hactenus fuit utilitati, nec doloris æstum lenire valuit aut mitigare. Enimvero insitus adeo dolor est, tamque altis defixus radicibus, ut nulla unquam ratione divelli queat, nec mihi modice respirare liceat.

VI. Auditum mihi sæpe est te, Medice præstantissime, plenum esse salutaribus medicamentis, et qui se tibi curandum committit, sanitati prorsus restitui. Mihi igitur tot malorum acerbitate prostrato largire, obsecro, salutem et veniam, ob immensam tui Patris charitatem, et ob Genitricis intemerata viscera, quæ te gestaverunt.

VII. Mea omnia crimina nuda et aperta tuis oculis sunt; nec quidpiam ex tot meis sceleribus te præterit. Sparge, quæso, super me salutares clementiæ tuæ imbres, qui impurissimas, quibus sordeo, maculas detergant. Te supplex obtestor, quemadmodum optimus ille David consueverat, ut indulgentia mihi liberaliter concessa frui quandiutissime possim.

VIII. Perstricta adeo et obcæcata meæ mentis acies est, ut nihil altum, nihil magnificum ac divinum suspicere valeat, quippe quæ suas omnes cogitationes ad terræ humilitatem abjecit; et nil mihi, præter cruciatus ac pœnas in sempiternis ædibus asservatur. Proh pudor! elapsi jam sunt dies mihi ad recte vivendum divinitus assignati, nec unico horulæ spatio pœnitentiæ operam serio dedi, nec cogitationem converti ad cœleste illud regnum, in quod aditus optimo et justissimo cuique est expeditissimus. Ecce autem æterna mihi supplicia ab æquissimo Judice merito præparantur. Pro me utinam deprecentur Prophetæ, qui te tantopere dilexerunt; intercedant Apostoli, qui tibi tam studiose inservierunt. Porro immortali laude cumulaberis, si

ii tecum erunt, qui per te servati, ac judicio liberati sunt.

IX. Mea me crimina turpiter contaminarunt; idcirco cum universum mortalium genus in jus vocabitur, purissimum Angelorum obtutum effugere præ verecundia conabor. At, quod deterius est, mea me turpitudo in sempiternum carcerem impellet, ubi nullæ sunt miserationes, nulla humanitas, nulla indulgentia. Ne, quæso, misericors Domine, ne tuum a nobis conspectum tum temporis avertas, illum scilicet jucundissimum, qui beatas efficit cœlestium incolarum mentes, nec eximia tua humanitas atque clementia animos frangi aut cadere patiatur.

X. Claude, precor, æstuantem illam voraginem, quæ dilatavit os suum, ut nos misere devoret. En alacres pœnitentiam amplectimur, et a vitiis emergere contendimus : effunde ergo clementiæ tuæ rorem, quo ardentes flammæ extinguantur; ne infelicissimi illius divitis instar, cujus in Evangelio fit mentio, in atrocibus iis ardoribus aquæ guttulam frustra ab Abrahamo exposcere cogamur. Fias, oro, nobis « Fons aquæ salientis in vitam æternam , » tuarum enim aquarum mirifica virtus diuturnam, qua laboramus, sitim potest unice explere.

XI. Vide, Domine, vota nostra, quæ eo potissimum spectant, ut fidelibus immenso a te pretio redemptis propitieris, et quos ex turpissima servitute extraxisti, iis tui regni fores patefacias, ut tecum in æternitate oblectentur, et præ lætitia exiliant, « Cum torrente voluptatis tuæ po» tabis eos, et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ[2]. » Porro ob insigne adeo ac singulare beneficium, in gratiis tibi, Patrique tuo, et Spiritui sancto referendis assidue versabuntur.

XII. « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aqua» rum[3], » ita terra et ejus incolæ, qui veluti naves maxi-

[1] Job. iv, 14. — [2] Psal. xxxv, 9. — [3] Id. xli, 2.

mis turbinibus ac procellis circumquaque aguntur, te salutis ac refrigerii portum concupiscunt. Amantissime Salvator, qui tuo sanguine vitam omnibus peperisti, mortalium, quæso, miserere, et eorum mortiferas plagas obligare ac reficere quamprimum velis.

XIII. Tu vero, peccator, qui sic te ipse abjicis atque prosternis, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem putes interesse, contremisce ab judicii severitate, quæ te misere perdet. Nihil est, crede, quod effugium tibi valeat suppeditare, præter pœnitentiam, et jejunia, quæ duæ res ad Dei optimi maximi furorem sedandum plurimum possunt; in his enim ipse delectari solet, ac conquiescere. Nulla ergo interjecta mora, saluberrimo hocce remedio utere, ne ultionis dies te incautum aggrediatur.

XIV. Ne sinas, Domine, ut, mea impellente nequitia, in interitum ruam. Intolerandus enim mihi esset insolentissimi hostis sibilus, quo me, ob partam victoriam inflatus, merito exploderet traduceretque. Mei custos sis et servator, ne callidus ille furtim se insinuet, et corruptelarum me illecebris implicet. Meam voluntatem guberna et moderare, ut tuis præceptis obtemperet, et in tua gratia constantissime perseveret.

XV. Absit, Domine, ut ex hac luce in ipso flagitiorum æstu discedam. Si usque adeo peccatricem in scelere sum imitatus, eamdem et in pœnitentia imitabor. Tauros aut agnos, hædos, turtures, aut columbas tibi non offeram, quin potius totus abibo in lacrymas; hoc enim tibi magis arridet munus. Tu vero, qui natura ad beneficentiam propensus es, me tuum ad ovile redeuntem amplectere, et in gratiam tuam restitue mea mihi vita chariorem.

XVI. Age, Noë, probitatis justitiæque ornamentum, atque decus, dic, amabo, quî maximus Dei furor leniri potest et mitigari? Charitas atque humilitas (sic enim is me allo-

qui videbatur) ad iratum Numen flectendum plurimum habent roboris, nec satius quidquam aut efficacius potest excogitari. Hæc ille; quæ statim ac ad Ecclesiam perferuntur, nulla interjecta mora, ad altare proficiscitur : thuribulum corripit, et iterata thuris oblatione, supplex a Deo poscit, ut suis filiis clementissime ignoscat, eximiamque charitatis atque humilitatis virtutem concedat.

XVII. Tibi, Domine, una cum suavitatis odore beatissimæ virginis Mariæ merita offerimus. Accipe ergo mira, qua præditus es, comitate, exigua illa, quæ ad altare tuæ majestatis cultores sacrificia detulerunt. Tuo gregi, qui infinito crucis pretio comparatus est, gratiam et indulgentiam impertire. Sit, oro, sacrificium nostrum ægrotis salutaris medicina; sit iis, qui ærumnis conflictantur levamen; sit demum peccatorum remissio ac venia expectata jampridem et exoptata semper a nobis omnibus.

PARÆNESIS LXII.

I. Eximiis, Jesu Christe, omni prædicatione cultuque dignissime, laudibus ac præconiis exornetur maxima facilitas, et humanitas tua; tu enim noster es Deus et rex, ac humanæ salutis auctor et conservator, in quo spes fidelium omnes sunt constitutæ. Te cœlestes cives, ac terrestres incolæ jugiter venerantur, et gratias, quas possunt, maximas tibi agunt, eo quia cum natura invisibilis esses, vix temporis plenitudo advenit, sub humanitatis involucris, quasi levi nube obductum, te conspiciendum præbueris, et infinita tua charitate perditum genus in pristinum restitueris, ipsiusque saluti opportunissime prospexeris. Quandiu itaque

in terra commoratus es, pertransisti benefaciendo, et sanando omnes diuturnis morbis confectos. Peccatores ad salutem restituisti, et cum singuli essemus mortui peccatis, convivificasti nos, ut essemus in te nova creatura novumque figmentum [1].

II. Ecclesiam præterea in terris ædificasti, quæ triumphantis illius similitudinem gerit; cujus quidem fundamenta charitate suadente substruxisti, et gratia præside perfecisti. Ipsam quoque tibi desponsasti, tuoque sanguinis pretio tui juris fecisti. At quoniam audacissimus hominum adversarius, ejusque satellites et administri tam præclaram molem prosternere obnituntur, idcirco tuo, Domine, præsidio eam tuere, ne portæ inferi adversus ipsam prævaleant; ne insita illi pulchritudo depereat; ne denique ipsius thesauri omni divitiarum genere referti deficiant, et penitus exhauriantur. Quod Apostolorum principi Petro pollicitus es, adimple, Domine; id autem te præstare noverimus, si tuum hocce ædificium circumquaque munieris atque obvallaveris. Tuam, quæso, benedictionem illis impertire, qui ejus constructioni operam suam adjunxerunt. Omnes quotquot in hujusce gremio aluntur, te providum conservatorem sentiant; sacerdotes altarium ministerio deditos absterge, et si qui ad ipsam perturbandam parati fuerint, eorum insania tuæ potentiæ magnitudine comprimatur. His ita dispositis, superest, ut perfectam Ecclesiæ tranquillitatem impertiaris, et dissensionum zizania, quæ inimicus homo solet in medio tritici superseminare, radicitus evellas, ac uno verbo ita sponsam tibi charissimam complectaris, ut ejus filii terrena despiciant omnia, et æterna ac vera bona unice concupiscant.

[1] Ephes. II, 5, et 2 Cor. V, 17.

PARÆNESIS LXIII.

I. Benignitatem laudemus Dei nostri, qui singulari charitate ductus filiis hominum gloriam suam manifestavit. Cum enim ex luto corpus ratione carens efformasset, eidem animam Divinitatis participem copulavit; tum copiam fecit, ut terrena hominum ora ipsum profitentia, laudes ejus ubique gentium prædicarent.

II. Quæ igitur desidia nostra est, mortales ratione præditi? Ad Dominum modo accedamus, ne morte præoccupati, divinis jejuni laudibus ex hac vita demigremus. Per longa noctis silentia mortis horrorem studiose perpendamus, quia hujusmodi meditatione silentium terrenis sollicitudinibus imponente, nullum plane momentum divinis laudibus vacuum prætermittemus.

III. Quid? Num Justi, quorum animus facillime evolavit in morte tanquam e custodia vinculisque corporis, Domino non vivunt, postquam nocturnas vigilias in piis meditationibus traduxerunt? Reprobi vero, qui divinæ gloriæ nullam grati animi significationem exhibent, non erunt ut mortui censendi, etiamsi ab hominibus in viventium numero collocentur?

IV. Eia, fratres, voces nostras ad Psalmos, divinasque laudes psallendas excitemus, ut comites efficiamur virginum illarum, quarum prudentiam divinus Sponsus magnopere commendavit. Vigilemus in piis precibus, ut in illa advenientis Sponsi nocte clarissima ipsius luce fruamur. Satis jam otio voluptatibusque viximus; quamobrem consilium mutemus, et unde stulte discessimus, revertamur,

ut Dei maximi gloriam in illo manifestationis dominicæ die feliciter conspiciamus.

V. Insomnes traducamus noctes, veniet enim quamprimum mors, quæ nos ex hoc sæculo abducet. Tunc temporis reprobi perpetuis addicentur cruciatibus, et iisdem clementiæ ostium occludetur. Quorum in numero ne inveniamur, die retributionis appropinquante, studia nostra omnia accurate in piis operibus impendamus.

VI. Illud assidue meditemur, quod corpora Sanctorum, qui in orationibus operam suam consumpserunt, cum fiet operum compensatio, in aëra evehentur, salutisque suæ Reparatoris præsentiam minime erubescentes, in paradisi gaudia effuso sinu ab Angelis excipientur, qui de ipsorum felicitate mirifice gratulabuntur.

VII. Interea dum superstites sumus illius misericordiæ gloriam tribuamus, qui nostrum effinxit corpus, ut suam nobiscum gloriam communicaret, quique obscurissimum mortalium genus cœlestium Spirituum ordinibus consociavit, ut non tam voce, quam animo toti perpetuo essemus in divinis laudibus occupati.

PARÆNESIS LXIV.

I. Surgite in matutinis, Ecclesiæ filii charissimi, et Deum optimum collaudantes tanta reverentia prosequimini, quanta in hominem cadere potest maxima. Valde enim convenit, ut nos infinitam ipsius bonitatem ubique profiteamur, quia cuncta cœli luminaria ita in ordinem redegit et composuit, ut eorum quæque immutabilibus ab ortu ad occasum spatiis commearent. Hinc est, quod superinduc-

tum in orbe atrum tenebrarum velamen jam disjectum dissipatumque apparet, et prima diei lux longe lateque in omnes mundi regiones effunditur, ut dormientes omnes excitet. Feliciter autem excitabimur, si tuus, Domine, splendor nostras mentes illuminet, ut tuam providentiam Psalmis hymnisque jugiter celebremus, atque ex ejusdem inexhausto ærario animæ nostræ opes colligant sempiternas. Deus optime, quemadmodum nos nocturnis e tenebris extraxisti, ita ab inferni pœnis eripito: pietas tua, cujus infinita sunt monumenta. nobis necessaria subsidia suppeditet, quoniam spes omnes in te positas habuimus: clementia tua, quæ dierum ac temporum vicissitudines moderatur, nostræ causæ defensionem suscipiat: gratia tua nos comitetur, ut per ipsam ad perenne beatitudinis gaudium perveniamus: tuarum dextera misericordiarum nos sospitet, ut a sempiternis ignibus evadamus: ne velis, oro, æquissime Judex, ad justitiæ tuæ trutinam perpendere acta mea; quinimo sis mihi servator meus in multitudine misericordiæ tuæ, ne a beatæ vitæ portu rejiciar.

II. Cum in igne judicium facies, tuo me, quæso, irriga rore, sicut olim pueros in fornace babylonica irrigasti: cum inextinguibiles flammæ adversus reprobos infremuerint, tum me, Domine, electorum tuorum numero adjunge. Tuam, Piissime, efflagitamus clementiam, ut, quo soles vulneribus mederi pharmaco, illud adhibeas ad nostræ infirmitatis sananda ulcera, ut in justorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob ordinem asciti, vera illa bona consequamur, quæ sola sunt hoc nomine nuncupanda. Corpus et sanguis tuus mihi in comites adjungantur, ne gehennæ ardoribus comburar. Crux tua nobis omnibus præsidio sit, quo periculosam inferni voraginem trajiciamus. En tuus iste fidelium cœtus te, Domine, supplex rogat, ut cum judex adveneris suavissima hac illum voce, « Venite benedicti

»Patris mei[1], » ad perpetua paradisi gaudia invites. Nunc autem cœlum, et terra, quæque ipsorum spatium implent nobiscum tibi gratias quam maximas de nostro ad bonam frugem reditu agant, teque cum Patre et Spiritu sancto toto animo, parique observantia venerentur.

PARÆNESIS LXV.

I. In omnibus, Domine, vesperis sempiterna a filiis hominum tribuantur præconia, quod diem iisdem dederis, ut ad opus artemque suam incumbentes necessaria ad vitam sustentandam lucra sibi compararent. Tuis etiam laudibus indulgeant quicumque diurnis perfuncti laboribus requie indigent, quoniam eorum lassitudinem nocturna temperat relaxatio.

II. Ecquis est adeo excors, ut postquam tot tuæ providentiæ, liberalitatis, munificentiæque argumenta percepit, nullam tibi velit officii significationem exhibere? Tu hominum felicitati vigilantissimus tempora cœlique luminaria ita ordinate disposuisti, ut nox diei succederet, qua adveniente, illorum cupiditatem corriperes, qui nunquam suorum fratrum sudoribus saturantur. Quocirca providentissimo consilio factum a te est, ut operarii fame, siti, oneribusque jam pene fracti, sole in occasum ruente, ab opere cessent, atque ita respirare tandem incipiant.

III. Vespertinum ecce adest tempus, quod mundo est agricolisque faustissimus auspicatissimusque. At rapacissimis illis, quorum nec expletur nec satiatur immoderata rei alienæ cupiditas, vix dici potest, quam ingratus accidat

[1] Matth. xxv, 34.

ac molestus. Et quoniam, ut mox aiebam, ægre ferunt, ut operarii sarcinam deponant, ideo fit, ut integer solidusque dies sibi nimium celeriter effluxisse videatur.

IV. Summis est honoribus prædicandus Deus, qui hactenus ab orbe condito genus humanum sustentans, curavit, ratos certosque limites vesperi circumscribendos, ut sese tum homines, tum muta etiam animantia quieti ac somno traderent.

V. Jamvero tot tantisque beneficiis hoc etiam adde, Domine Jesu, ut sicuti Ecclesiam tuam indelebili inaugurasti signo, ejusque filios a Dæmonum tyrannide vindicasti, ita crux tua sit nobis trajectus, qui gregem tuum salutari tuo sanguine redemptum sustineat, ac tueatur; mundus etiam universus pace et tranquillitate fruatur, ut per te Dæmon victus prostratusque a nobis recedat: atque ideo omnium linguæ, omnium ora, omnesque terrarum orbis regiones tuam gloriam celebrent, et nos cum ipsorum laudibus nostras conjungentes, te, Patremque tuum, et Spiritum sanctum studiis omnibus prædicemus.

PARÆNESIS LXVI.

I. Suscipe, Domine, quas fundimus, preces, et votis, quæ tibi offerimus, clementer annue, quodque ministerium tibi impendimus, benigne admittito : tum accende nostros charitate animos, mentemque elargire, quæ æquabiliter adversos afflictationum casus toleret, et patienter sustineat.

II. Item nobis impertire, ut tuam confitentes majestatem, in fide nunquam nutemus, laudetque tuas hymnis et canticis prosequamur; et quoniam insomnes transegimus

noctes, laboresque exantlavimus, clementia tua nostra debita expungat.

III. Ne sinas, Domine, ut quorum animi tuarum laudum præcones extiterunt, et linguæ tua encomia celebrarunt, ii acerbis in inferno clamoribus conquerantur, illud sibi frustra abs te oblatum, ut tuis laudibus indulgerent.

IV. Ne, quæso, patiare, ut oculi, qui insomnes ac vigiles exegere noctes, pedes, qui in ministerio tuo laborem et operam consumpserunt, frustrentur a beatæ spe vitæ, et pereat eorum merces ac præmium in die retributionis.

V. Ne permittas, Domine, ut sempiternis fletibus et ululatibus contabescat os nostrum, postquam in Psalmis et in citharis tuas laudes celebravit : imo misericordia, pietas, et gratia tua vigilias nostras habeat et gratas et acceptas.

VI. Te, quæsumus, Salvator optime, ut nos dignos efficias, qui puro illibatoque corde stemus coram majestate tua, ut te, Patremque tuum, et Spiritum sanctum æternis laudum præconiis efferamus. Amen.

PARÆNESIS LXVII.

I. O anima, cum vitiis usque adeo diffluxeris, surge tandem, et diuturnum errorem pœnitendo corrige ; fieri enim potest ut supremi Regis majestas tot sceleribus violata tuis suspiriis emolliatur. Cum tua flagitia inanibus tegumentis usque adeo simulaveris, modo oportet ut non labiis tenus, sed ex intimis tuæ conscientiæ visceribus ipsorum turpitudinem depromas. Postquam vero te ream esse compereris, funde uberem lacrymarum vim coram Judice, quem intolerandis injuriis incessisti. Pœnas ab immortali

Deo atrocissimas tuæ temeritati constitutas esse persæpe cogita; ideoque vocibus tristitiam præ se ferentibus clementiæ Patrem obtestare, ut te vulneribus confossam ac pene prostratam velit ad salutem incolumitatemque traducere.

II. Eheu infelix anima, quantam tibi cladem intulisti! Tu, cum naturæ excellentia par Angelis esses, et ejusdem socia dignitatis, tuas omnes cogitationes in voluptatum ac libidinum sordes abjecisti, quin tibi hinc evadendi rationem aliquando proponeres.

III. Quia jacta virtutis semina, vix dum ad frugem cœperant efflorescere, spinosa germina suffocarant, idcirco nullum honestatis fructum attulisti.

IV. Tuæ te cupiditatis æstus huc illuc jactarunt, veluti cymbam, quam remigio prorsus carentem concitata turbinum rabies, vehementesque fluctuum impetus ad naufragium misere compulerunt.

V. Mirum plane mihi videri solet ultionis diem e tua mente tam longe recessisse, neque unquam serio cogitasse, qua potissimum ratione adventantem Sponsum exciperes, cum omni lumine orbata, funesta tenebrarum caligine obruaris.

VI. Ne, quæso, tua ista torpedine segnitieque velis plane languescere. Surge potius, et dum facilis tibi ad lenitatem aditus aperitur, lætitiæ oleum quamprimum sume, et cum impudica illa fœmina, cujus vitæ emendatio in sacro Evangeliorum codice tantopere commendatur, tuorum scelerum veniam iteratis singultibus flagita.

VII. Ingredere igitur hilari lætoque animo sacrosanctum pœnitentiæ vestibulum, cujus fores excludere solent neminem. Quod si feceris, ea tibi dolor bona restituet, quæ consuetudo vitiosa detraxerat.

VIII. Ac ne diutius emendationem protrahas, hujusmodi ad cœlum conversa deprecationibus utere: te, dul c

Jesu, ex quo omne datum optimum, et omne donum perfectum profluit, totis, quibus valeo, viribus oro obtestorque, ut ad te redeuntes animas benignitate complecti, nec non susceptam ab iis pœnitentiam ratam in extremo judicio acceptamque habere velis. Mihi vero opis maxime indigenti propitius sis, obsecro, in calamitosissimo retributionis die, cum omnes animas, quotquot per te ab interitu ereptæ, et ad pœnitentiam pertractæ sunt, in gratiis tibi referendis studiosissimas fore video, planeque sentio.

PARÆNESIS LXVIII.

I. Summus rerum Dominator, « Qui lucem inhabitat inac» cessibilem [1], » vocavit nos ad Agni nuptias, » Ut vitæ æternæ » hæredes efficeremur [2]. Ipse mundavit sibi populum ac» ceptabilem, sectatorem bonorum operum [3], ut ferret vasa » Domini [4], » et magnificum ejus nomen in gentibus annuntiaret.

II. Quæ quoties soleo mecum tacite contemplari, in eam toties spem adducor, ut tu, unigenite Fili Dei, qui amictus fortitudine, velut gigas hanc terrarum molem ad tui gloriam condidisti, impurissima labia, vocemque meam tua suavitate ad canendum componas, unde in hac mortali luce tuæ gratiæ præconia celebrare assuescam, et tuæ gloriæ præstantiam digniori carmine in cœlo persequi valeam,

III. Jesu sponse luminis, et vitæ auctor beneficentissime, miseros te invocantes benignitate recrea, et cum divitiarum tuarum infinitus sit thesaurus, egestati nostræ

[1] 1 Tim. VI, 16. — [2] 1 Petr. III, 22. — [3] Tit. II, 14. — [4] Isaï. LII, 11.

humaniter consule, ut tuis opibus ornati in amplissimum Beatorum cœtum cooptemur.

IV. Tu providentissimus ille Paterfamilias es, qui parem persolvisti mercedem tam novissimis, qui una hora laborarent, quam primis, qui portarunt pondus diei et æstus [1]. Primo siquidem mane egressus conducere operarios in vineam tuam, circa horam tertiam Prophetas vocasti, quos dedisti in lucem gentium, ut essent salus tua usque ad extremum terræ [2]. Denuo ad horam sextam Justos e tenebris in admirabile tuum lumen pertraxisti [3]. Ad nonam Apostolos invitasti, quos lucis arma indutos [4] ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem tui corporis [5] addixisti. Undecima demum latronem evocasti, cui sub ipsis interitus faucibus beatitudine luculentis verbis promissa, paradisi fores, quas Adam obstruxerat, subeundi potestatem dedisti: et sic factum est, ut ille mortalium parens, qui tandiu vagus atque exul oberraverat, in patriam multo feliciorem restitueretur.

V. Tibi perenne decus tribuatur, clementissime Jesu, qui tuam, quam gerimus, imaginem propria turpitudine depravatam emendavisti, quique nostrorum scelerum pondus sustinens, tuum pro nobis sanguinem effudisti. Ne sinas, quæsumus, ut non tam nostro vitio, quam malo Dæmonis dolo in fraudem inducti funditus pereamus.

PARÆNESIS LXIX.

I. Quæ jampridem in nefaria peccandi consuetudine consenuisti, anima, quousque tandem abutere patientia

[1] Matth. XX, 12. — [2] Isaï. XLIX, 6. — [3] 1 Petr. II, 9. — [4] Rom. XIII, 12. — [5] Ephes. IV, 12.

divina? Heu desere aliquando ignominiosum istud vitæ genus, muta istam mentem, et lacrymis ac pœnitentia opportunam præpara vulneribus medicinam. Tuam ex abditis conscientiæ latibulis improbitatem profer, et ad misericordiæ parentem confuge; ipsum enim afflictæ tuæ res facile ad lenitatem allicient.

II. Humanarum specierum cupiditas, qua tantopere conflagrasti, tibi ingenitam formæ præstantiam ademit; corruptela, dissolutio et impudens licentia, tuos adeo mores depravavit, ut Spiritus sancti templum cum antea fores, nunc scelerum omnium sentina evasisse videaris.

III. Væ tibi infelicissima, quæ nihil usque adeo egisti, nihil molita es, quod vanitatem, libidinem, malitiam non redoleret! Oculos jam converte ad formidandum illum ignem, cujus tu pabulum futura es; et dum ex illius incendii contemplatione timoris argumentum sumis, disce laudabiliorem tibi vitæ rationem constituere.

IV. Tua flagitia, quo plus ætatis accessit, eo ulterius progressa sunt, adeo ut in senectute eorum numerus incredibiliter auctus, te in summam rerum desperationem adduxerit. Quæ quidem desperatio in causa fuit, cur te non tantum a ratione, verumetiam a pœnitentia aversam prorsus atque alienam præberes.

V. Cogita, dum adhuc licet, quantas hominibus clades voluptas intulerit, cujus potestati te turpiter subdidisti. Cogita inauditam Dei bonitatem, qui eo majora tibi præstitit charitatis officia, quo te deteriorem fieri animadvertit. Cogita funestissimum illum diem ad tuam perfidiam publice patefaciendam divinitus præfinitum. Quis tunc temporis tibi patronus aderit, cum nullus ex universo circumstantium cœtu futurus sit, qui te ream non arguat?

VI. Tunc enimvero depravati animi tui impetus, velut

lancea erumpentes te tanquam signum ad sagittam constituent, luctuque ac mœrore afficient, cujus nullus est futurus exitus, aut consolatio. Igitur hisce Jesum verbis deprecare : tu reparator optime, in cujus benignitate mea spes omnis nititur, miserere animæ, quam redemisti. Ovis ego illa sum, quæ mea insania te pastorem deserui. Nihil boni, nihil sinceri mihi superest; quidquid a te acceperam, totum libidines dissipaverunt. Exurge, obsecro, in occursum animæ, quæ in pristinum reverti jam apud se proposuit. Si indigna prorsus est, ut aliqua dolori suo venia tribuatur, effice, Domine, ut hanc infinito tuæ crucis merito consequatur.

PARÆNESIS LXX.

I. Jesu parens optime, et rex omni cultu dignissime, qui passione tua mortis vincula confregisti, quique nobis vitam omni prorsus gaudio redundantem in cœlesti regno asseruisti, nostram, obsecro, improbitatem dele, quæ viam nobis ad æternam beatitudinem potest unice obstruere, et clementiæ lucem in hisce terrarum sedibus diffunde, ubi tristitia, dolor, calamitas suum hactenus domicilium collocaverunt. Hinc plane fiet, ut cum judicii dies eluxerit, tibi obviam læti prodeuntes humaniter excipiamur.

II. Memores quantis nos tua gratia muneribus ornaverit, quanta fragilitati nostræ commoda detulerit, et quam constanter eximius tuus amor nostris mentibus adhæserit, non possumus, quin sempiterna beneficiorum memoria tibi maxime obstrictos profiteamur.

III. Interim vero ab immensa tua charitate id nobis

expetendum superest, ut præteritas injurias, quibus te incredibili audacia lacessere ausi sumus, voluntaria velis oblivione delere; gratum enim pro tam singulari munere tibi animum pollicemur.

IV. Largire, obsecro, ut oculi, qui tuorum gestorum magnitudinem modo vident, tuæ humanitatis excellentiam in perpetua gloria conspiciant : aures, quæ tuis vocibus, ac monitis patuerunt, ne, quæso, horrendo tubæ sonitu obterantur : ora, quæ tuis laudibus in Ecclesia personuerunt, digna effice, ut te frequentissime celebrare assuescant : linguas, quæ te sanctissimum professæ sunt, ad tua præconia compone : manus, quæ sacrosanctum tuum corpus persæpe tractarunt, ab impuritate, qua sordescunt, tuo sanguine absterge : pedes, qui tuis in templis versari consueverunt, dirige, ut ad Beatorum regionem expeditissime gradiantur. Huic demum cœtui universo, qui te supremum Numen obsequenter adorat, tua auxilia uberrime impertire, et dulcis ille amor, quo hactenus nos mirifice complexus es, non modo confirmetur, sed in dies magis atque magis augeatur.

V. Pateant nobis tuæ clementiæ fores, ut ministerium nostrum ad te ingrediatur; illa tua in nos misericordia effulgeat, quæ occurrere solet supplicibus nulla oratione evocata; ea videlicet opitulante, nostra omnia crimina expiabuntur. Quod si præstiteris, pro certo habe omnem nos operam in hoc unum collaturos, ut tua ac totius Trinitatis dignitas, et amplitudo in omnium animis vigeat, et elucescat.

PARÆNESIS LXXI.

I. Clementissime Domine, tuas laudes loquatur os nostrum, quoniam egregia tua virtute, hostem, qui omni prorsus momento nostram infirmitatem adoritur, victum prostratumque conspiciamus.

II. Absconditus es, Domine, in essentia tua, quæ licet a creatarum rerum imbecillitate attingi nequeat, tamen in ea mortalium spes omnis posita est et defixa, cum nullus iis patronus adsit, qui eorum incommodis tam liberaliter, tamque opportune prospiciat. Mentem igitur obnoxiis cupiditatibus exue, ne vaferrimus hostis subdole sese insinuans, ipsam possit insidiis circumvenire.

III. Id nobis largire, ut qui hospites terram peragramus, nostræ peregrinationis cursum in tua voluntate conficiamus; quod quidem nobis e sententia accidet, si tuæ charitatis subsidio nos foveas, et ab adversariorum insolentia acerrime tuearis. Induat per te, obsecro, genus nostrum armaturam fidei, ut quodam velut inexpugnabili scuto probe instructum proditorem valeat superare.

IV. Ex quo mens nostra hujusce sæculi delicias expetivit, vitiata prorsus est, ac turpiter depravata. Tua idcirco gratia pristinam illi virtutem restitue, ut ad meliorem frugem redacta fructus virtutis atque honestatis exquisitissimos afferat. Næ ille beatus jure optimo censendus est, qui pro diuturnis beneficiis sibi divinitus collatis, gratias quas potest maximas referre studet.

V. Breves admodum sunt nostræ peregrinationis dies, neque ad tuam gloriam pro dignitate celebrandam suffi-

ciunt. Divinitatis tuæ præstantia omnem dicendi vim, atque copiam quam longissime superat, nec a mundi sapientibus percipi aut investigari potest. Illud autem maxime mirum est, quod quamvis laudis et præconii voces ab unoquoque nostrum illi debeantur, non ea tamen est, ut hominum injuriis lacessita excandescere possit, aut perturbari.

VI. Hanc porro Divinitatem, quæ, ut modo aiebam, sub hominum sensum cadere nequit, pro nostrarum virium tenuitate prædicare obnitamur, et adorandum potius, quam temere perscrutandum Trinitatis mysterium obsequentissime veneremur.

VII. At tu, Deus optime, nostra tibi ut officia gratiora sint, peccandi consuetudinem, in qua prope occalluimus, penitus reseca, et tua nos charitate accende, qua inflammati æterna tibi laudis munera offeramus.

VIII. Tuæ sanctitatis imaginem nostris cordibus infige, qua præside, a noxiis omnibus eluantur. Tu nostri pectoris excubias age; tu effrenatæ cupiditatis impetus comprime, et qui nullis animi motibus obnoxius es, nostram fragilitatem robora: tu nobis, et toti terrarum orbi in summo discrimine posito pacem atque otium impertire; et nostrum erit eo esse in te animo, ut in tuo amore, et gratiarum actione firmiter perseveremus.

PARÆNESIS LXXII.

I. Cum tu, Domine, sapientissimus ille rerum omnium opifex sis, qui mortales e nihilo condidisti, ac propterea lucem, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, tuæ bo-

nitati, clementiæ, largitati referendum esse profiteamur, hoc nos potissimum in votis habemus, ut eam, qua huc usque in nos usus es, beneficentiam nobis deinceps etiam exhibere velis.

II. Primum hominum parentem Adamum tui gloriam procreasti. Is vero, cum tua jura violare ausus esset, præterquam quod ab justitia, sanctitate, innocentia, in quibus constitutus fuerat, decidit, seipsum quoque omnesque posteros mortis legibus obstrinxit.

III. Porro ignominiam illam, qua summo cum dedecore notatus fuit, a vetiti fructus esu profecta est. Exinde vero infelicissima hominum natura tota cœpit in pessum ferri, et squalore situque obsita, libertatem in servitutem, dignitatemque in labem atque infamiam commutavit; eo vel maxime, quod formidolosissimus serpens non minorem in homine decipiendo fallaciam, quam in accusando severitatem præ se tulit.

IV. Adam in ipsa sui creatione eximio decore, ac singulari elegantia enitebat, quam improbum illud monstrum cum in hominum genere patienter ferre non posset, Evam aggressus decepit, fefellit, in fraudem induxit, effecitque, ut primi illi terrarum incolæ, qui erant ad imperium nati, mox ob extremam inopiam infelicissimis arborum frondibus propriam nuditatem tegere cogerentur. Tantæ vero calamitati illud etiam accessit, quod hæc nempe omnia tam brevi tempore gesta sunt, ut jure asserendum videatur, utrumque vix in lucem editum e patria pulsum esse atque dejectum.

V. Munificentissimus rerum Dominus communi omnium progenitori una cum lucis beneficio sacerdotium, pontificatum, regnumque detulit. De hoc solummodo monitum cautumque voluit: « Ex omni ligno paradisi comede; de » ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quo-

» cumque enim die comederis ex eo, morte morieris [1]. » Hoc sane æquissimum præceptum Adam, suadente Dæmone, dicto citius detrectavit : quandoquidem ex vetita arbore decerptum pomum comedit. Quo absoluto facinore, se deliquisse animadvertens, expavit, et nudum se esse perspiciens, latibula territus quæritabat. Deus autem, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia [2], « Ad auram, ut sacræ » Litteræ disertissimis verbis enuntiant, post meridiem deam» bulans vocavit Adam, dixitque ei : Ubi es [3] ? » Ille, voce ad miserabilem sonum inflexa, subdidit : « Audivi vocem tuam » et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me ; mulier » enim, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et » comedi [4]. » Ecce enim (sic tacitus secum animo volvisse credibile est) omni prorsus ornamento exutus sum, triste posteris opprobrii monumentum futurus. Tuam, Domine, imploro clementiam, ut ad beatam illam terram, unde tam inhoneste depulsus sum, cum honore revertar, et quam omni posteritati peccando jacturam intuli, pœnitentia, lacrymis, ægritudine mihi per te liceat emendare.

PARÆNESIS LXXIII.

I. « Per unum hominem, ut sacræ Litteræ perspicue tes» tantur, peccatum intravit in mundum [5]. » Cum vero sit peccati stipendium mors, quid mirum si Adæ prævaricationem mors consecuta sit, quæ in omnes homines pertransiens, iisdem exitum nunquam satis deplorandum attulerit ? Ex quo progenitor ille locum diabolo dedit, ejusque

[1] Gen. II, 16, 17. — [2] Hebr. IV, 13.— [3] Gen. III, 8, 9.— [4] Ibid. 10 et 12. — [5] Rom. V, 12.

fraudibus sese circumveniri passus est, eo mendicitatis nuditatisque devenit, ut nihil illo calamitosius, nihil egentius fingi, aut excogitari potuerit.

II. Reliqua, quæ huc revocari possent, missa faciens, pauca de dominici adventus die cursim ac veluti per transennam memorabo. Hunc porro celerem non minus, quam inopinatum fore apertissimis hisce verbis notatum deprehenditur : « Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret » usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis[1]. » Quod autem improvisus futurus sit infinitis propemodum sacrarum Litterarum testimoniis evincitur, quibus Christum Jesum clam, aut tanquam furem in nocte venturum admonemur.

III. At quoniam supremo Dei judicio decretum est, ut in adventu summi Regis mortale hoc induat immortalitatem[2], ideo omnes, qui in monumento sunt resurgent incorrupti, gratias agentes Deo Patri, atque unigenito Filio ejus, cujus virtute « Absorpta est mors in victoria[3]. »

IV. Quæ cum ita sese habeant, te, pie Jesu, magnopere quæso, ut perditos tuorum fidelium animos recreare velis suavissimis illis vocibus : « Venite benedicti Patris mei, » possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi[4]. »

V. At proh miseram hominum conditionem, quorum mores dum ad disciplinæ normam perpendo, tantam in iis corruptelam, depravationem, insaniam comperio, ut ipsi non ad beatitudinis solatium, sed ad inferorum supplicia nati esse videantur ! Quapropter mirari desino, si mors iisdem tam acriter insultat, et tantum terroris affert, ut nihil supra.

VI. Tu Domine, qui mortis habes potestatem[5], tuos famulos ex impurissimis illius faucibus eripe. Salutiferum

[1] Matth. xxiv, 27. — [2] I Cor. xv, 53. — [3] Ibid. 54. — [4] Matth. xxv, 34. — [5] Sap. xvi, 13.

crucis vexillum ad æternitatem omnes comitetur, ut tua spe freti placide ex hac vita decedant. Illud vero memorandum tui amoris pignus, tuum scilicet corpus et sanguis, quo toties refecti sunt, in ipso mortis articulo ita fulciat, ut te duce, in tuto positi, singulare tibi, Patrique tuo, et Spiritui sancto studium gratumque animum profiteantur.

PARÆNESIS LXXIV.

I. Domine Jesu Christe, cujus est proprium supplicationibus præcibusque benigne annuere, id nobis præsta, ut quæ per te Patri tuo obtulimus vota, hujusmodi referre compendia possint, quæ precantium exigunt necessitates.

II. Quoniam tu in victimam electam pro mundi reparatione immolatus fuisti, tuam efflagitamus opem, ut nostras velis apud Genitorem tuum delere maculas, et vulneribus, quæ nobis inflixit Dæmon, opportune mederi.

III. Quia Adam vetitum in paradiso comedit fructum, tu in Prætorio columnam complexus es; et quandoquidem immania ejusdem filii scelera perpetrarunt, tu diris Judæorum flagellis et cruciatibus occurristi, ut nobis afferres omnibus securitatem, gratiam, et tranquillitatem.

IV. Tuam igitur, Domine, clementiam imploramus, ut quæ nostri libertas arbitrii contraxit conflavitque debita compenses atque dimittas. Quemadmodum sacrosancto sanguinis tui pretio nos ab legis maledicto vindicavisti, ita tuis nos exemptos doloribus ab justitia tua severissima criminum vindice nunc eripito.

V. Absit, Domine clementissime, ut hominum protervia labefactare queat misericordiæ tuæ immensitatem, quia licet

gravia sint nostra flagitia, tamen omnem ultra modum ac limitem extenditur pietas et clementia tua.

VI. Multa sunt, fateor, quæ gessimus, delicta, sed eorum multitudinem misericordiæ tuæ in infinitum superant; et quo major justitia tua suis librata ponderibus apparet, eo minor malitia nostra tuæ comparata misericordiæ videtur esse.

VII. Quid? num quisquam erit, qui pietatem tuam nostris cum sceleribus conferre audeat? Quisnam est, qui non intelligat montes expendi posse, misericordias autem tuas omnia excedere pondera, ac mensuras?

VIII. Præstantior siquidem clementia est tua quam, quo utimur ad spirandum, aëre; hic enim præstitutum attingit terminum, illa vero principio ac fine carens, nullis omnino finibus continetur: quamobrem eam etiam atque etiam rogamus, ut optatissimam nostris incommodis, malis, atque vulneribus consolationem afferat, et salutem.

IX. Nullus dubito, Domine, quin meis sceleribus tuam lacessiverim majestatem, quæ quidem quantum ab ira et indignatione abhorreat, nemo potest dicendò consequi, quia scilicet misericordia redundat maxima. Quapropter mira ejus serenitas nullis unquam nebulis perturbatur, veluti sol, qui licet radios in terram immittat, ex ejus tamen sordibus nullum accipit detrimentum.

X. Benignitas tua, Domine, immensum est pelagus, quod nullis omnino spatiis circumscribitur; nostra vero flagitia quantacumque sint, quæ certe sunt maxima, illius vastissimum purissimumque sinum nulla prorsus ratione exhaurire possunt. Et quî fiat, Domine, ut homulorum sordes clementiæ tuæ magnitudinem superent, cum Propheta apertis plane verbis testatum reliquerit, « Omnes gentes » quasi stilam situlæ reputatas esse coram oculis tuis [1]? »

[1] Isaï. xl, 15.

XI. Enimvero cum adhuc nobiscum versarere, nemo te perturbatum vidit; cum præceptoris munus obires, nemini iratus apparuisti; nec enim mundus furorem tuum sustinere valuisset, si te pravis suis iratum moribus prospexisset.

XII. Flagella tua sunt omni charitate referta; virgæ tuæ misericordiis conflatæ; amor tuus denique, quos castigat, adjuvat atque sustentat. Justitiam, qua vales plurimum, in te benignitate novimus sic mirifice temperatam, ut alteram dum veremur, altera recreemur, quam esse scimus unam omnium optimam, et indigentiæ nostræ interpretem, et eorum, quibus egemus, conciliatricem.

XIII. Non judicis nobiscum personam sustines, sed præceptoris, qui duplici cum auditoribus ratione utitur, flagello scilicet, et doctrina. Assiduitatem, operam, diligentiam in docendo collocat, et discipulum mulctare quandoque solet, non quia illum odio habeat, sed amore, cujus est auditoris optimam informationem studiis omnibus procurare.

XIV. In hunc plane modum, Domine, se nobiscum gerit majestas tua, quæ nos optime, ut erudiat, et sapientiam, et severitatem exercet; utramque vero charitate temperat singulari, cui longanimitas et patientia comes est longe superior noxis ac sceleribus quamlibet inusitatis. Itaque minime mirum est te in maximis criminibus interdum connivere, aut eorum gravitate non admodum commoveri. Tu scilicet naturam nostram efformavisti, nec eam perdere cupis, quam utique cognoveras, antequam conderes.

XV. Quemadmodum molestos infantium mores sustinere nemo libentius solet, quam quæ eos in lucem emisit genitrix, ita mortalium procacitatem minus ægre non

quisquam patitur, quam qui eosdem ex nihilo creavit Dominus.

XVI. Mira porro Opifici nostro inest facilitas in suarum creaturarum ferendis oneribus, quæ si patienter ferre recusasset, nec illas utique condidisset.

XVII. Quî fiat, ut Deus odisse possit, quem condidit, mundum, cum nequeat mater oblivioni tradere, quem genuit, filium?

XVIII. Quæ sua videlicet in essentia inerant, misericordias manifestavit Deus, cum mundum in lucem prodidit, nec secus ac mater, quæ suum edidit fœtum, ipse totum hunc orbem sua ex voluntate pendentem videre cupit.

XIX. Quid ergo? Numquid hæc terrarum extructa moles, providaque ipsius conservatio, et humanæ levitatis, ac malitiæ tolerantia non sunt divinæ beneficentiæ testes sempiternæ? Atqui testis materni erga liberos amoris est earum in iisdem amplectendis, alendis, servandisque cura ac sollicitudo. Testis est ipsarum patientia, qua sese ad puerorum ineptiam effingunt. Testis moderatio in puerilibus sæpe morsibus perferendis : neque enim tot incommodis difficultatibusque affectæ, aut injuriis lacessitæ, alendæ prolis curam abjiciunt ; cum potius dici queat eo majori esse in filios liberalitate, vigilantia, sedulitate, quo procacior ipsorum est insolentia. Noscunt enim gravi animadversione se dignas fore, si infantulum, quo se vertat non habentem, deserant, eique necessarium ad vitam sustentandam alimentum denegent.

XX. His ita se habentibus, ad divinam liberalitatem admirandam redeamus. Magnum profecto est munificentiæ argumentum, supremum Opificem conditam hanc rerum universitatem tanta agrorum ubertate, fructuum varietate, florum suavitate exornavisse. Majus, Deum ipsum e cœlo-

rum fastigio hominum indigentiis sublevandis intentissimum, iisdem omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam suppeditasse. Maximum vero, planeque admirabile, eumdem nos inaudito pietatis sacramento ad veræ fidei lucem advocasse et pretioso Filii sui sanguine nutrivisse.

XXI. Pergitedum, fratres amantissimi, magnitudinem beneficii, quo nihil majus, aut præstantius fingi unquam potest, obstupescere. Pater enim misericordiarum Deus nullis aut precibus, aut meritis ductus nostris, misit Filium suum, ut eos, qui sub elementis mundi erant servientes, sua morte redimeret [1].

XXII. Ecquis adeo impudens extitisset, ut unigeniti Filii vitam a Patre poscere non vereretur? Aut Filium de subeunda pro hominibus nece deprecari auderet? Res est in omni memoria omnino inaudita, ut Unigenitus, qui est in sinu Patris [2], mortem perduellibus debitam subiret.

XXIII. Cum ergo Filio suo non pepercerit Deus, sed pro nobis omnibus illum tradiderit [3], fieri-ne poterit, ut ipse ea deneget, quæ cupit orantium necessitas impetrare?

XXIV. Hisce rationum momentis permoti, fratres charissimi, benignum Largitorem adeamus, ejusque misericordiæ foribus adhærentes ipsum totis viribus obtestemur, ut afflictis hominum rebus succurrat, nec nos suæ justitiæ severitate perterreat, quæ eo facilius emollitur, quo frequentiori videt suas fores agmine obsideri.

XXV. Nec mirum sane, si Deus hominum precibus placari soleat. Nam ipsius misericordia si citra preces dimitteret hominibus noxas, hanc justitiæ notam inurere videretur, ut illius homines timore posito in infinita propemodum scelera prolaberentur; sibi enim stolide persuaderent tam benevolo, tamque mansueto Judici flagella deesse;

[1] Galat. IV, 3 et 5. — [2] Joan. I, 18. — [3] Rom. VIII, 32.

quare quisquis propriæ libidini obsecundaret, perinde ac si nullæ essent insipientibus pœnæ constitutæ.

XXVI. Ex quo sequeretur, ut misericordia, qua Deus nos erigit, in causa esset, cur improbi deteriores quotidie fierent.

XXVII. Quamobrem ut tantum Deus malum averteret, sapientissimo consilio misericordiæ sociam adjunxit justitiam, ut quos impudentes lenitas redderet, justitiæ metus coërceret; et quorum cervicosam mentem virtutis amor flectere non posset, pœnarum formido percelleret, et ad saniorem vitæ rationem perduceret.

XXVIII. Hæc si in hominum animis defixa hæreant, quomodo, Parens optime, poterunt a laudibus gratiisque tibi referendis abstinere? Tu enim justitiæ asperitatem tam suaviter temperasti, ut eadem tuæ mansuetudinis naturam induisse videatur. Etenim cum sis infinitus bonitatis thesaurus, neque ignores eam esse nostrum omnium stupiditatem, ut sublato pœnarum metu nunquam a sceleribus declinemus, idcirco ita nobiscum et clementiam, et justitiam exerces tuam, ut vix alteram ab altera secernere valeamus.

XXIX. Omni itaque studio contendamus, fratres, ut misericordiam imploremus, cujus vi justitia novo quodam prodigio devios perditosque mortales ad salutis viam adduxit.

XXX. Dei largitatem obsequentissime prædicemus, quæ tum maxima in terris nobis beneficia confert, tum sempiternam in cœlis dignitatem et gloriam præparavit.

XXXI. Igitur quotquot adestis, fratres, regnum Dei, et ejus justitiam quærite: neque enim regnum consequi cuipiam, nisi per justitiam, licet.

XXXII. Justitiam colite: ad ipsam omni cum fiducia accedite, a qua si vestrorum criminum veniam expetetis,

eadem vacuos recedere vos non sinet. Hanc omnium dominam et reginam virtutum, vitæque magistram amplectimini, cujus jugum suave est, et onus leve.

XXXIII. Nunquam enim Deus gravissimos montes Justorum humeris imposuit : absit, ut rem de ipso istiusmodi suspicemur.

XXXIV. Audite, quæso, quicumque salutis via inceditis, nihil prorsus vobiscum ferte, quoniam Dominus rerum terrenarum sarcinis impeditos aditu solet ad regna cœlestia prohibere; propterea Discipulos admonuit, ne peram, neque sacculum portarent.

XXXV. Quisquis es, qui beatitudinem assequi cupis, oportet, ut terrena omnia impedimenta abjicias ; nec enim, si recte sapis, quisquam in cœlis ab ulla premitur necessitate, ut oporteat secum aliquid asportare, cum tibi mensam exquisitissimis quibusque bonis abundantissimam pararit Deus, cujus si suavitatem primoribus duntaxat labiis attigisses, ea tibi sorderent omnia, quibus abundant ii, qui vulgo in terris beati putantur.

XXXVI. Ergo quicumque a ponderum vinculis exemptus es, cœlorum iter quamprimum suscipe, et serio cogita Deum se tibi ducem et comitem adjunxisse, qui convivam in æternitate te optat suum.

XXXVII. Regnum Dei intra te est [1], o peccator ; noli extra te cum labore investigare quod in tuo pectore citra laborem poteris invenire. Resipisce itaque, et ad te redi, nec divitiarum amore implicitus huc illuc te rapi sinas, neque stulte deperias hujus sæculi voluptates, in quibus nihil est stabile, nihil sincerum ; divitiis ac voluptatibus animi despicientiam oppone, qua carent ii, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.

XXXVIII. Cave ne inanes ac ludicræ te sollicitudines

[1] Luc. XVII, 21.

premant; ne tumide de te sentias et superbe; ne imprudenter adames, quæ solis sunt regibus debita, sed pro regum divitiis mansuetudinem, justitiam, beneficentiam, misericordiam, fidem, easque virtutes amplectere, quæ et multum habent laudis in regibus, et constituere te in regno possunt. Vide ne quid admittas, quod non sit imprimis honestum, maximeque decorum; excelso animo magnoque despice quidquid mentem a virtute detorquet, una te demum probitas totum ad se convertat, et rapiat.

XXXIX. Resipisce, iterum dicam, et in te ipso inhabita, hoc est in animo, ubi nullus sit dedecori locus, si enim fuerit vacuus a vitiis animus planeque integer, in regno eris, cui nulla omnino aut ornamenta dignitatis desunt, aut præsidia stabilitatis. Ingredere igitur in intimam animi tui sedem, ibique invenies regnum Dei, uti Evangelium egregium perhibet testimonium. Deus siquidem et regnum ejus, tanquam in sua sede, in casto cujusque animo reperitur, unde ait Christus; «Regnum Dei intra vos est[1].»

XL. Eia igitur, fratres, abjiciamus, quæ nos implicitos tenent, perniciosissimas hujus vitæ sollicitudines ac negotia, nostrisque in animis regnum Dei sedulo requiramus, neque unquam a precibus desistamus, donec voti nos esse compotes cognoverimus. Porro si, quod unice optamus, regnum minime in nostris cordibus inveniamus, tum conversis ad Deum precibus exclamemus, «Pater noster, adveniat regnum tuum[2],» et veniet utique, si diu accurateque orationibus insistamus.

XLI. A divino bonorum omnium Largitore regnum duntaxat, et justitia enixe petenda sunt, reliqua vero omnia nobis etiam non petentibus largiter adjicientur.

XLII. Infinitæ Dei potentiæ ac misericordiæ injuriam facimus, si quidquam præter regni gloriam ab eo poscimus,

[1] Luc. XVII, 21. — [2] Matth. VI, 9, 10, et Luc. XI, 2.

cum ipse apertissime in Evangelio promiserit suum se nobis regnum ultro delaturum. Stulti sumus, et ipsis etiam canibus comparandi, dum panem solummodo aut quid ejusmodi exoptantes, nihil prorsus a Deo nisi panem, aut terrena commoda flagitamus. Alte spectare si volumus, intelligemus a Domino bona tantum cœlestia studiis omnibus postulanda, cum certum exploratumque sit cum cœlestibus terrenas etiam divitias nobis larga manu impertiendas.

XLIII. Æternas igitur opes anxie conquiramus, et annonam copiosissimam impetrabimus; mensam bonis omnibus affluentem assequi studeamus, et victus noster quotidianus augebitur; immortalium bonorum desiderio flagremus, nec mortalia nobis unquam denegabuntur.

XLIV. Non mediocri certe nota te afficeremus, Rex regum Deus, si panem a te unice posceremus, qui nobis nec poscentibus, neque id muneris cogitantibus panem Angelorum obtulisti, corpus videlicet, et sanguinem tuum, quo nihil suavius possunt Angeli exoptare. Panem ergo, qui mutis etiam animantibus communis est, imbecillitati nostræ citra preces concede; votis autem nostris tui etiam regni amplitudinem impertire, donum scilicet, et majestati et largitati tuæ apprime consentaneum, ut quemadmodum te Regem maxime misericordem, largum, beneficum, liberalem, quæ vere sunt laudes regiæ, prædicamus, ita abs te munus divina planeque regia liberalitate dignissimum accipiamus.

XLV. Tuam ideo clementiam imploramus, ut horrendas gehennæ januas a peccatorum te invocantium conspectu occludi jubeas, tum iis præsertim, quos assiduis in orationibus pervolutos vides.

XLVI. Rorem clementiæ tuæ immitte adversus ignem nobis extrema omnia minitantem, neque sinas nos a te

frustra aquæ guttulam expostulare, sicut illi non ignoramus, cui sepulcrum infernus est, diviti contigisse; ne permittas, quibus gloriam tuo sanguine peperisti, eos flammarum incendiis absorberi, ubi nulla vel quietis spes est reliqua, vel salutis. Quoniam non petentibus, sæpe etiam ne cogitantibus quidem, abunde nobis omnia elargiris, nostras nunc ratas effice petitiones, dum te et auctorem cognoscimus omnium bonorum, utilitatumque nostrarum, et obsequio quanto possumus maximo tuam clementiam imploramus.

XLVII. Tutum aperi nobis iter ad cœleste virtutis regnum, et cœtum hunc, qui totus est certe tuus, utpote tuo olim sanguine ab immanissima captivitatis tyrannide vindicatus, universum hunc, inquam, cœtum ad regnum advoca, cujus cum lux, quæ perfecta est, semel nobis illuxerit, tum felices, beati, ac stabiles perpetuo consistemus.

XLVIII. Te quærentium animi præ gaudio exultent. Misericordiam obtineant, quicumque ejus opem exposcere consueverunt; inebrientur a domus tuæ pinguedine, quotquot ad te piis precibus confugerunt, qui demum tum precationibus dediti semper fuerunt, tum mandatis tuis addicti, ii tecum omnes tuo in convivio collætentur.

XLIX. Nobis autem, qui tuum imploravimus auxilium, omnia concedantur; locupletemur in te, quia tu solus es indeficiens divitiarum thesaurus, nulli temporum vicissitudini obnoxius. Pietas tua se nobis adjutricem præbeat; fatiscentesque animi nostri vires gratia confirmet tua; salutaria item pharmaca, quæ nostris medeantur cicatricibus, tuo ex thesauro suppeditentur: correptio tua, Domine clementissime, nostrum omnium nutrix fiat, dextera nos tua sublevet, ut ea ab eruditione tua lucra captemus, quæ nobis plane fuerint conducibilia.

L. Cæteris posthabitis, te solummodo quærimus, extra

te nihil omnino petimus, quia, scilicet quisquis te quærens invenit, cætera tecum omnia sibi abunde comparat; in te siquidem egenorum subsidium est, et tutela certissima: tu afflictorum corda mirifica lætitia perfundis; tu contritis corde utilia præbes medicamenta; mœrentes demum incredibili afficis jucunditate. Tu regionum pax, tu provinciarum tranquillitas, tu frugum bonorumque omnium et abundantia es, et varietas; qui te fuerit assecutus, nec fame, nec siti laborare unquam potest.

LI. Nostras, clementissime, admitte preces, temetipsum nobis impertire, per te vitam hauriamus; si te enim solum possidebimus, nulla jam nobis bona desiderabimus. Hujus porro mundi vanitas, nosterque in eum insanus amor nos in maximam abjectionem adduxit egestatemque, et quia ejus opes adamavimus, ideo ab illo pessumdatos nos esse cernimus. O insipientiam intolerandam! o nostri dementiam animi singularem! Siccine igitur stulti fuimus, ut, cum impurissimus sit mundi amor, ejusque pulchritudo vanitas, tamen præclare ab eo nobiscum actum esse judicaverimus, quod suos nos habuerit amatores?

LII. Domine Jesu, qui cæco lucem reddidisti, pristinam nobis non tam arbitrii vim, quam mentis aciem restitue, ut caduca hujusce sæculi blandimenta, prout sunt in se, perpendentes, ab illis semper abhorreamus: obstinatæ animi nostri aures doctrinam tuam sunt aspernatæ, quæ si tuis obsecutæ mandatis essent, haud utique nos rerum humanarum cupiditas decepisset; ad te pertinet nos in pristinum restituere, ut ne lato quidem ungue a tuis legibus discedamus, et quia per libertatem, qua nos donaveras, decus honestatemque reliquimus, ideo per gratiam tuam ad rectum virtutis tramitem redeamus. Nec dubitamus quin ita futurum sit, dum nobis lumen tuum affulgeat, cujus claritas eos etiam illustrare perfecte potest, quibus

peccatum nihil consilii, nihil animi, nihil sanitatis reliquum fecit.

LIII. Quod si vulnera, quæ nobis inflixit mentis libertatisque proclivitas, salutaria tua recusent pharmaca, te, quæsumus, Piissime, ut iis etiam præter voluntatem nostram mederi velis; nec vero istud a tua alienum est benignitate ac potentia, quæ alias quoque ita se admirabilem præstitit, ut hominibus id minus cogitantibus bonam mentem reddiderit.

LIV. Energumenus videlicet ille cæcus et mutus per te ad pristinam revocatus est valetudinem; nec tamen te requisierat, ut ad te accedens sanitatem peteret, nec oculorum lumine fruebatur, ut te cum turbis intueretur deambulantem et fideliter sequeretur : obsurdescebat etiam, adeo ut nec posset ubique celeberrimam mirabilium tuorum audire famam; præterea mens illius adeo a Dæmone extorquebatur, ut sui omnino impos existeret, ideoque sanitatem a te non poterat expostulare.

LV. Nolentem igitur invisisti, non petentem sanasti, tui inscium curasti. O mirum sane tuæ misericordiæ opus? quod scilicet ejus oculos a cæcitate vindicaveris, obtusas illius aures a surditate liberaveris, tum illi reddideris rationis et intelligentiæ, quo carebat, usum, omnemque illico morbum ab illo propulsans, perfectissimam illi elargitus fueris sanitatem.

LVI. Te precamur igitur, ut ita se nobiscum gerat clementia tua, depravatamque nostrum omnium libertatem respiciat, quæ licet in flagitiis obduruerit, nec sanitatem mentis expostulet, nec debitorum dimissionem efflagitet, tu tamen a morbo ægram eximito, velut illum, qui pluribus erat sordibus nævisque contaminatus, cui etiam non roganti sanitatem dedisti cumulatissimam.

LVII. Jam vero alterum quoque mirari subit, quod

erga Samaritanam mulierem operatus es prodigium; illi scilicet ne cogitanti quidem aquam vivam præbuisti; nec enim hoc a te beneficium requisierat, quinimo ultro illam, ut aquam vivam a te peteret, impulisti. Hæc ipse mecum reputans, hilari lætoque animo ad te confugio, fons aquæ vivæ, neque enim dubito quin mihi et sitienti, et exposcenti salutares aquas abunde ac largiter impertiaris, cum Samaritanæ aliena penitus cogitanti ultro te exhibueris tanquam fontem aquæ salientis in vitam æternam.

LVIII. Spem vero meam hæc etiam cogitatio auget, quod quicumque tuam implorarunt opem, ii a te sibi maximas compararunt utilitates, adeo ut tum requisitus, tum non rogatus omnibus indistincte occurrens, illos ad pristinam revocaveris sanitatem; et sane, quia Dimas ille cæcus visum abs te efflagitavit, lucem statim illius oculis restituisti; haud aliter contigit Hemorroïssæ, cui, obstante turba, opem tuam in fide roganti, confestim stetit fluxus sanguinis. Constat igitur, ut modo aiebam, quod tum te quærentes sanasti, tum non te rogantes curasti, quia scilicet es inexhaustus gratiarum fons, qui supra omnium vota se præbet gentibus, ac terris omnibus salutarem.

LIX. En modo in nobis adsunt, qui tuam obsecrant majestatem, ut remissionem tribuas peccatorum; neque ex iis desunt aliqui, quos, instar muti illius cæcique hominis, perfecta orationis conditio et modus latet: quamobrem tuam, Domine, clementiam orant, ut sibi, cæterisque omnibus ærarium tuum, quemadmodum consuevisti, aperias, et cuique sinas tuis ex opibus ea sibi captare compendia, quæ illum efficiant tuæ præconem benignitatis: totus tu noster esto, ut nos pariter toti efficiamur tui; æquissimus enim Pater te nobis dedit, ut nostra per te vulnera sanarentur: a Patre tuo tu nobis datus fuisti, tu noster volens lubensque factus es, nobiscum igitur esto Emmanuël, nobis-

cum, inquam, Salvator esto, cum Dominus noster sis. Quoniam in terris moram nobiscum trahere non dubitasti, nostras de cœlo admitte preces; suscipe, quas fundunt, lacrymas peccatores, eorumque piacula omnino dele : quandoquidem, Domine, a vulgari hominum consuetudine non abhorruisti, ut commoneres nullis esse orationibus ad te aditum interclusum, ideo te singuli deprecamur, ut æterno Patri nostras tu preces offerens, stabilem in omnium animis constituas tranquillitatem pacemque tuam, cujus nomen suave est, res vero ipsa maxime opportuna.

LX. Quidquid extat sub Patris tui potestate, sub tua pariter ditione est; pauperibus itaque tua munera elargire, quibus possunt unice sublevari; quia victima pro nobis immolatus fuisti, nos ab omni labe, delictorum omnium amputatione libera; summus enim Pontifex pro nobis es constitutus, ut tui aspersione sanguinis nos omnes a sordibus expurgares. Spem in te omnes habent tantummodo collocatam; fatiscentem itaque ac labantem animum consolidato, quoniam sanguinem tuum nostris cicatricibus aspersisti, ut nobis per te liceret sanitatem recuperare. Æterna redemptione inventa, sacrificium tuum super altare quotidie renovas, nostrisque labiis degustandum exhibes calicem salutarem : huic tanto beneficio ac muneri eam vim tribue, ut ejus gratia ab omni scelere liberati, quanta te possumus charitate maxima complectamur.

PARÆNESIS LXXV.

I. Dicturus de tuis laudibus, Domine, initio dicendi terreor vehementerque commoveor. Neque enim me præterit

tanti argumenti dignitatem profani esse hominis eloquentia præstantiorem. Quamvis autem mea mihi improbitas silentium indicere videatur, non ideo tamen ipsius consilio parendum existimo. Tua siquidem clementia præterquam quod pœnitentium laudes non dedignatur, ipsos etiam peccatores ipsarum præcones habere gaudet. Imo humanæ illi laudes jucundæ adeo accidunt, ut hac de causa mutis hominibus loquendi facultatem restituerit. Hæc cum ita sint, tu modo, Deus beneficentissime, mihi de tuis laudibus pauca dicere meditanti, præsto sis, tuaque clementia meæ stuporem debilitatemque linguæ ad psallendum dispone; eo magis, quod diu intermissa laudabili ista consuetudine plane videar obmutuisse. Totus revera pudore suffundor, cum sacras Litteras volvens, asinam locutam, Zachariam vero, muti instar animantis, siluisse deprehendo. Gravius tamen exagitor, animadvertens homines ratione præditos eo interdum insaniæ devenire, ut jumentis insipientibus comparentur. Quare ne ipse quoque hujusmodi dementiæ arguar, te, Domine, precor, ut mihi plane rudi atque omnino elingui tuæ gratiæ lux affulgeat, ut hisce terrarum nugis contemptis, ad te solum spectet oratio mea, et de tuarum laudum præconiis efflorescat. At vero non tantum mihi sumo, ut me posse arbitrer pro dignitate tuam præstantiam celebrare; id enim humanæ naturæ imbecillitas assequi nullo modo potest. Tu, bone Deus, quod ingenium non valet nostrum, tua humanitate perfice, illa scilicet singulari, qua sublata, inane est quidquid vel officii vel amoris sibi ab humana fragilitate exhibetur.

II. Ut autem in tuarum laudum exercitatione quotidie versemur, nos ad tuum suavissimum jugum libenter sustinendum acue. Tuæ crucis sanctissimæ imago nostris infixa mentibus hæreat, cujus si figuram in nobis tanquam in speculo repræsentatam diabolus videat, illius splendore

territus fugam e vestigio capessere cogetur. Nobis, oro, totis inferni viribus oppressis, cœlestium militum agmina subsidio veniant, suisque viribus hostem tandiu insequantur, donec victus prostratusque discedat, qua insigni parta victoria, tum inusitata alacritate ac lætitia ad te laudandum excitabimur, qui humanæ infirmitati intolerandam Dæmonum potentiam subjecisti. At vero cum jampridem de tyranno immanissimo non tam insignia victoriæ, quam victoriam reportaveris; quid de tuis laudibus primum assequar? quid postremum, nisi quod beneficiis omnibus jure arbitror anteponendum? Ratio, quæ humanæ mentis est quidam veluti sol, maximis undequaque tenebris obducta erat, adeo ut et insipientes errarent, et illi etiam, qui multum sibi sapere videbantur. Exigua tantum lux in monte reliqua erat, quam sequi mortales oculi nullo modo poterant, aut intueri.

III. Venite (hæc debuisset tunc temporis una omnium esse vox), venite, et quidquid est lucis reliquum, sin minus oculis, animo saltem, et inflammato studio contemplemur. Sed proh pudor! quæ hominibus est divinitus data ratio, ut præsit, tunc libidini obtemperavit, atque ita quidem, ut maleficium admiserit, quo acerbius poterat nec ipsa immanitas excogitare. Tu enim, Domine, qui Salvator advenerас, tunc ligno affixus, tunc supplicio omnium teterrimo extinctus atque sublatus es. Quid autem in tanto casu tua pro nobis charitas excogitavit? quid amor tuus? Jussit ut crux tua, quæ supplicium debebat esse nostrum omnium sempiternum, nobis ipsis cumulum afferret bonorum omnium. Hæc, hæc est profecto divina vis, quæ ut majestate præcellit, sic parem invenire admirationem nequit. Quoniam vero ea pro nobis fecisti, Domine, quæ facere præter te nemo potuit, tam egregiæ beneficentiæ tuæ hoc etiam adde, ut quem in cordibus nostris malitia tenuit, cum nunc

habeat charitas principatum, qua duce, tum clavorum duritiem jejuniis, tum spinarum acerbitatem humilitate, et obedientia compensemus. Quem Prophetæ currum in sacris Litteris ostendisti, cum crux offerat nobis tua, et quemadmodum mystici illius currus, eunte Spiritu, et rotæ pariter elevabantur[1], sic nos olim præsidio crucis auspicatissimo in æterna tabernacula rapiamur.

PARÆNESIS LXXVI.

I. Deus immortalis, qui quondam iteratis Annæ postulatibus obsecundasti, optatissimam mihi nunc eloquentiam impertire, et quemadmodum illa se tibi gratam præstitit, quemque a te acceperat filium, altaribus focisque tuis devovit, ita quam ingenii vim, atque dicendi copiam mihi a te oblatam, atque concessam sensero, eo convertam, quoad anima superabo mea, ut totus ubique verser in tuis laudibus, sin minus pro merito exornandis, saltem pro animi obsequio enarrandis.

II. A te Anna petierat, quod tibi vovit; tibique consecravit, quod a te flagitaverat; per te obtinuit, quod tibi obtulit. Grata mulieris religio fuit, sed tua profecto bonitas admirabilior, cujus vi te mulieri beneficium præbuisti, ut haberet ipsa, unde sese probaret tuis altaribus liberalem. Tua igitur et in dato munere magna laus, et in accepto summa fuit gloria.

III. Sapientiæ tuæ thesauros nemo est, qui non esse incomprehensos noverit atque inenarrabiles, quorum in conspectu deficit mira quælibet ad investigandum sagacitas.

[1] Ezech. 1, 19.

Hæc autem divitiarum immensitas multo etiam præclarior fit, dum quæ mortalibus confers munera, eadem sinis, ut ipsi in hostiam tibi immolent jucunditatis.

IV. Jucunditatem cum nomino, eam quidem intelligo, cujus magnitudinem explicare præter te nemo potest. Dictu quippe incredibile est, quantopere in tuorum largitione munerum delecteris, et quam comiter ac benevole pietatem nostram excipias, cum eadem tibi offerimus, quæ tua nobis liberalitas paulo ante concesserat. Et quis te satis valeat admirari, qui in dandis muneribus largitorem te esse prædicas, in iis vero non recusandis te mutuum accepisse declaras?

V. Sed jam ad Annam redeamus. Ipsa enimvero nimia angebatur cura atque sollicitudine, dum prolem efflagitaret. Sed postquam voti compos filium in lucem edidit, eum illico Deo optimo maximo consecravit; exiliit præ lætitia, cum obtinuit, at multo magis gavisa est, cum illum Deo vovit, quia nimirum in illo vovendo omnia se recepisse bona existimavit.

VI. O miram Dei benignitatem, qui sua Annæ munera impertivit, ut eadem sibi ab ipsa restituerentur! nec enim Anna jucundius quidquam ab illo poterat obtinere, nec ipse quidquam ab ea percipere delectabilius; quamobrem summis est extollendus laudibus Deus, non solum quia sterili mulieri sua erogaverit dona, sed quia illa sibi reddita non recusaverit, imo etiam jucunditatis, suavitatisque plenissima existimaverit.

VII. Jam vero cum tam propensa sit Dei voluntas in genus hominum tamque effusa benignitas, quis vereatur ardenti studio ad Deum accedere, et quasi filius charissimo parenti, quid sibi opus sit, non dubitanter exponere? Nemo quidem subveretur a te, Domine, multa poscere et flagitare, quæ, singulari adhibito obsequio ac pietate, ite-

rum tibi offerat largitori. Mortalium cupiditas est, non inficior, suis in petitionibus quandoque audax, sed eximia certe ac incredibilis est facilitas et clementia tua, cum quidquid est ipsis impertita, rursus benigne accepit, et sibi mutuum homines reddidisse testatur.

VIII. At vero quæ omnibus præclara lux beneficentiæ, ac benignitatis tuæ oboritur, ea me quoque commovet, ut munera abs te pie et ex animo obtinere contendam, quæ tibi oblatu digna existimentur. Nec enim nisi a te impetrem, quidquam tibi exhibere possum; quod si tuæ erga me liberalitatis testimonium habuero, quidquid mihi dederis, tibi referam : aliter enim ex meo tibi reddere nihil possum, cum totus sim ego tuus.

IX. Tuis scilicet ex opibus ego mihi, quid tibi offerrem, captavi; et ideo laudes tuas debeo ubique maxime celebrare. Cæterum si quæ in nobis reperiuntur bona, per te mirum in modum augentur, quanto magis tua in nos collata munera auctum iri sperare possumus?

X. Interim vero cum rudis cithara mea nequeat esse per se tibi grata, te obtestor, Domine, ut, quæ mihi largiter profuseque impertivisti, munera concinne illius tractent fides; sic porro fiet, ut tuis ego auctus opibus, non solum meæ vocis sono tuos concinam Psalmos; quinimo ex intimis cordis mei sensibus tales eliciam affectus, qui bonitati tuæ hostiam exhibeant jucundissimæ laudis.

XI. O quam suaviter majestatis tuæ aures permulcent voces gregis domusque præfecti, qui postquam tuo ex thesauro munera obtinuit, eadem tibi in præclaram gratiarum actionem reddidit, et fuit a te laudatus, utpote qui tradita sibi talenta fideliter custodivit.

XII. Ecquisnam erit, qui ærarii tui penetralia perscrutari possit, cum quæ in eo repositæ sunt opes, superent omnium hominum captum, et divitiarum ejus affluentia

non possit humanarum mentium intelligentiæ subjacere, cum in eo sint, quæ thesauris nequeunt quamlibet inusitatis, ac singularibus comparari?

XIII. Hinc solet nemo a te tristis discedere; hinc particeps pro suis quisque meritis beneficentiæ evadit tuæ. Igitur quemadmodum tuorum disquisitionem arcanorum non iis negas, qui ad disceptationem multum ingenio valent, et cum aliis alia in distribuendis divitiis ratione uteris, sic mihi illas potissimum ex thesauris tuis opes, ut concedas, oro quæsoque, quæ mihi indiserto planeque rudi celebrandi nominis tui facultatem impertiantur.

XIV. Per te idoneus evadam, obsecro, ut ore meo tuorum facinorum magnificentiam prædicem. Non me sane latet tibi haud opus esse, ut mirabilium tuorum tropæa memorem, sed hoc a tua, Domine, efflagito charitate, ut eadem mihi sint novum te laudandi argumentum et tuæ quidem gratissimum Divinitati.

XV. Tu gradum, Domine, conditionemque orationis, antequam fundatur, et ad tuum perveniat solium, apprime cognovisti; nihilo tamen minus, cum quis in genua provolutus tuum precetur Numen, aures tu illi præbes ac si nova audires.

XVI. Et quamvis quæ facta, quæque futura sunt tuæ sapientiæ vis tanquam præsentia intueatur; tu tamen ob eximiam in homines pietatem ab illis futurorum cognitionem omnino ademisti, ut suo tempore ea, ceu novissima intuereris, quæ sunt tuæ sapientiæ clarissime manifesta.

XVII. Nec enimvero putare licet tibi præsentia solummodo esse cognita, cum perfectissima tua cognitio occultissimorum quorumcumque seriem et eventum prævideat, sed ita nobiscum te agere voluisse cognoscimus, ut tuæ nobis charitatis immensitatem declarares. Nam cum præ-

teritorum, præsentium, et futurorum callidissimus sis, ideo nobis mira quadam opportunitate provides.

XVIII. Quocirca tuam, Domine, opem præsidiumque deposcimus, ne nostra decipiatur fragilitas, neque ullam, si fieri potest, jacturam faciat. Unicuique enim notissimum est nihil infinitam tuam intelligentiam fugere, cui cum præsentes humanæ indigentiæ adsint, iisdem nullis precibus rogatus persæpe occurris, et nostra scelera non memineris, non modo vota excipis nostra, verumetiam et de nostro ad virtutem reditu gaudes.

XIX. Gratias ergo quam maximas tibi, piissime Domine, agimus, ob singularem tuam erga nos providentiam, qua ea parvulis nobis sapientiæ tuæ arcana patefecisti, quæ nos coram te in celsissima honoris sede collocarent. Nobis etiam futurorum cognitionem subtraxisti, ut veras in te divitias unice conquireremus. Omnium igitur linguæ, omniumque ora tuæ sapientiæ bonitatisque gloriam et magnitudinem certatim plausibus celebrent.

XX. Quæ hactenus, Domine, pro mentis meæ tenuitate de tuis laudibus retuli, tuo me in conspectu gratum efficiant sacerdotem, veluti Samuëlem divino tuo munere ex sterilis Annæ utero conceptum, cui patriam fuisse accepimus montem Ephraïm, ex quo mihi nomen imposuisti. Has, inquam, laudes tanti apud te ponderis esse cupio, ut quemadmodum tua clementia mihi voluit montem Ephraïm quodammodo esse cum Samuële communem, ita me illi parem faciat, non quidem gratiæ magnitudine, quod non ausim optare, sed ministerii præstantia ac dignitate.

ODE OPTIME FLUENS.

In eos qui quotidie peccant, et quotidie pœnitentiam agunt.

I. Quousque, o amice, inimicum sustines, et quæ illi placent, quotidie efficis? Quousque, o amice, corporeis rebus, iisque mortiferis subservis? Cape meum consilium, quod te salvare poterit, et animam simul et corpus tuum expiare. Accede ad Salvatorem, qui cunctos procidentes sibi in pœnitentia, et fide perfecta sanat. Inter cætera præclara, magna quædam res est pœnitentia, et salutaris. Ubi semel emerseris, noli denuo mergi quotidie peccando; ædificando, diruendo; texendo, dissolvendo, puerorum instar, qui frequenter domos, quas erexerunt, reversi iterato destruunt. Fuge scorpionem, cujus novisti stimulum. Fuge diligenter serpentem, cujus exploratam habes perniciem. Nam qui secundo in eumdem lapidem impegerit, cæcus est aut mente captus, non cernens quid fugiendum sit. Hac cura adhibita, cum pœnitentia accede, cujus præsidio munitus, Creatorem placare stude, humilis, ac tristis, demisso vultu atque suspirans, præterita dolens, futura prospiciens. Sic quondam Zachæus publicanus salvatus est: sic rursus Matthæus Christi servus apparuit. Sic quoque fornicatrix mulier, scortum luxuriose agens, atque insaniens, libidinosa, ac videntibus scandalosa, Salvatoris pedes capillis suis abstergens, ex lacu revocatur profundorum, et impiorum. Sic etiam tu dissoluta supercilia reprimens, miserabilisque apparens, te ipsum ad vitam revocabis. Siquidem Deus demissos erigit, et humiles exaltat; seipsos autem

exaltantes divellit, deturbatque. Vidit civitatem Sodomorum, et Gomorrhæ, crudele genus hominum, et sævum, abominabile, temerarium, atque obscœnum, quod omnibus flagitiis delectabatur, omni ex parte libidine laborans, violentum, lascivum, illudque sulphure atque igne perfundens, penitus præfocavit, atque combussit. Vidit civitatem Ninivitarum illustrem atque speciosam, peccatis florentem, et sceleribus scaturientem, quam se deleturum funditusque eversurum esse minatus erat. Vidit rursus in sacco, et in cinere, homines deliciis ac genio indulgentes, in fame atque jejunio, in fletu, ac lacrymis squallentes, expallescentes, timore metuque perculsos, diversos, et peregrinos inter se factos, alios ab aliis, in similibus cunctos, in æqualibus inæquales, liberos, ac servos, divites, et pauperes, præfectos et subditos, potentes atque morigeros, masculinum, et fœmininum genus, senes, atque lactentes. Cunctos humiles vidit, et continentes invenit. Commiseratus, et misertus est, salvavit, pepercit, pœnam pro peccatis debitam dissolvens, et mendax potius haberi, quam crudelis, tulit. Sicque peccatorum duritiem punit, non sinens obedientes sibi temere perire. Festinate igitur, et orate, salvamini, ac custodimini : Dominus paratus est ad gratiam, ad sanitatem, ad auxilium velox, ad redemptionem promptus. Concedit petentibus, aperit pulsantibus, præbet rogantibus, porrigit volentibus, non invidet quærentibus, non repellit cadentes, manum ad salvandum extendit : gratulatur iis, qui exolvi, et liberari conantur. Comminatur non obtemperantibus sibi. Errasti, resipisce : cecidisti, convertere, precare, obsecra, procide, pete, quære, accipe, datumque persuade, adora, salvari expete, exora dare volentem, et salvare potentem. Salvatus, cave excidas; si excidisti, resurge : si reus sis, corrigere : post lapsum revertere, sanatus persiste, sanus sis per omnia, et conserva-

tus aversare morbum, quem deposuisti. Cave igitur iterum incendas, quem semel restinxisti. Cave in lutum incidas quod recte abstersisti : noli imitari porcos, qui in cœno delectantur, neque canes æmulare, vomitum lambentes. « Nullus semel mittens manum ad aratrum, et respiciens » retro, aptus est regno Dei [1]. » Nullus semel ablutus, ad sordes recurrat. Unus Christus, una fides, una crux, una mors, una gratia, una passio, unaque resurrectio. Non est necesse mactari iterum, qui semel est oblatus, neque idem rursus pro te rependi pretium, redemptionis redemptus es ; noli fieri servus animo duplici. A peccatorum inquinamento ablutus es ; cave iterum sordibus inficiaris : neque enim aliud habes lavacrum, quod nece tibi sit ad abluendum propositum.

[1] Luc. IX, 62.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

CLASSIS X. — DE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

SERMO.

De virtutibus, et vitiis.

Vitam vestram beatam prædico, o fratres Christo dilecti, quoniam ingenua et frugi est : meam autem miseram reputo, quia inutilis. Vos ego beatos prædico, o charissimi, quos recta vivendi ratio Deo et Angelis amicos effecit. Vicem autem meam quis digne lugere poterit, qui inanibus operibus meis Deum exacerbavi ? Vos felices estis, qui pura et sancta vestra conversatione, charitateque immensa hæreditatem paradisi acquiritis. Vos enim suspicio, qui tam longi itineris laborem non detrectastis, causa salutis atque utilitatis animæ vestræ. Sed et hoc magis mihi admirationi est, quod ad hominem vilem et peccatorem conveneritis, ab eo sermonem petentes salutarem. Res profecto mira, eos, qui saturati sunt, ad fame tabescentem accedere ; qui rore spiritali pleni sunt, ad siti arescentem venire ; qui virtutum dulcedinem degustarunt, in amaritudine peccatorum versantem adire. Quid est, quod divites ad pauperem ? Quomodo sapientes ad rudem et imperitum ? Quomodo mundi ad immundum ? Quomodo sani ad eum, qui ex conscientia

laborat? Cur qui Deo sunt chari, ad eum qui ad iracundiam illum provocat? Cur liberi ad captivum? Cur diligentes ad negligentem venistis? Vos enim virtutum splendore admirabiles estis : ego vero insipiens atque mendicus. Vos temperantia conspicui placetis Deo; ego mea negligentia atque nequitia ipsi displiceo. Vos bonis vestris operibus et gloriosa castitate bonus odor estis Christo [1]; ego autem mollitie mea atque segnitie totus fœteo. Valde igitur mirum est vos, qui tantis commodis abundatis, ad me recurrisse, qui ne mihi quidem prodesse queo. Merito ergo hoc fecistis, Christi amantissimi, volentes sic torporem atque desidiam a me depellere, animumque meum ignavum diligentem reddere, et infirmitati vires addere. Cum enim sitis perfecti, in nullo deficitis. Postquam ergo pro vestra humilitate a me homine vili atque abjecto sermonem utilem audire deposcitis, vitamque meam coarguere volentes, id mihi jusseritis; ut obedientiæ fructum percipiam, loquar quidem, at cum pudore. Nam si vobis consilia dare incœpero, me ipsum condemnabo. Et si alios reprehendere voluero, me ipsum accusabo. Jure enim in me dici poterunt illa Salvatoris verba : « Medice, cura te ipsum [2]. » Sed quoniam idem Dominus et Salvator omnium dixit : « Quæcumque dixerint vobis, ut faciatis, facite : secundum autem opera eorum nolite facere [3] : » etiamsi ipse immundus sum, recte tamen aliis suadere novi. Unde cum angelicam istam vitæ rationem considero, singula ipsius salutaria instituta beata existimo. Quis enim recte pieque viventem, et castimoniam colentem, ob infinita et immensa illa bona reposita, beatum non prædicet? Et quis vice versa non lugeat eum, qui sua negligentia, incuria, pravisque operibus a regno cœlorum pellitur, et a cœlesti illo Sponsi thalamo repudiatur?

[1] 2 Cor. II, 15. — [2] Luc. IV, 23. — [3] Matth. XXIII, 3.

I.

De timore Dei.

Beatus vir ille, in quo est timor Dei. Talis enim manifeste etiam a Spiritu sancto prædicatur beatus : « Beatus » vir, inquit, qui timet Dominum [1]. » Vere enim, vere, inquam, qui timet Dominum, ab omni fraude inimici securus est, cunctasque illius vitat insidias. Qui timorem habet Dei, facile maligni et fraudulenti hostis fallacias dolosque superat : nulla enim in re ipsum irretire poterit. Nam qui timorem Dei sibi vindicat, carnis voluptatem non admittit. Qui timorem Dei obtinet, huc illucque non evagatur animo, sed Dominum suum expectat, ne forte repente veniat, ipsumque negligentia torpentem et imparatum offendat, separetque [2]. Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis : semper enim vigil est et sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno : vigilat enim, et adventum Domini sui expectat. Cui timor est Dei, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertiæ atque desidiæ non se tradit : semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur a Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placent, probat, eaque amplectitur et perficit : ut cum Dominus ejus venerit, in multis ab eo laudetur [3]. Plurimorum itaque bonorum causa est timor Dei, possidentibus illum.

[1] Psal. cxi, 1.— [2] Matth. xxiv, Marc. xiii, et Luc. xii.— [3] Matth. xxv, et Luc. xix.

II.

De illo qui non habet timorem Dei.

In quo non est timor Dei, omnibus diaboli dolis patet atque insidiis. Cui non adest timor Dei, animo vagatur, omnia susquedeque habet, atque contemnit; expers omnis curæ ac sollicitudinis, somno indulget; in actionibus suis ignavus est ac segnis; voluptatum est receptaculum; quæcumque sensibus in vita jucunda sunt, iis delectatur : non enim pertimescit adventum Domini. Affectibus fertur, gaudetque requiete; afflictiones fugit, humilitatem detestatur, et superbiam amplectitur. Deinde venit Dominus ejus, offenditque ipsum cunctis, quæ ipsi non placent, vacantem : ideoque dividet eum, et projiciet in tenebras sempiternas [1]. Quis autem ejusmodi hominem non esse miserum existimet?

III.

De charitate sive dilectione.

Beatus vir ille, in quo divina charitas est : quoniam Deum in se gerit : « Deus enim charitas est, et qui manet » in charitate, in Deo manet [2]. » Qui charitatem habet, omnibus cum Deo antecellit. Qui habet charitatem, non timet : nam « Charitas foras mittit timorem [3]. » Qui charitatem habet, neminem torve aspicit, neminem unquam detestatur, non parvum, non magnum, non gloria conspicuum, non inglorium, non pauperem, non divitem : omnium autem se infimum reputat, omnia tegit, omnia sustinet. Qui charitatem habet, non effertur in quempiam,

[1] Matth. XXIV, et Luc. XVI. — [2] 1 Joan. IV, 8. — [3] Ibid. 18.

non inflatur [1], non detrahit famæ cujusquam, verumetiam detrahentes aversatur. Qui habet charitatem, in dolo et fallaciis non ambulat, non supplantatur, nec fratrem suum supplantat. Qui præditus est charitate, non æmulatur, non invidet, non indignatur, non lætatur de lapsu proximi, neque errantem calumniatur, sed potius condolet, et adjuvat. In necessitate fratrem non despicit, sed eum ab injuria defendit, et mortem pro ejus salute oppetit. Qui præditus est charitate, Dei voluntatem perficit, ejusque discipulus efficitur. « In hoc enim, inquit bonus Dominus noster, cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si diligatis invicem [3]. » Qui charitate præditus est, nunquam sibi quid arrogat, nihil sibi proprium dicit : sed quæcumque habet, tanquam omnibus etiam communia proponit. Qui charitate est præditus, neminem alienum ducit, sed omnes putat ad se pertinere. Qui habet charitatem, non irritatur, non inflatur, non accenditur iracundia [2], non gaudet super injustitia, in mendacio non versatur, nullum putat sibi inimicum, præter solum diabolum. Qui charitatem habet, omnia sustinet, in omnibus se benignum, mansuetum, et longanimem exhibet. Beatus ergo qui charitatem possidet, et cum ea ad Deum tendit : quoniam ipse quod suum est, agnoscens, eum sinu suo excipiet [3]. Cum Angelis enim versabitur, et cum Christo regnabit operator charitatis. Nam per charitatem etiam Deus Verbum in terram descendit. Per charitatem paradisus nobis apertus est, et in cœlum reditus cunctis demonstratus. Cumque inimici essemus Deo, per ipsam reconciliati sumus [4]. Merito itaque dicimus, quod « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo » manet [5]. »

[1] 1 Cor. XIII, 4 et seqq. — [2] Joan. XIII, 34. — [3] 1 Cor. XIII, 4. — [4] Joan, 1, 18. — [5] Coloss. I, 21, 22. — [6] 1 Joan. IV, 8 et 16.

IV.

De non habentibus charitatem.

Miser autem atque infelix, qui longe a charitate abest : is enim somnians, dies suos transigit. Et quis non lugeat illum, qui alienum se a Deo reddidit, quique lumine privatus in tenebris versatur? Dico enim vobis, fratres, illum, qui Christi charitatem non habet, esse Christi ipsius inimicum. Verax enim est qui ait : « Qui fratrem suum odit, » homicida est, et in tenebris ambulat [1], » et ad omne peccatum proclivis est. Qui enim charitate destituitur, cito excandescit, facile indignatur, et facile ad odium accenditur. Qui charitatis est expers, gaudet super iniquitate aliorum, non compatitur cadenti, non porrigit manum jacenti, non admonet errantem, non confirmat fluctuantem. Qui caret charitate, obcæcatus est mente; amicus diaboli est; inventor omnis improbitatis, pugnarum et contentionum auctor, maledicorum amicus, detractorum socius, contumeliosorum consiliarius, invidorum præceptor, superbiæ operator, ac vas arrogantiæ. Et ut paucis complectar, qui absque charitate est, adversarii est instrumentum, ac tota errat via, et ignorat se in tenebris versari.

V.

De longanimitate.

Vere beatus homo ille, qui longanimitatem possidet : nam et hunc sacra commendat Scriptura, dicens : « Vir » longanimis multa prudentia gubernatur [2]. » Quid vero eo præstantius? Longanimis enim semper in gaudio atque

[1] Joan. II, 11, et III, 15. — [2] Prov. XIV, 29.

lætitia et exultatione versatur : spem enim in Domino defixam habet. Longanimis ab omni iracundia alienus est : omnia enim sustinet. Longanimis non facile ad iram concitatur, neque ad contumelias convertitur, non facile verbis movetur inanibus. Si afficiatur injuria, non moleste fert. Sibi adversantibus non resistit. In re quacumque firmus constansque permanet. Nullis imposturis fallitur. Non facile ad iracundiam provocatur. In adversis gaudet. Delectatur omni opere bono. Invidos æquo ac lubenti animo perfert. Jussus non repugnat, objurgatus non dolet. In longanimitate seipsum semper exercet.

VI.

De iis, qui carent longanimitate.

Qui longanimitatis est expers, etiam patientia destituitur : nam qui longanimis non est, facile commovetur, facile irritatur, cito ad rixas pugnasque exardescit. Contumelia affectus, vicissim male dicit. Injuria lacessitus, se vindicat. Inanibus altercationibus gaudet. Actiones ejus et opera, tanquam a vento folia, jactantur. In verbis non est constans. Celeriter ex una re transilit ad aliam. Qui longanimitatis expers est, etiam constantiæ firmitate destituitur : cito enim mutatur. Judicio caret. Cum improbis vitam agit. Cum maledicis commercium habet. Cum iniquis et facinorosis hominibus se ulciscitur. Secretum nullum tegit, sed ad arcana detegenda ac prodenda est promptissimus. Quid porro est ejusmodi homine miserabilius ?

VII.

De patientia.

Beatus est, fratres, qui patientiam possidet : quoniam patientia spe fulcitur; « Spes autem non confundit [1]. » Vere igitur beatus et beatissimus, qui patientia est præditus. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvabi- » tur [2]. » Et quid ista promissione præstantius? Bonus est Dominus cunctis expectantibus et sustinentibus ipsum. Patientia autem quanti tandem fiat, nonne scitis, fratres? An de hac re quoque nobis est oratio ad vos confirmandos excogitanda? Non enim sola patientia reperitur, sed cum multis virtutibus implicatur. Nam patiens cunctis virtutibus exornatur : gaudet enim in rebus adversis, in calamitatibus et in necessitatibus probatur. In tentationibus exultat, et ab obedientiam promptus est. In longanimitate compositus et ornatus, et in charitate perfectus. Maledicentibus benedicit. In bello pacem servat. In quiete virilis est, in psalmodia impiger, in jejuniis alacer, in orationibus strenuus, in operibus irreprehensibilis, in responsionibus rectus, in exequendis mandatis obediens, in vita recte instituenda diligens, in administrationibus gratiosus, in conversatione jucundus, in conventu fratrum dulcis, et in consiliis suavis, in vigiliis hilaris, et in peregrinorum cura studiosus, in obsequio infirmorum sedulus, ad succurrendum oppressis paratissimus, in cogitando sobrius, et in quacumque re expeditissimus. Qui patientiam possidet, etiam spem sibi vindicat : omni enim opere bono talis ornatur. Ideoque magna cum fiducia ad Dominum clamat, dicens : « Expectans expectavi » Dominum, et intendit mihi [3]. »

[1] Rom. v, 5. — [2] Matth. x, 22, et xxiv, 13. — [3] Psal. xxxix, 2.

VIII.

De eo qui caret patientia

Miser autem et infelix qui patientiæ est expers : nam ejusmodi hominibus væ comminatur divina Scriptura : « Væ, inquiens, illis, qui patientiam perdiderunt [1]. » Vere enim, vere, inquam, væ homini impatienti. Qui enim caret patientia, velut folium a vento rapitur. Hic injurias perferre nequit. In adversis est pusillanimus. In bello facile capitur. Dum sustinendum est, obmurmurat, et præcipientibus resistit. In orationibus piger et in vigiliis dissolutus. In jejuniis tristis, et in servanda continentia negligens. In responsis cunctabundus, et in actionibus improbus. In malitia invictus, et in mandatis imperiosus. In altercationibus vehemens, et in quiete ac silentio impotens. Probis adversatur, et proficientibus invidet. Qui patientia destituitur, multis damnis afficitur, et ad virtutem pervenire nequit. « Per patientiam enim, ut ait Apostolus, ad propositum nobis certamen currimus [2]. » Qui patientiæ expers est, ab hac spe alienus est. Quamobrem omnes qui impatientes estis, ut ego sum, cohortor : « Acquirite patientiam, ut salvemini. »

IX.

De lenitate animi, sive de benignitate.

Beatus ille vir, qui non facile ad iracundiam indignationemque concitatur. In pace enim talis semper vivit. Qui iracundiæ et indignationis a se Spiritum repellit, procul est a bello atque tumultu, semperque tranquillo est animo, ac fronte hilari. Qui non cito irascitur, vanis otiosisque

[1] Eccli. II, 16. — [2] Hebr. XII, 1.

sermonibus non commovetur. Hic justitiæ et veritatis operator est : hic pugnaces et garrulos facile suffert sustinetque : nemini injuriam infert. His morbis non afficitur : a rixis et altercationibus abhorret : erga omnes enim se amabilem benignumque demonstrat. Qui non irascitur, alienus est a contentionibus; semper autem sanus est atque incolumis. Hic pacis amator est et patientiæ. Qui spiritu iracundiæ non facile vincitur, Spiritus sancti domicilium efficitur. Qui ab iracundiæ spiritu liber est, Spiritum sanctum non irritat. Hic et ad mansuetudinem, et ad charitatem, et ad patientiam, humilitatemque est propensus, omnibusque operibus bonis ornatus, a Christo diligitur. Vere igitur beatus ac felicissimus, qui a se quam longissime spiritum iracundiæ et indignationis propulsat : quoniam hujus corpus, et anima, et mens perpetua sanitate fruitur.

X.

De iracundia.

Qui iracundia semper tenetur, et sæpe ac celeriter ob res etiam nullius momenti irascitur atque indignatur; sanctum Apostolum audiat sic dicentem : « Ira viri justitiam » Dei non operatur [1]. » Et vere miser atque infelix, qui passionibus ejusmodi vincitur : nam iracundus animam suam occidit. Vere autem animam suam interficit perditque iracundus : nam semper in perturbationibus vivit, animi tranquillitate ac pace, commodaque corporis valetudine carens. Semper enim corpus illius contabescit, et animus angitur, caro marcescit, oboritur pallor, et mens perturbatur : sensus debilitatur, et cogitationes fluminis instar scaturiunt, omnibusque invisus iracundus redditur. Hic a

[1] Jacob. 1, 20.

longanimitate et charitate alienus est : ob verba inania facile turbatur, et levissima de causa rixas excitat. Ubi non est opus, sese ingerit, et ubique odium sibi accumulat. Multiloquio gaudet, et in rebus inutilibus exultat. Conviciis oblectatur : ad mansuetudinem infirmus est, et ad improbitatem strenuus. Et quis hominem ejusmodi non deploret? quoniam apud Deum et homines abominabilis est. Omni enim in re morosus atque ærumnosus est iracundus. Ideo ab iracundia vobis cavete.

XI.

De mansuetudine.

Beatus ac felicissimus vere est vir ille, qui mansuetus est : hunc enim et sanctus Salvator noster ac Dominus beatum prædicat, dicens : « Beati mites, quoniam ipsi pos» sidebunt terram [1]. » Et quid ista beatitudine beatius? quid ea promissione sublimius? quid hac lætitia illustrius, cum quis paradisi terram obtinet? Quapropter, fratres, cum immensas divitias ac præmia huic virtuti proposita intelligatis, studiose consectemini illam. Ad splendorem ejus festinate, compungimini, et ad eam totis viribus properate. Nemo se terræ hujus possessione destitui sinat, ne plangat amare, frustra dolens conquerensque. Mansuetudini beatitudinem esse propositam audientes, ad eam contendite. Audite quid de illa per Spiritum sanctum edisserat verax propheta Isaïas : « Super quem requiescam, dicit » Dominus, nisi super mansuetum, et tranquillum, et tre» mentem sermones meos [2]? » nonne mirari licet hoc promissum? et quid isto honore præstantius? Videte ergo, fratres, ne quis ab hac felicitate, gaudioque immenso, et

[1] Matth. v, 4. — [2] Isaï. LXVI, 2.

lætitia inenarrabili excidat. Contendite igitur, contendite, obsecro, ut mansuetudinem possideatis. Nam vir mansuetus omnibus operibus bonis decoratur. Quamvis afficiatur injuria, lætatur : quamvis rebus adversis prematur, gratias agit : in charitate irascentes placat : increpationes aliorum fortiter tolerat : in pugna tranquillus est, et sub imperio alterius lætus vivit. Non pungitur stimulis superbiæ : in depressionibus lætatur : recte factis non extollitur, nec de iis se jactat. Cum omnibus se pacificum exhibet : superiorum jussis prorsus obtemperat : ad omne opus bonum promptus est : in omnibus rebus probatur, et a quibuscumque laudatur. Omnis malitiæ expers est, et a simulatione distat quam longissime : a dolo et invidia hic alienissimus est. Aversatur maledicentiam, et detractores fugit. O felices divitias mansuetudinis, quæ ab omnibus celebratur et collaudatur!

XII.

De malitia sive improbitate.

Lugendi itaque, fratres, et deplorandi sunt illi, qui mansuetudinis expertes, malitiæ atque improbitatis vinculis constricti sunt : gravi enim isti subjacent sententiæ : « Quoniam qui malignantur, exterminabuntur [1]. » Quin et sanctus Deus noster eosdem coarguit, dicens : « Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala [2]. » Et rursus Propheta : « Insurgentibus, inquit, in me malignantibus, audiet auris mea [3]. » Grave malitiæ dæmonium est, fratres. Proinde orate, nequis in ipsum incidens, se ipse reprehensione dignum constituat. Nunquam enim in pace

[1] Psal. xxxvi, 9. — [2] Matth. xii, 35, et Luc. vi, 45. — [3] Psal. xci, 12.

est malignus; sed semper perturbationibus agitatur : semper bile, ac dolo, et ira plenus est : semper proximum suum despicit, semper submurmurat, semper invidet, semper æmulatur, semper exasperatur : semper superiorum mandatis refragatur, jussaque pervertit : sana consilia aspernatur, et bona instituta dissolvit. Eos, a quibus diligitur, illudit : commendantes se, spernit : proficientes contristat, admonitiones parvi facit, fratres dirimit, simplices vexat, mansuetos repellit, patientes irridet, peregrinos aversatur, alios alibi calumniis premit, singulis adversatur, iracundiam excitat, ad vindictam impellit, ad convicia promptus, ad detractiones facilis, ad maledicentiam proclivis, ad contumeliam paratus, ad loquacitatem potens, ad jurgia pronus, ad excitandos tumultus nulli secundus; in psalmodia vero imbecillis est, in jejuniis debilis, in omni opere bono impotens atque inutilis, in sermonibus spiritualibus tardus ac segnis. « Omnis enim iniquitas con» cludet os ejus [1]. » Atque ideo maxima commiseratione homines ejusmodi digni sunt. Quamobrem rogo obsecroque vos, fratres, ut ab improbitatis atque malitiæ vobis lue caveatis.

XIII.

De veritate.

Beatus qui secundum veritatem vitam suam instituit, et non est deprehensus in aliquo mendacio. Beatissimus qui veritatem colit, « Quoniam Deus verax est [2], » et mendacium in ipso non est. Et quis veritatis amatorem non admiretur? Nam Deum talis imitatur : revera enim veritatis studiosus semper et Deo placet, et cunctis hominibus utilis est. In cœtu aliorum fratrum jucundus, et in re quacum-

[1] Psal. cvi, 42. — [2] Joan. iii, 33, et Rom. iii, 4.

que rectus. Qui verax est, non respicit personas hominum, et injuste non judicat : non usurpat dignitates atque honores, et pauperem atque inopem non despicit : in responsionibus simplex est, et in judiciis rectus : in operibus est sedulus, et in conversatione fratrum gratiosus atque honorabilis : doli omnis est expers, simulationemque detestatur. Omnibus operibus bonis ornatus est, et cunctis virtutibus accumulatus. Beatus igitur, qui absque ulla simulatione semper veritati inservit.

XIV.

De mendacio.

Miser atque infelix, qui semper mendaciis addictus est : quoniam ab initio diabolus mendax est [1]. Qui autem delectatur mendaciis, hic in verbis suis omnem perdit auctoritatem : odibilis enim Deo pariter, et hominibus redditur. Et quis hominem mendacem non deploret? Hic enim in nullo opere probatur, et in quacumque responsione sua suspectus est. Hic rixas et jurgia in monasteriis suscitat, et in communi fratrum cœtu est, ut in ferro rubigo. Cor quidem habet audax, sed pertusum : libenter arcana audit, sed eadem facile revelat, novitque organo linguæ suæ bene constitutos subvertere. Aggreditur facinora, seque eorumdem auctorem dissimulat : absque juramento nihil affirmat, et loquacitate sibi persuadere videtur. Versutus ac versipellis est homo mendax. Nullum est hoc majus animi vulnus, nullumque eo dedecus gravius : homo enim mendax ab omnibus rejicitur, et ab omnibus irridetur. Proinde attendite, fratres, ne assuescatis mendaciis.

[1] 1 Joan. III, 8.

XV.

De obedientia.

Beatus qui vera et minime simulata præditus est obedientia, quoniam hic imitator est optimi nostri Præceptoris, « Qui obediens factus est usque ad mortem [1]. » Vere igitur qui obedientiæ fruitur possessione, beatus est, quia cum Domini sit imitator, etiam cohæres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus conjungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinet, magnasque sibi divitias accumulavit. Qui obediens est, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, et ab omnibus probatur. Vir obediens cito exaltatur, et celeriter progressus magnos efficiet. Vir obediens præcipientibus non resistit, et jubentibus non adversatur: reprehensus non irascitur : ad omne opus bonum promptissimus est : ab iracundia non facile capitur : si reprehendatur, non commovetur, et si contumeliis afficiatur, nequaquam excandescit. In calamitatibus gaudet, et in tribulationibus gratias agit. De loco in locum non transmigrat, et ex una in aliam mansionem non se transfert. Admonitus non perturbatur : ad quem destinatus est locum, in eo manet, et tædio non afficitur. Patrem non despicit, et fratrem nequaquam spernit. Monasticæ vitæ rationem non carpit. Recreationes et otia fugit, ac locorum aërisque amœnitates minime sectatur, sed secundum sanctum Apostolum, in quo vocatus est loco, in eo manet. Multi igitur, ut apparet, sunt fructus obedientiæ. Quamobrem beatus est qui possidet illam.

[1] Philip. II, 8.

XVI.

De inobedientia. et murmuratione.

Execrandus autem est, ac miser homo inobediens et murmurator : magna enim in monasterio plaga est murmuratio, scandalosa est fratrum conventui, charitatem evertit, unionem dissipat, pacem disturbat. Murmurator præcipientibus contradicit, ad omne opus ineptus est atque inutilis, nihilque gratiæ habet in re ulla : idem enim est etiam piger : pigritia enim murmurationi conjunctissima est. « Omnis igitur piger incidet in mala [1], » ait sacra Scriptura. Si quo enim piger, inquit, mittatur, dicit : « Leo est » in via, in medio platearum homicidæ [2]. » Murmuratori semper excusationes in promptu sunt : si quod ei opus agendum injungitur, obmurmurat, ac alios mox etiam pervertit, dicens : « Et quorsum hoc ? cur istud, vel illud ? non expedit, inquiens, istud fieri. » Si aliquo mittatur : « Damnum, inquit, magnum ex illo itinere proveniet. » Si ad Psalmos decantandos excitetur, irascitur. Si ad vigilias, stomachi vel capitis sibi dolorem prætexet. Si illum admoneas, « Te ipsum, inquit, admone ; de me erit sicut Deo placuerit. » Si quid ipsum docere cupias, « Utinam, dicit, tu istud scires sicut ego. » Nunquam opus aliquod ipse solus aggreditur, nisi alios sibi adjunctos habeat. Murmuratoris actio quævis reproba, inutilis, et ad nullam virtutem accommodata. Homo murmurator otio atque solatiis gaudet, et tribulationes fugit. Murmurator epulas diligit, et jejunia spernit. Homo murmurator ac piger, et susurronem agere, et rumores confingere novit. Homo murmurator versutus est ac versipellis, et verborum multitudine invictus, perpetuisque calumniis nunc illum, nunc istum insectatur. Idem

[1] Prov. XVII, 16. — [2] Id. XXII, 13.

in recte factis tristis est, et ad hospites recipiendos minime idoneus: in amicitia simulatorem, et in odio vehementem se exhibet. Quapropter, fratres, ne in exequendis mandatis superiorum queruli simus et murmuratores; neque tanquam præcipientibus peritiores, adversum eos nos opponamus, aut defendamus.

XVII.

De eo, qui ab invidia et æmulatione alienus est.

Beatus qui invidiæ et æmulationi non est obnoxius: nam æmulatio et invidia dependent a se invicem, et qui alterutram habet, utramque habet. Vere igitur beatus, qui in hæc vitia non incidit, nec ab aliquo istorum vulneratus est. Nam qui injuste fratrem suum æmulatur, cum diabolo condemnabitur. Vincitur æmulator: laborat odio et inimicitia: bono aliorum angitur progressu. Qui autem ab invidia et æmulatione alienus est, nunquam aliorum profectu cruciatur: de honore alterius non turbatur, neque de dignitate dolet. Cunctos enim se meliores præstantioresque ducit, indigniorem se aliis, omniumque infimum reputans. Qui invidia caret, honores non sectatur, gaudet cum gaudentibus, gloriam propriam non quærit, adjuvat proficientes, cum præclare incedentibus exultat, et bene beateque viventes laudibus celebrat. Si fratrem recte viventem viderit, illum nequaquam impedit, sed ad meliora cohortatur, viresque ac nervos ei addit. Si alium viderit requiescentem, eum non criminatur, sed illi gratulatur. Si quem peccasse viderit, non proscindit conviciis, sed recte admonet. Si iratum viderit, non exacerbat, sed in charitate illum lenire ac mitigare, et ad concordiam pacemque dirigere studet. Si quem mœrore affectum aspexe-

rit, non despicit, sed utili blandoque hunc sermone solatur ac sublevat. Ignorantem rudemque instruit, et ad rectam virtutis semitam reducere errantem conatur. Si quem psalmodiæ tempore dormitantem offenderit, sedulo eum excitat. Et ut paucis multa, qui invidiæ æmulationisque expers est, in nulla re proximum suum deludit, sed cunctis aliorum progressibus atque virtutibus lætatur.

XVIII.

De invidia, et æmulatione.

Qui autem ejusmodi vitiorum laborat morbo, miser est atque infelix: diaboli enim consors est, per quem mors introivit in mundum[1]. Invidus enim et æmulator omnibus se adversarium præbet. Neminem sibi in honore præferri patitur. Proborum æstimationem diminuit, recteque incedentibus scandalum constituit. Recte viventes vituperat, et pietate ac religione conspicuos aspernatur. Jejunantes appellat inanis gloriæ avidos, et sedulos in decantandis Psalmis, ostentatores: promptos in ministerio, gulæ deditos, et alacres in bonis operibus, gloriæ cupidos. Vacantes sacrarum Litterarum studiis, inertes atque otiosos, et in responsionibus temperatos, ventri deditos. Nunquam aliorum progressibus gaudet invidus. Si quem torpentem aspexerit, non excitat; sed ad malum potius impellit. Si orationis tempore dormientem viderit, non expergefacit, imo magis torpentem fovet. Si quem fratrem quiete se reficientem cernat, calumniatur. Si quem lapsum consideret, ubique calumniis eum proscindit. Væ homini invido, quoniam mœrore cor ejus contabescit, corpusque ejus livido pallore obductum languescit, et viribus destitutum cor-

[1] Sap. II, 24.

rumpitur: cunctis se amarulentum atque acerbum exhibet. Cunctis se inimicum præbet: apud cunctos simulatorem agit; cunctis insidiatur, et apud cunctos personas accipit: hodie hujus, cras alterius se partibus adjungit. Omnibus se alium atque alium ostendit, dum cujuslibet voluntati se obsequi fingit, et mox interim omnes damnat: et hunc apud illum, illum apud alium rodit: cum omnibus omnes implicat. Grave ergo et pestiferum est invidiæ et æmulationis venenum, unde detractiones, odia, ac cædes pullulant. Procul igitur ab invidia fugite, cœlestis aulæ milites: procul a vobis æmulationem et invidiam depellite, ne simul cum diabolo damnemini.

XIX.

De eo, qui a maledictis et contumeliis alienus est.

Beatus ac felicissimus, qui maledictis et contumeliis proscindendo proximum, linguam suam non maculat, nec lingua maledica sibi cor contaminat; sed cum nos omnes norit alicui vitio obnoxios, aliena maledicentia non delectatur, verum ab hoc crimine abhorret quam maxime. Qui enim alterum maledictis non incessit, se ipsum inculpatum servat: is nullum offendiculum incurrit, nec conscientia illius coinquinatur. Qui maledicentiæ et contumeliæ spiritum vitat, ab improborum se consuetudine servat, exercitusque dæmonum superat. Qui linguam in aliorum infamiam non exacuit, thesaurum, quo spoliari nequit, tutum sibi vindicat. Qui non flectitur ad maledicendum aliis, fratricidio is non redditur obnoxius, et apud alios non male audiet. Qui contumeliæ spiritu non capitur, is vere novit se hominem ex carne constare, et se ipsum purum immaculatumque conservat. Qui maledicorum familiaritatem

fugit, is inter Angelos versabitur. Cujus aures et lingua maledicentiæ veneno non sunt infectæ, is medicamento charitatis plenus est. Qui labia sua maledictis atque contumeliis non polluerit, illius os fructum Spiritus sancti redolet. Vere ergo beatus iterumque beatus ille est, qui a maledicentia se integrum custodierit.

XX.

De maledicentia et maledicis.

Qui alios lubens maledictis incessit, se iis, quæ in alios confert, obnoxium declarat : qui enim in alterum est contumeliosus, se ipsum condemnat: carnalis enim est, et mundi laqueis implicatus. Homo maledicus utroque et odii et susurrationis morbo laborat. Qui autem talis est, fratricida, et crudelis, et immitis censetur. Cui vero timor Dei semper ob oculos versatur, et qui mundo est corde, aliorum ignominia non gaudet, nec de occulta cujuspiam turpitudine lætatur, neque in aliorum lapsu atque ruina conquiescit. Vere ergo miser ac deplorandus est ille, qui maledictis et conviciis in proximum conferendis assuescit. Quid autem hoc scelere gravius? Unde et sanctus Apostolus nefaria impiorum opera prohibens, etiam maledicos iis annumerat : « Neque maledici, inquiens, neque rapaces » regnum Dei possidebunt[1]. »

XXI.

De temperantia et continentia.

Beatus ac vere felicissimus, qui temperantiam ac continentiam servat. Magna profecto et eximia hæc est virtus.

[1] 1 Cor. vi, 10.

Verum quam longe ea pateat, quantique valeat, et quibus in rebus sita sit, benigne, quæso, attendite. Est ergo temperantia et continentia in lingua, cum quis nec pluribus verbis utitur quam oportet, nec inanibus, atque inutilibus: cum modestiæ freno linguam temperat, cum a conviciis et execrationibus abstinet, cum non delectatur vaniloquiis et iis quæ non decent: cum linguam refrenat, et unum in alterum calumniando et obtrectando non commovet: cum secreta celat, et quæ sua non sunt, non curat. Temperantia quoque ac continentia in auditu est, cum quis auribus suis sic imperat, ut eas verbis inanibus ac maledicis non accommodet. In oculis etiam temperantia consistit, quando quis sic aspectum comprimit, ut non passim quæ oblectare possunt, aut quæ nefas est intueri, respiciat. Animo autem temperans est, qui sic eum regit, ut non efferatur iracundia, nec cito exacerbetur. In gloria temperantia hominis versatur, quando quis ita mentem moderatur, ut nec honoribus, nec dignitatibus, nec laudibus aucupandis vincatur. In cogitationibus temperantia est, cum quis timore Dei blandas ardentesque cogitationes reprimit. In cibis servatur temperantia, quando nec superfluis, delicatioribusve quis delectatur; nec extra præfinitum edendi tempus cibum appetit, horamve anticipat; nec spiritu gulæ vincitur; neque etiam dapium pulchritudinem aut varietatem curiose avideque nimis requirit. In potu temperans est, qui sobrietatem colit, nec compotationibus, aut vinorum dulcedine gaudet, nec temere vinum bibit, poculorumve varietatem, ac permixtam in iis voluptatem sectatur; nec immodice non solum vino, sed, si fieri potest, ne aquæ quidem potu fruitur, quam fert necessitas. In cupiditatibus autem ac pravis voluptatibus temperans dicitur, qui sensibus suis imperat, nec mox cupiditatibus ingruentibus indulget, nec cogitationibus libidinosis assensum præbet;

neque oblectatur iis, quorum postea odium capit ac nauseam; quique carnis desideria non perficit, sed timore Dei concupiscentias pravas refrenat. Vere enim continens ac temperans censetur ille, qui cœlestium et immortalium bonorum desiderio incensus, in iisque tota mente defixus, cunctas voluptates carnis aversatur, libidinesque quascumque ut umbram despicit, neque ullo fœminarum aspectu, aut corporis forma delectatur: nullis impuris spiritibus, aut blandis sermonibus capitur; et cum mulieribus, præsertim impudicis, consuetudinem non habet, nec in longum sermones cum fœminis protrahit. Qui vere temperans est ac continens, seque ad immensam illam cœlestis beatitudinis quietem servans, tota mente ac corde concupiscentiam omnem carnalem cupiditate potioris boni, ac formidine venturi sæculi propellit superatque.

XXII.

De intemperantia et incontinentia.

I. Qui intemperans est et incontinens, a quocumque alio facile vitio superatur: homo enim intemperans etiam voluptatibus addictus est. Intemperans multiloquio gaudet, sermonibusque inanibus atque otiosis et scurrilibus delectatur: suavitate epularum capitur: ad edendum et bibendum fortis est: vana ac stulta voluptate incenditur: cogitationibus impuris assensum præbet: libidine infatuatur atque marcescit: inanis gloriæ studio vexatur: honores sibi fingit, et quasi jam sit adeptus, luditur: de fœminarum sibi consuetudine placet: corporum pulchritudine atque colore irretitur: formarum gaudet aspectu: præstigias adhibet: mulierum familiaritate et risu liquescit. Quæ vigilans vel per somnium vidit, memoria recolit: in mente sua, velut

pictura, exprimit, atque effingit fœmineos vultus, contrectationes manuum, complexus corporum, membrorum complicationes, sermonum dulcedinem, blandimenta risus, nutus oculorum, ornatum vestium, colores corporum, collocutiones adulatorias, labiorum contractiones, totius corporis jucunditatem, motuum ac gestuum illecebras, tempora ac loca congressionum, et cuncta denique quæ ad voluptatem pertinent. Homo voluptatibus addictus atque incontinens, in animo suo tanquam pictura, hæc omnia depingit, et in illa cogitatione fixus hæret immoraturque: adeo ut si videat scripturam aliquam de continentia recitari, mœrere incipiat; si gravem seniorum de rebus utilibus ac bonis disserentium conventum viderit, ab illo se subtrahat; si patrum austeritatem consideret, nausea afficiatur; si verba de jejunio audiat, turbetur. Fratrum congressum aversatur. At si mulieres conspexerit, illico exhilaratur, sursum atque deorsum ad ministrandum cursitans. Tunc in psallendo sonorus est, tunc in facetiis ac risibus strenuus, ut sic se gratum jucundumque fœminis illis præbeat. Tempore quietis atque silentii tristis et infirmus est. Miser ergo et infelix is, qui continentia spoliatus est. Quapropter, fratres, cum continentiæ fructus et commoda, incontinentiæ autem mala ac damna intelligamus, hanc fugiamus, illam modis omnibus amplectamur. Magna enim continentiæ reposita sunt præmia, et magnitudinis ejus non est finis. Vere igitur felix atque beatus, qui temperantiæ ac continentiæ splendore ornatus est. Sed omnium beatissimus ac felicissimus, qui omnibus virtutibus claret, qui operibus justitiæ præcellere studet, qui nihil occulte agit quod displiceat Deo, sed semper veritati inservit, semperque actiones suas bene in lumine dirigit, et nullis unquam cogitationibus improbis consentit.

II. Sed ego quid miser agam, qui cunctas virtutes sem-

per prædico, et ne in una quidem me exercui, sed in omni potius vitiorum genere annos meos consumpsi? In me quadrabit quod scriptum est: « Oneratis homines oneribus, » quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non » tangitis sarcinas [1]. » Quamobrem rogo obtestorque dilectionem vestram, fratres in Christo benedicti, et paradisi participes, ut Christo Domino, qui vos suæ militiæ ascripsit, totis viribus placere studeatis. Nullus vestrum, qui Christi gratia sub ejus jugo militatis, repudietur ut ignavus ac negligens. Nolite morem gerere voluntati carnis, ne absque defensione inveniamur coram tremendo tribunali illo, ubi quisque referet, prout gesserit in vita, sive bonum sive malum [2]. Væ autem mihi tunc misero, qui omni tum fiducia destituar! et quid agam in extremæ illius necessitatis, quæ vitari non poterit, articulo? Beati atque felices, qui tunc cum fiducia ante Judicem statuentur, et de manu Domini sanctam mercedem accipient. At væ illis, qui minimis levissimisque de causis tunc confundentur! Quæ enim (ut clarius rem explicem) excusatio poterit esse ei, qui vel ob vanam gloriam, vel arrogantiam atque pertinaciam, vel inobedientiam, vel gulam, vel ob petulantiam, vel loquacitatem, vel superbiam, vel complacentiam, sive jactantiam, aut ob invidiam, aut contentionem, aut iracundiam, aut contumeliam, aut calumniam detractionemve tunc accusatur? Quam excusationem afferet, qui ob minima ista tunc accusabitur? Quod tibi lucrum vel voluptas ex istis esse poterit? At quæ difficultas, ista vitare? Quæ cum ita sint, vos hortor obtestorque, fratres, ne quis vestrum propter aliquod ejusmodi tunc damnationis sententiam audiat: nam a gravioribus quidem peccatis ac vitiis vos temperare novi. Sed ista, quæ parva

[1] Matth. xxiii, 4, et Luc. xi, 46. — [2] Rom. xiv, 10, et 2 Cor. v, 10.

apparent ac levia, unusquisque negligere, ac spernere solet, putans non esse reddendam eorum rationem. Quamobrem per ejusmodi nos perdere quærit diabolus : id enim efficit, ut unusquisque nostrum ea, tanquam nullius momenti sint, negligat. Omni ergo diligentia ac studio contendite, ne in illis irretiamini; sed vobis ipsi sedulo cavete, ut cum Christo sempiterna gloria fruamini : cui sit gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De virtutibus et passionibus.

Sciendum quod, cum homo sit duplex, compositus nempe ex anima, et corpore, duplices habet etiam sensus : et quinque sunt profecto animæ, quinque item corporis, quas potentias ipsius sapientes vocant; hæ autem sunt : mens, cogitatio, opinio, imaginatio, sensus : Corporales vero, visus, odoratus, auditus, gustus, et tactus. Inde itaque duplices harum virtutes, duplices vero etiam malitiæ sunt : quare maxime necessarium est noscere dilucide totum hominem, quænam sint animæ virtutes, et quæ corporis vitia. Et rursus quæ sint animæ affectiones, quæque sint corporis. Ac animæ quidem virtutes imprimis dicimus esse has quatuor generalissimas, quæ sunt, fortitudo, prudentia, temperantia, et justitia : atque ex iis genitæ animæ virtutes, fides, spes, charitas, oratio, humilitas, mansuetudo, longanimitas, tolerantia, bonitas, mansuetudo, Dei cognitio, animi demissio, simplicitas, imperturbabilitas,

sinceritas, amor veritatis, libertas, a judicando abstinentia, vanæ gloriæ contemptus, fastus vacuitas, elationis fuga, ab invidia recessus, fraudis odium, liberalitas, compassio, misericordia, elargitio, reverentia, circumspectio, futurorum ac immortalium bonorum desiderium, regni Dei appetitus, adoptionis filiorum cupiditas.

Virtutes corporis.

Hæ sunt autem virtutes corporis, quæ sunt potissimum in scientia secundum Deum virtutum instrumenta, hominemque ad humilitatis atque affectionum vacuitatis progressum absque omni simulatione studioque placendi hominibus adducunt: videlicet, continentia, jejunium, fames, sitis, vigilia, statio nocturna, genuum flexio, assidua illuvies, unius habitus gestatio, aridorum comestio, tarda et modica ciborum sumptio, aquæ potus, humi cubatio, paupertas, inopia, tristitia, ornatuum suique ipsius amoris contemptus, in solitudine degere, quies, domi se continere, indigentia, paucis contentum esse, taciturnitas, propriarum manuum labor, atque occupatio, omnisque afflictatio, corporisque exercitatio, quæ omnia valente corpore, ac carnis concupiscentia turbato necessaria maxime, atque utilissima sunt; infirmo vero, et Dei auxilio ab his liberato, non adeo necessaria, eo quod per sanctam humilitatem, gratiarumque actionem reliqua possint suppleri. Ac de corporis quidem virtutibus hactenus.

Animæ affectiones.

I. Dicendum est igitur etiam de iis, quæ ad animam, et corpus pertinent, videlicet de passionibus. Atque animæ quidem affectiones sunt, oblivio, inertia, et inscitia, a quibus

tribus, nempe his animæ oculus, id est, mens obscurata dominationi subditur omnium pravorum affectuum, qui sunt, impietas, prava opinio, id est, omnis hæresis, blasphemia, iracundia, ira, acerbitas, asperitas, inhumanitas, injuriæ memoria, detractio, iniquum judicium, mœror fatuus, timor, timiditas, contentio, zelus, invidia, vana gloria, superbia, hypocrisis, mendacium, infidelitas, insipientia, indiscretio, hebetudo, insatietas, habendi cupiditas, valetudinis amor, immodica affectio, terrenorum appetitus, accedia, pusillanimitas, ingratitudo, murmuratio, timor, animi elatio, arrogantia, jactantia, imperandi cupido, placendi desiderium, dolus, impudentia, stupiditas, adulatio, subdola simultas, ironia, duplex animus, assensus in peccatis ex simili affectione, et assidua in eis meditatio, cogitationum deceptio, amor sui ipsius malorum genitor, et avaritia omnium nequitiarum radix, malaque consuetudo, ac pravitas.

II. Vitia quæ ad corpus pertinent. Quæ corpus inficiunt passiones vero sunt, gula, ingluvies, luxus, ebrietas, clancularia comestio, variarum voluptatum amor, scortatio, adulterium, lascivia, impuritas, sanguinolenta cædes, pædicatio, bestialitas, cupiditates pravæ, atque omnia præter naturam, et pudenda oblectamenta, furtum, sacrarum rerum direptio, latrocinium, cædes ex invidia, aut iracundia perversa : omnis corporis requies, et oblectatio in desideriis carnis recte valente corpore, præstigiæ, prædictiones magicæ, auguria, ominationes, vaticinantium consultatio, ornatus amor, actiones temerariæ, ignavia, fucus, facies fictæ, damnabilis petulantia, tesserarum ludus, abusus nimis deditus mundi voluptatibus, vita corpori indulgens, quæ pinguescendo terrestrem, ac belluinam mentem reddit, ac nunquam ad Deum, et ad operationem virtutum respicere permittit. Radices vero omnium malorum, atque

ut aliquis appellare possit, primæ causæ, sunt voluptatum studium, amor gloriæ, et nummorum cupiditas, a quibus omne malum gignitur.

III. Non delinquit autem homo in ullo peccato, nisi antea validi hi gigantes, sicut ait inter Ascetas sapientissimus Marcus, superent, suæque dominationi ipsum subjiciant, videlicet, oblivio, inertia, et ignorantia. Has autem parit voluptas, ac dissolutio, amando etiam humanam gloriam, et distractionem. Prima autem causa, et tanquam mater nequissima, sicut dictum est, amor sui, id est, dilectio corporis, et indulgens affectio, diffusio, ac resolutio mentis cum dicacitate, atque obscœnitate, quæ malorum multorum, ac lapsuum sunt conciliatrices, sicut loquendi libertas, et risus. Ad hæc noscere oportet variam esse, ac versutam affectionem voluptatibus indulgentem, ac multas, quæ animam decipiunt, oblectationes, quando minime vigilans ad Deum abstrahitur a divino timore, atque a dilectione Christi, virtutum exercitationibus intenta. Innumeræ etenim undique se offerunt voluptates ad se ipsas trahentes oculos animæ, corporum, pecuniarum, deliciarum, gloriæ, socordiæ, iracundiæ, potestatis, amoris imperandi, cupiditatis acquirendi, et sese offerunt ad decipiendum, splendidos præ se ferentes aspectus, atque amabiles, aptos ad alliciendum eos, qui eorum affectione concutiuntur, et non multum virtutem diligunt, hisque imperitiam patiuntur. Et omnis habitus terrenus, affectusque alicujus rei materia concretæ, etsi fortuitus sit, voluptatem delectationemque parit in eo, qui his afficitur, etsi stultus, ac noxius sit; ac concupiscendi potentiam animæ ea in re miserandum in modum subjicit, adeo ut ea de causa iracundiæ et mœrori, iræ ac malorum memoriæ is qui subditur, eo quod re concupita privetur, subjiciatur. Si autem cum affectione vel exigua consuetudo prævaluerit sensim, ac sine remedio,

heu! usque ad finem insanæ affectioni adhærere propter latentem in hac voluptatem, eum, qui captus est, coget. Multiplex enim est cupiditatis voluptas, sicut dictum est, ac non solum scortatione, atque in aliis corporis delectationibus exsaturatur, verumetiam reliquis passionibus, quia temperantiæ non solum est a scortatione abstinere, atque a cæteris oblectamentis venereis procul esse : inde pecuniæ cupidus, et avarus, et superflui amator, intemperans. Quemadmodum etenim ille corporum, ita etiam hic pecuniarum, intemperantior autem hic tanto, quanto magis neque tantam vim patitur, quæ ex natura ipsum impellat. Etenim imperitus ille auriga verissime, ac maxime dici potest, non qui equum durum, ac refractarium minime moderatur, sed qui placidum, et mansuetum subjicere non potest. Enimvero manifestum est omnino esse superadditam, et non secundum naturam pecuniæ cupidinem, utpote quæ a natura vim non habet, sed ex prava voluntate; ea de causa peccando veniam non mereri eum, qui illa captus superatur. Quapropter opus est, ut clare intelligamus non solum in fruendis voluptatibus, deliciisque corporeis sitam esse intemperantiam, verumetiam in omni modo, atque opere cum animæ electione, et affectione concupito.

IV. Ut autem manifestius adhuc affectiones, ac tres animæ partes dignoscantur, etiam hæc, pro viribus, breviter addenda esse judicavimus. Anima in tria dividitur, rationale, irascibile, et concupiscibile : ac rationalis potentiæ quidem peccata hæc sunt, infidelitas, hæresis, imprudentia, blasphemia, indiscretio, ingratitudo, atque assensus peccatis, quæ fiunt a parte, quæ affectibus commovetur. Horum sanatio, et medicina, indubitata fides in Deum, vera, stabilia, atque orthodoxa dogmata, assidua meditatio sermonum spiritus, pura oratio, atque indeficiens

in Deum gratiarum actio. Irascibilis autem peccata sunt hæc: sævitia, odium, durities, injuriarum memoria, invidia, cædes, ac assidua de his meditatio. Sanatio horum, ac remedium, humanitas, dilectio, bonitas, amor fraternus, compassio, æquanimitas, benignitas. Ac concupiscibilis peccata sunt hæc, gulositas, ingluvies, vinolentia, scortatio, adulterium, impuritas, lascivia, avaritia, vanæ gloriæ desiderium, aurique, et divitiarum, carnaliumque voluptatum. Curatio, atque horum medicina est jejunium, continentia, malorum patientia, voluntaria paupertas, pecuniarum effusa distributio in pauperes, futurorum bonorum illorum cupiditas, aviditas regni Dei, adoptionis desiderium. Itaque oportet nos exponere etiam notionem cogitationum malarum, per quas omne peccatum efficitur.

V. Octo sunt omnino cogitationes, quæ malitiam continent. Prima gulæ, secunda fornicationis, tertia avaritiæ, quarta iracundiæ, quinta mœroris, sexta negligentiæ, septima vanæ gloriæ, octava superbiæ. Hæ omnes cogitationes, non in nostra potestate est, ut turbent, aut non turbent; ut autem perseverent, aut non perseverent, sive affectus moveant, aut non moveant, in nostra potestate situm est. Alia autem res est impressio, et alia consociatio, et alia passio, et alia colluctatio, alia consentio accedens, seseque operationi accommodans, et alia actio, alia captivitas. Et impressio quidem est suggestio simpliciter ab inimico effecta : veluti fac hoc, sive hoc, sicut in Christo Deo nostro, « Dic ut » lapides isti panes fiant [1]. » Hoc ut dictum est, non pendet a nobis. Consociatio autem est receptio cogitationis ab adversario, et veluti cum ipso commentatio, conversatioque cum delectatione cum nostræ voluntatis determinatione. Passio vero, dispositio ex consociatione effecta ab adversario, qui affectionem imprimit, et est veluti assidua me-

[1] Matth. IV, 3.

ditatio, atque imago. Colluctatio vero repugnantia cogitationis, quæ ad destructionem affectionis ex cogitatione seu passionis in malum, quæ ad assensum (inclinat), quemadmodum ait Apostolus : « Caro concupiscit adversus spiri» tum : spiritus autem adversus carnem : hæc enim sibi » invicem adversantur [1]. » Captivitas vero est violenta, atque involuntaria cordis abductio ex præoccupatione, ac longa consuetudine dominans. Consensus autem inclinatio in affectionem cogitationis : operatio vero executio cogitationis malæ cum assensu. Qui igitur primum citra affectum cogitationem habet, seu contradictione, ac gravitate in principio repudiat, impressionem scilicet; omnia extrema simul amputat : destruitur vero per continentiam gulositas, a divino autem amore, ac futurorum desiderio, fornicatio : atque a misericordia in pauperes, avaritia; a benignitate, et in omnes dilectione, iracundia; a spiritali vero gaudio, tristitia mundana : a patientia autem, ac tolerantia, gratiarumque actione erga Deum, negligentia; et ab occulta virtutum exercitatione, precibusque assiduis cum contritione cordis inanis gloria; et ab abstinentia judicandi, seu spernendi alios, contra ac faciebat jactator Pharisæus, verum existimando se ipsum omnium ultimum, superbia. Ita igitur a prædictis malis affectionibus mens liberata, atque in Deum erecta, deinde vitam beatam vivit, pignus recipiens Spiritus sancti; atque a præsentibus discedens, sine perturbatione, et cum vera cognitione sistitur ante lumen sanctæ, beatæque Trinitatis, cum divinis Angelis per infinita sæcula resplendens. Triplex itaque cum sit, sicut antea explicatum est, anima; tres etenim sunt partes illius, ut dictum fuit, intellectio, irascibilis, ac concupiscibilis, si sit in irascibili dilectio atque benignitas, et in concupiscibili puritas ac temperantia, intellectus lumine perfusus rema-

[1] Gal. v, 17.

net. Sin in irascibili sit hominum odium, cupidoque atque intemperantia in concupiscibili, intelligendi vis tenebris perfunditur. Ratiocinium tunc recte valet, suique est compos, ac luce illustratur, quando affectiones pravas subjectas tenet, et rationes operum Dei spiritualiter speculatur, et ad beatam, sanctamque Trinitatem perducitur. At irascibilis tunc rursus movetur secundum naturam, quando universos homines diligit, et contra nullum illorum aut mœrorem, aut injuriæ memoriam tenet. Concupiscibilis vero, cum continentia, et humilitate, ac voluntaria paupertate affectiones mortuas reddit, id est, voluptatem carnis, ac pecuniarum, gloriæque transeuntis cupiditatem, atque erga divinum, ac cœlestem amorem convertitur. Etenim cupiditas ad tria movetur, aut ad carnis voluptatem, aut inanem gloriam, aut pecuniarum deceptionem : et propter hunc irrationabilem appetitum Deum spernit, ac divina præcepta, propriæque nobilitatis obliviscitur, ac contra proximum ferox evadit, et intellectum obscurat, neque sinit ad veritatem aspicere, quibus qui superiorem mentem possidet, ex hoc tempore, sicut dictum est cœlorum regno perfruitur, beatamque vitam vivit, expectans repositam diligentibus Deum beatitatem, qua etiam nos digni efficiamur per gratiam Christi.

VI. Sciendum autem est etiam hoc aspirari non posse ad mensuram perfectionis qualiscumque virtutis eum, qui laborioso studio pro viribus ad acquisitionem illius non festinat per totam vitam diligentissima operum exercitatione, exempli gratia, eleemosynæ, continentiæ, orationis, dilectionis, aut generalium virtutum, fortitudinis, prudentiæ, temperantiæ, justitiæ. Ex his enim, atque hujusmodi transit quis ad particularem virtutem, sicut eleemosynam, largitioneque, ac beneficentia utitur aliquis pro tempore. Verum ex rariore hujus distributione, proprie

misericordem hunc non appellamus, præsertim quando non bene, ac secundum Dei placitum, actio efficitur. Non etenim bonum est bonum, quando bene non fit, sed bonum est revera, siquidem minime recipit mercedem propter hoc, aut hoc, propter placendi forte studium, aut famam, aut captandam gloriam, aut ex cupiditate, aut injustitia. Etenim non quæ fiunt, aut putantur bona quærit Deus, sed intentionem, qua fiunt. Aiunt enim etiam Patres divini, quando mens a pietatis scopo aberrat, tunc virtutis opus externum, stultum evadere. Quæ enim sine judicio, atque intentione fiunt, non modo nihil prosunt, quamvis bona sint, verumetiam obsunt. Sicut e contrario etiam in iis, quæ videntur adversa, intentione autem pia, et secundum Deum, effectis, ut si quis in lupanar ingrediatur ut pellicem a perditione revocet. Hinc neque misericors proprie, aut continens, qui raro, aut semel, eleemosynæ, aut temperantiæ operam dat, vocabitur; sed qui ut plurimum, et per totam suam vitam, sicut dictum est, virtutem perfecte exercet cum discretione minime periculose.

VII. Maxima enim omnium virtutum est discretio, sicut regina quædam incedens, ac virtus virtutum. Sicut rursus etiam e contrario non appellamus scortatorem, aut ebrium, aut mendacem, qui semel in aliquid ejusmodi lapsus est, sed eum qui ut plurimum in talia incidit, atque incorrigibilis manet. Atque illud magis præter ea, quæ dicta sunt, scire omnibus est maxime necessarium, qui ex animo incumbunt ad virtutem comparandam, ac malitiam effugere conantur; quanto anima sine comparatione præstantior est corpore, atque in multis, maximisque rebus omnino excellentior, æstimabiliorque, tanto, quæ ad animam spectant, virtutes et maxime eas, quæ Dei nomen, imitationemque præ se ferunt, antecellere iis, quæ in corpore sitæ sunt. E

contrario vero non ignorare æquum est, etiam pravitates animæ a corporis malis affectionibus tum ob propriam operandi vim, tum propter suppliciorum mulctam differre, quamvis hoc nescio quòmodo multos lateat, ac fugiat; qui ebrietatem quidem, ac fornicationem, adulterium et furtum, atque horum similia aversantur, ac timent, fugiuntque, aut puniunt, ut vulgo ipsa specie abominanda : et profecto ita est; in rebus vero, quæ multo (pejores) sunt his, atque in æterno supplicio his asservato concludunt illos, qui ea sectantur, nullam correctionem, nullumque doloris sensum præ se ferentes, in fornicatione, inquam, in injuriarum memoria, in nequitia quoque, et jactantia, in avaritia omnium malorum radice secundum Apostolum, atque in horum similibus. Verum hæc, ita ut pro nostra inscitia potuimus, simplici modo exposuimus, compendiarium ac dilucidum de virtutibus, malisque affectionibus sermonem ex tempore habentes, ut expedite possit quis cognoscere, ac discernere horum divisionem, ac differentiam subtili de hisce rebus perspicuitate. Propter hoc ipsum enim tum varietatem, tum multiplicitatem uniuscujusque exposuimus, ut nulla, si fieri potest. Virtutis, aut malitiæ species ignoretur, ut ex animo ad nos ipsos pertrahamus virtutes scilicet, ac præcipue, quæ ad animam spectant, per quas Deo appropinquamus; nequitias vero etiam atque etiam aversantes effugiamus.

VIII. Beatus enim verissime, quemadmodum prudens, sic etiam maxime commendandus negotiator, qui virtutem quærendo, eamque ambiendo, quid sit virtus scrutatur, ut per ipsam ad Deum accedat, atque ei spiritaliter adhæreat. Etenim hoc proprie prudentia est, et fortitudo, sapientia, et cognitio sine errore, et divitiæ, quæ auferri non possunt; perduci per virtutis opera ad contemplandum factorem. Virtus enim dicitur ab eligendo : nam virtus etiam volun-

taria est, eo quod per electionem, propriamque voluntatem nos bonum efficimus, non invite, ac coacte : prudentia autem dicitur ab afferendo menti utilia. At vero, si vis, addamus simplici huic sermoni veluti sigillum aureum et juxta imaginem, et juxta similitudinem. Ex omnibus honorabilissimis Dei creaturis intelligens, ac rationale animal homo solus secundum imaginem est, et similitudinem Dei.

IX. Ac secundum imaginem quidem dicitur omnis homo juxta mentis dignitatem, et animæ, sive incomprehensibilitatem. Quidnam est illud secundum imaginem? Invisibile, immortale, et liberum, quinetiam secundum imperandi virtutem, et generandi, atque ædificandi. Quid est illud secundum similitudinem? Secundum similitudinem vero est secundum virtutis regulam, et ex Dei nomine dictas, et ex Dei imitatione operationes, id est, secundum benignam erga genus sui simile affectionem, miserationem, misericordiam, et dilectionem conservi, nec non ostensionem omnis commotionis, ac compassionis. « Nam, estote, » inquit Christus, misericordes, sicut Pater vester cœlestis » misericors est [1]. » Atque illud quidem secundum imaginem omnis homo habet : sine pœnitentia enim sunt dona Dei; secundum similitudinem vero rari, et soli virtute eximii, et sancti, quique Dei bonitatem, pro eo quod homines possunt, imitantur, cujus bonitate, quæ omnem bonitatem superat, digni efficiamur etiam nos, beneplacentes ipsi per bona opera, imitatoresque fiamus illorum, qui a sæculo Christo placuerunt, quia ipsius est misericordia, et ipsum decet omnis gloria, honor, atque adoratio cum Patre ingenito, et sancto, et bono, et vivificante Spiritu, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

X. Divisio affectionum. Quædam quidem sunt corporis,

[1] Luc. VI, 36.

quædam vero animæ. Ac corporis quidem dicimus gulositatem, fornicationem, ebrietatem, lasciviam : animæ vero odium erga proximum, invidiam, contentionem, vanam gloriam, superbiam. Hæ autem vim habent in animam nostram, absente dilectione, ac continentia : præsente enim dilectione, continentiaque, omnia hæc delentur, quædam quidem a spiritali dilectione, quædam autem a jejunio, et continentia. Tunc enim mens etiam proprium lumen recipit, videtque Deum sine ullo impedimento.

Modi Dei providentiæ.

I. Omnia a Deo sunt tum bona, tum molesta, et indigna : verum illa quidem per beneplacitum, illa vero per dispensationem, illa autem per permissionem, quando secundum virtutem dirigimur. Vult enim Deus, ut sine peccato vivamus, et cum pietate, ac virtute nostro officio fungamur. Secundum dispensationem autem, cum errantes, peccantesque corrigimur : secundum permissionem vero, cum neque a correctione convertimur. Complacuit enim Deo, ut homo salvus fiat, quemadmodum et Angeli clamabant dicentes : « Gloria in excelsis Deo et in terra pax, » in hominibus bona voluntas [1]. »

II. Per dispensationem rursus erudit nos Deus peccantes, « Ut ne cum mundo damnemur, ut ait Apostolus : dum » judicamur autem, a Domino corrigimur, ut non cum hoc » mundo damnemur [2]. » Et : « Non est malum in civitate, » quod non fecerit Dominus [3] : » hoc est, fames, pestes, morbos, et occisiones bellorum. Hæc enim omnia peccati sunt remedia. Permittit autem, atque omnino deserit eos, qui nolunt aut sine peccatis vivere, aut correpti minime

[1] Luc. II, 14. — [2] 1 Cor. XI, 31, 32. — [3] Mich. I, 12.

emendari, sed in pravitate permanere, sicut scriptum est : « Excæcavit oculos eorum Deus, et obduravit eorum cor, « Et tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ » non conveniunt [1]. » Hoc est, sivit per eorum libertatem. Et : « Indurans indurabo cor Pharaonis [2], » hoc est, permittam ut induretur propter contumaciam illius.

[1] Rom. I, 28. — [2] Exod. IV, 21.

S. P. N. EPHRÆM
SYRI.

CLASSIS XI. — DE VITIIS.

SERMO.

De operatione perversi Dæmonis.

I. Patres, et fratres audite : sæpe enim adversarius suggerit homini, dicens : « Admodum juvenis es : fruere cupiditatibus tuis. Quot enim putas etiam in mundo deliciis deditos nihilominus æternis bonis non fuisse privatos? Et tu juvenis es : ede, bibe, lætare bonis mundi hujus, et in senectute tua pœnitentiam ages : quorsum enim vis tuum corpus in hujusmodi ætate tabescere? Venit jam tandem senectus. » Affert autem dicta ex divinis Scripturis fallax; et, o homo, ait : « Suspiras, et dubitas de Dei misericordia, atque immitem eum facis? Divinæ Litteræ alta voce clamant Deum misericordem esse, atque humanum. Quis enim nescit senem te esse debilem, atque infirmum? Scit te jejunia servare non posse, neque vigiliis operam dare, neque cubare humi. Non audisti eum in Evangelio dicentem eos quoque, qui ab ineunte ætate sibi serviunt, et qui a media, et qui senes sunt, æqualem mercedem accipere? Ita enim ait in Evangelio : « Nempe et qui ad horam primam venerunt, et

qui ad tertiam, quique ad sextam, et nonam, et undecimam, parem retulisse mercedem. » Ecce etiam propheta David prædixit dicens : « Benedixit pusillis cum majoribus [1]. » Hæc verba illis dicit, qui sciunt Scripturam, ut neque in juventute, neque in senecta sinat eos lugere sua peccata. Contra simpliciores vero gladium desperationis intentans, ait : « Heus tu ! quid cogitas, cur decipis te ipsum dicens : « Deus pœnitentium est : Scortatus es, mœchatus es, prædatus es, occidisti, abstulisti, es mentitus, pejerasti : quæ salutis spes ? periisti : idcirco indulge cupiditatibus tuis; ea sunt quæ perdidisti : salutem præsentia ne amittas ? » Hæc profecto sunt diaboli verba : sed Christi sunt contraria. Periisti; verum potes salvari. Scortator fuisti ; at potes te ad bonam frugem reducere. Petro enim interroganti : « Quoties dimittam fratri » meo, qui veniam petit, » respondet Christus : « Sexagesies » septies. » Hoc autem dicendo significavit rem assiduam, atque indefinitam. At vero homo ubicumque in fine præventus fuerit, ibi judicatur cum in bono, tum in malo. Reminiscere, frater, quomodo salvi facti sunt peccatores et ne desperes.

II. Cogita beatum Manassem, meretricem, publicanum, latronem, prodigum, et fugies illecebras. Quando tibi dixerit : « Fruere cupiditatibus tuis, » dicito ei : « Et qualis tandem utilitas voluptatum sordibus oritur ? Nonne potius ignis æternus ? » Cum vero ulterius addiderit Dei humanitatem, dic ei : « Etiam ipse scio eum misericordem esse, atque benignum : sed et justus est judex, neque ignoro tibi non pepercisse, neque iis, qui tecum reprobati sunt, sed ad æternum ignem damnasse. » Quod si dixerit : « Ego corporis expers sum, et non circumdatus infirmitate : ideo mihi minime pepercit, sed tibi parcet : » ei responde : « At si Adamo protoplasto non ignovit, neque Evæ, neque Caïno, neque

[1] Psal. CXIII, 13.

iis, qui sub diluvio fuerunt, neque Sodomitis, neque ipsius Discipulo : et si proprio Discipulo veniam non dedit, quomodo mihi largietur? Procul recede a me ejecte a cœlo : » et signo crucis te ipsum signa, et fugiet a te.

III. Fratres mei, ne credamus Adversario, qui prava suadet nobis, ut nos perdat ; sed credamus esse judicium, et retributionem pro operibus, pro verbis, pro cogitationibus, pro motione, pro intentione. Hæc omnia scientes, nos ipsos muniamus, ut adversariis nihil habentibus mali, quod nobis opponant, in die tremendi judicii indulgentiam inveniamus cum timentibus Dominum, cumque omnibus his faciamus bonum : « Quia fides sine operibus mortua est[1]. » Sicut etiam opera sine fide. Fieri enim non potest, ut qui in deliciis vivit, in regnum cœlorum introeat, secundum verbalem expressionem Evangelii. « Attendite, ne forte graventur » corda vestra in crapula et ebrietate[2]. » Quamobrem singulis horis oportet nos esse paratos, ne forte vocati, imparati inveniamur ; et sancti Angeli ad nos missi, pro nobis mœrore afficiantur, cachinnentur autem dæmones mali ; ne inveniamur vocatione Christiani, moribus vero gentiles. Professio enim Christianorum, Christi est imitatio, quoad fieri potest. Etenim si fiduciam in sancto baptismo habuerimus, et reliqua mandata neglexerimus, infideles facti sumus. Christus nihil nobis proderit in malitia, nequitiaque manentibus. Audivimus enim eum dicentem in sancto » Evangelio : « Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, » intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Pa- » tris mei, qui in cœlis est[3]. »

IV. Videte quomodo placuerunt Sancti Deo, non stertentes, neque animis concidentes, sed « Lapidati sunt, secti » sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, egentes, » angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, et in montibus,

[1] Jacob. II, 20. — [2] Luc. XXI, 34. — [3] Matth. VII, 21.

»et in speluncis, et in cavernis terræ[1].» Ideo dilecti, et a Christo amati, nos etiam singuli contendamus pro viribus, ne omnino infructuosi inveniamur, et ne excipiat nos æternum supplicium. Quemadmodum igitur peccare in nobis situm est, Deo permittente, per libertatem arbitrii; eodem pacto etiam juste agere, in nostra potestate est, Deo adjuvante secundum propositum.

V. Quæramus igitur arctam viam, atque angustam; pro hanc enim conregnabimus: fugiamus vero latæ et spatiosæ viæ ingressus, quæ nobis interminabilem pœnam conciliat. De reliquo, fratres, operemur bonum ex tota mente: mortificemus cogitationes carnis, ut ne reperiamur Christi inimici. Paulus magnus Christi Apostolus hæc dixit: « Mise-»reamur, demus panem, et accipiemus cœlum; demus »obolum, et habitabimus paradisum; demus vestem, et hæ-»reditatem accipiemus regni cœlorum; demus pauca, ut re-»cipiamus multa: demus propositum, et omne perficiemus: »demus promptum animum, et vires accipiemus. » Lugeamus hic, Christo amabiles fratres, ut interminabilem flammam extinguamus: qui enim hic jocantur, illic condemnabuntur: qui hic plorant, ibi ridebunt: qui hic opprobriis afficiuntur, ibi beati erunt: qui hic esuriunt, ibi saturabuntur: qui hic sitiunt, illic explebuntur. Sobrii simus, vigilemus quantum possumus. Ne deficiamus animo, pulsantes, et obsecrantes, et omnino aperiet Christus Deus noster. Ipsum gloria decet, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hebr. XI, 37, 38.

SERMO.

De bello contra Dæmones.

I. Indesinenter Deum orare oportet, ut superiores appareamus Dæmonum insidiis. Non modo enim in quiete, ac separatim existentes nos premunt, verumetiam in domo Dei manentes in nos toto conatu insurgunt, suggeruntque marium vultus, ut impudenter, atque incaute inspiciamus, usque ad imaginem nobis describendam ipsius operis impuri, ut inquinamentum cogitationibus mentis nostræ infundant, atque hoc pacto a mysteriis Christi prohibeant. Verumtamen per oculorum custodiam, et mentis intentionem, gratia auxiliante, qui continens est, ea superat.

II. Quanta custodia nostrum ipsum cor, et sensus servandi sunt! Quam nostrum bellum magnum est, et ingens furor Adversarii contra nos! Verum non propter hoc certamen est recusandum : sed efficaces illius cogitationes non sunt reddendæ, ac sic sinamus ipsum disrumpi. Vidit etenim Dominus eum, qui premit nos, ac quantas adustiones cordibus nostris infligit. Cæterum proprium est eorum pugilum, qui bene mentem adhibent, non recusare pugnam. At vero qui cum pravis affectionibus fœdus init, quale adversus eas bellum suscipiet? Ubi enim inimicitia, ibi et bellum ; et ubi bellum, ibi et certamen ; ubi vero certamen, ibi et coronæ. Adeo ut si quis vult ab acerba liberari servitute, bellum contra hostem committat.

SERMO TETRASYLLABUS. (?)

Victi Dæmonis gemitus.

I. Vi porro victus scelestus diabolus, sedens deplorabat, et cum ejulatu dicebat : « Væ mihi infelici ! quid passus sum miser? quo pacto superatus abscessi? Hujus vero infamiæ mihi ipse sum auctor et causa, qui diu bellum cum ipsis suscepi. Victus enim ex prima et secunda incursione atque conflictu, subito me intelligere oportebat quod Christus cum ipsis adesset. At nunc mea cum Sanctis illis contentione ac pugna, mercedem eorum in meam ignominiam auxi : victus autem, cum magno dedecore ab iis recessi, meis ipse, quæ infligere volui, vulneribus in capite læsus. Nam dum laqueos ipsis necterem, quibus eos caperem atque constringerem, ipsi iis arreptis caput mihi confregerunt. Sagittas meas acutas, quas adversus eos torquebam, ipsi acceperunt, et me iis occiderunt. Ego diversis eos passionibus ac perturbationibus oppugnabam ; ipsi vero virtute atque potentia crucis me in fugam verterunt.

II. Merito igitur hæc patior insipientissimus ego, probatos eos certatores ac pugiles etiam invitus ostendens. Oportebat quippe me reprimi, et quæ a Christo patiebar, nosse, quomodo omnis mea potentia ab ipso destructa est atque sublata. Omnia enim tunc egi, ut ipse crucifigeretur, et illius mors morti me tradidit. Idem rursus in Martyribus similiter passus sum, et probro, atque infamiæ, et ludibrio cunctis sum effectus. Commovi enim reges, et paravi tormenta, ut iis visis perhorrescerent, et Christum abnegarent. At illi non solum non deterriti varietate suppliciorum atque tormentorum, verumetiam ad mortem usque Chris-

tum confessi sunt. Sic quoque nunc eos bellis superare volens, victus ab eis magna cum infamia recessi. Non possum amplius ferre opprobrium, quod sustinui : qui dum magna jactitarem, a vilibus atque abjectis hominibus fortitudo et potentia mea omnis sublata est. Quid agam deinceps, aut qua me ratione defendam, nescio. Simplices et indocti coronam victoriæ acceperunt : ego vero infelix ac miser ignominiam retuli. Obscuratus sum, et animo perculsus atque consternatus, defecitque virtus mea. Quid faciam miser, et quid agam, non cognosco. Ab his strenuis profugiens Athletis, ad amicos abibo meos, qui in suo proposito ac vitæ instituto inertes sunt atque negligentes : ubi non erit mihi labor, neque rursus machinamentis opus. Nam vincula ab eis accipiens, iismet ipsos constringam. Ligans porro eos vinculis, quibus ipsi delectantur, subditos et addictos deinceps eos habebo, veluti servos, sponte libenterque voluntatem meam semper facientes : ut saltem sic victoriam referens, parumper ad me ipsum revertar, et de eis tanquam strenuus certator ac victor, gloriabor. Et licet ipsi malo vivendi instituto in barathrum corruant; attamen ego in eorum perditione gaudeo : gaudens autem in viam perditionis eos deduco, ut socios in igne inextinguibili habeam.

SERMO HEPTASYLLABUS.

Contra dæmonis ad Deum recursus.

Cognita igitur, fratres, infirmitate ipsius, attendamus nobis ipsis, sanctos imitando Patres. Si enim viam ingressi fuerimus, per quam ipsi ambularunt, inveniemus in ea Dominum Jesum, viæ ducem, et adjutorem nobis

factum. Cum autem inimicus viderit Christum nobiscum versantem, lucem veram, prorsus non audebit in nos respicere : nam lumen, quod in nobis est, oculos ipsius perstringit. Sicut igitur ante dixi, fratres Christi amantes, studeamus purgare corda nostra, ut in nostrum auxilium gratiam Spiritus nobis conciliemus, et non amplius prævaleat adversum nos inimicus. Vires semper ei addimus stulti, quando sancta mandata aspernantes longe a Deo recedimus. Nos autem gratia nudatos, in suam ipsius viam deducit fraudulentus inimicus. Obsecro vos igitur, et rogo semper : fugiamus malum, procul ad eo recedamus. Dissolvamus quoque vincula, quibus nos libero voluntatis nostræ arbitrio ligavit. Confugiamus ad Christum, portantes suave ac leve jugum pietatis atque misericordiæ ipsius : ut in bona mandatorum Christi via ambulantes, perveniamus ad civitatem, quam Deus diligentibus se præparavit. Ipsi convenit honor, atque magnificentia, Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De passionibus animi.

I. Cupio exponere omnem meam acerbitatem, omnemque malitiam, atque insipientiam, coram gloria tua, Christe Salvator. Dicam rursus omnem tuam jucunditatem, atque dulcedinem, quam in me propter te demonstrasti, clementissime hominum amator. Ab utero matris meæ factus sum exacerbator, et contemptor gratiæ tuæ, et ad bonum tardus. Verum tu, Domine, universam meam malitiam

despexisti propter multas miserationes tuas, Fili Dei. Erigitur mihi caput, mediante gratia tua, Domine; verum quotidie propter peccata mea demittitur. Ad vitam me rursus eadem tua gratia allicit; sed ego ad mortem promptior pergo. Nam hæc pessima ignaviæ consuetudo me ad se attrahit, dum ipsi parco. Gravis sane est, et pessima passionum consuetudo. Perstringit enim tanquam indissolubilibus vinculis mentem, eademque semper optata ac desiderabilia mihi obtingunt vincula, quod sic laqueari velim. Ex consuetudine laqueis capior, illaqueatuique gaudeo. In acerbissimam profunditatem immersus, adhuc lætòr. Vincula mea quotidie inimicus renovat : cernit enim me vinculorum meorum varietate delectari. Veterator inimicus meus non me devincit vinculis, quæ ego nolim; sed semper ejusmodi mihi laqueos nectit ad vincula, cujusmodi ego magna cum voluptate complector. Novit enim meæ voluntatis propositum esse vehementius, et in ictu oculi, quæ voluerit, vincula injicit.

II. Hic ejulatus atque ploratus, et luctus; hoc probum et confusio, quod ego vinculis propriæ voluntatis constrictus detinear. Cum enim unico nomento conterere vincula possim, ac me a laqueis quibuscumque liberare, hoc facere recuso, negligentia atque socordia detentus, et passionibus tanquam consuetudini malo voluntatis proposito deserviens. Hoc gravius est, et intolerabilius, ac dedecoris luctus, quod ad inimici mei voluntatem ego concurram. Vinculis constringor, quæ mihi ipse injicit, passionibusque immorior, in quibus ipse lætatur. Cum enim vincula confringere possim, nolo : cumque laqueos evitare conceditur, non urgeo. Acerbius-ne quidquam est eo luctu ac planctu? estne aliud ullum gravius dedecus? Sic quippe affirmo non esse quid ea confusione acerbius, quando inimici placita homo explet. Cum enim sint mea mihi vincula perspecta,

ea tamen in singulas horas a cunctis spectatoribus abscondere contendo, pietatis formam præ me ferens; propriaque me arguit conscientia ista agentem, sic me compellans quotidie : « Cur te sobrium ac vigilantem non præbes miser? an ignoras advenisse et appropinquasse diem horribilis judicii, quo cuncta declarantur? surge tanquam potens, dirumpe vincula tua : in te potestas est solvendi atque ligandi. »

III. Ista licet semper mihi dicat reprehendatque conscientia, non tamen e vinculis ac laqueis liberari volo. Super hisce quotidie lugeo atque suspiro, et istis ego animi passionibus implicatus reperior. Miser ego et segnis, ac ad bonum animæ meæ non proficiens, dum laqueos mortis non pertimesco. Corpus meum pulchro religionis ac pietatis habitu amictum est; anima vero indecentibus cogitationibus ligatur atque impeditur. Coram spectatoribus studiose pietatem colo; intus autem tanquam fera immitis propemodum existo. Dulcem et suavem affecto sermonem, dum ago cum hominibus, cum interim ego proposito ac voluntate semper acerbus sim atque perversus. Et quid tandem in die judicii faciam, quando ista omnia coram tribunali manifestabit Deus? Ipse ego novi me ibi pœnas daturum, nisi hic judicem per lacrymas placavero. Et propterea miserationes in ira non concludit, quod conversionem ipse meam expectet. Non enim quemquam videre cupit in igne ardentem, cum omnes homines ad vitam ingredi desideret. Quocirca tuis confisus miserationibus, Domine Fili Dei, supplex tibi procido, rogoque, ut et in me tuos oculos convertas. Animam meam ex iniquitatum custodia educito, resplendeatque in mente mea radius lucis, antequam ad formidandum me manens judicium abeam, ubi nulla penitus reliqua est de iniquitatibus pœnitentia. Ecce enim alterutra cogitatione coarctor, ut exire e corpore,

aut non amplius peccare. Rursusque timor me miserum et impium corripit ac detinet, quo pacto me imparatum subducam, qui omni plane virtute destituor.

IV. Magnus continenter cor meum timor discruciat, manendi in carne, et migrandi ex ea, et utrum e duobus magis mihi expetendum sit ignoro. Quoniam me ipsum ad opus bonum tardum video. Atque ideo vitam in carne ducere, mihi metus est ac terror. Nam in laqueorum medio quotidie incedo, similisque sum mercatori segni atque ignavo, jacturam in horas facienti totius summæ simul et lucri. Sic et ego detrimentum bonorum patior cœlestium, variis præpeditus distractionibus, quæ me ad mala pertrahunt. Sentio quippe in me ipso, quomodo singulis horis decipiar, nolensque in rebus, quas odi, inveniar. Obstupesco in creaturæ pulchritudine perpetua, et quomodo mea mens in medio rerum venustissimarum tam sit inde indecora. Obstupesco super voluntate mea adeo prava, et quomodo etiam in tribulationibus semper diversimode peccet. Obstupesco de mea pœnitentia quotidie, quomodo firmum fundamentum non habeat ædificii : nam singulis diebus fundamentum ædificii colloco, propriisque rursus manibus laborem dissolvo.

V. Non bonum adhuc sumpsit principium mea bona pœnitentia, et nondum in me cessat pessima inertia. Ignaviæ mancipatus sum, et inimici me voluntati accommodo, promptissime quævis ipsi grata perficiens. « Quis dabit » capiti meo aquam longe inenarrabilem, et oculis meis » perpetuos fontes [1], » ut inde scaturiant lacrymæ, ploremque ad misericordem Deum semper, ut suam mittens gratiam, me peccatorem e furibundo extrahat mari fluctibus peccatorum meam animam perturbante, procellisque in singulas horas exagitante. Nam cupiditatibus meis vulnera

[1] Jer. IX, 1.

superantur, cum curationis involucra et fascias omnino non admittant. In spe pœnitentiæ mea est præstolatio : sed inanibus hisce ejus promissis deceptus, quousque deficio? Hac detentus expectatione, semper in ore pœnitentiam habeo, et nunquam ad pœnitentiam devenio. Verbis studiose pœnitentiam profiteor, verum operibus a pœnitentia absum quam longissime. Si res secundæ ad voluntatem fluunt, meæ etiam obliviscor naturæ. Sin contra a rebus premor adversis, murmurator evado. Sancti quippe Patres Deo devoti, in tribulationibus atque tentationibus probati sunt, coronamque immarcescibilem a Deo cœlesti cum gloria ac laude acceperunt, et famam nomenque ex tribulationibus consecuti, futuris generationibus pulchra imago evaserunt. Sæpius autem cum Patribus et Sanctis considero etiam castum, decorum, temperantissimumque Joseph, cœlesti pulchritudine plenum cum charitate Altissimi : quam egregiam patientiam obtinuerit in tentationibus. Non enim valuit gravissima fratrum invidia ac livor pulchritudinem animæ illius lædere; ut neque callida aspis in proprio antro florentem pueri pulchritudinem tubefacere. In florem illius temperantis continenter aspectum retorquebat, ut acerbum venenum suæ in eum insaniæ evomeret. Neque rursus carceres aut vincula decorem animæ floremque pueri Deo devoti labefactarunt. Si porro miser ego atque infelix sine ulla tentatione pecco, Dominumque exacerbo; cum expertus sim multas tuas et ineffabiles miserationes, Domine, magnitudinem misericordiæ tuæ deposcit, Domine : ut assidue fontis instar scaturiat gratia tua in corde et ore mei ipsius famuli tui, sitque cor meum ac os divinæ gratiæ purum et immaculatum templum, quod cœlestem Regem excipiat, ut ne sit tanquam latibulum improbarum cogitationum, et spelunca iniquorum latronum pravis desideriis. Sed digitus gratiæ semper

moveat linguam meam, tanquam nervos citharæ ad gloriam tuam, benignissime, ut sine ulla intermissione glorificem te ac benedicam cum amore et desiderio, corde ac ore, per universum tempus vitæ meæ. Qui enim in te collaudando piger est ac segnis, Domine, is ipse a futura vita alienus est.

VI. Concede mihi, Christe Salvator, petitionem cordis mei, fiatque lingua mea velut cithara gratiæ, ut hinc testamentum exprimere queam ex multis scripturis, quamvis pauca sint delicta : ibique iterum salvari merear sub tegmine atque protectione manuum tuarum; quando contremiscet omnis anima ex tremenda gloria tua. Etiam, Domine, Fili unigenite, exaudi ac suscipe tanquam donum aliquod, preces servi tui. Peccator ego sum, gratia salvatus. Gloria illum decet, qui peccatorem in miserationibus salvat.

SERMO. (4)

De morum perversitate.

I. Quemadmodum gladius nervos incidit equo, et equitem dejicit : ita versuta ac perversa mens vigorem animæ succidit, et tristitiam affert; tristitia vero sibi obvios destruit ac premit. Quis enim cupidus adeundi civitatem triginta stadiis distantem, et ubi vigenti novem confecerit, uno adhuc restante et non confecto, dicet se eo pervenisse? Hic quippe ex propriis exiit, et ad civitatem, quo pergebat, non pervenit. Nam sicut qui ad undecimam horam venit, plenam mercedem accepit; velut etiam cæteri, qui pondus diei portarunt : ita et qui ad undecimam usque horam operatus est. Circa porro undecimam horam, si incœperit ever-

tere, et quæ plantata sunt evellere, mercedem nullam percipiet. Cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic sal- » vus erit [1]. » Et iterum : « Nemo mittens manum suam ad » aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei [2]. » Nam uxor Lot, quod retro respexerit, in statuam salis versa est.

II. Quare etiam Apostolus, eorum quidem quæ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, se ipsum extendens, ad destinatum persequebatur. Et tu ergo charissime, sustine, ac persevera. Nam mundus iste transit, et concupiscentia ejus : qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Peregrini enim sumus, et advenæ in hoc sæculo. Si autem, dum tempus habuerimus, in illo grata et accepta Domino operati fuerimus, mercedem referemus. Patientiam igitur posside, frater dilecte. Nam scriptum est : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [3]. » Enoch ducentis annis placuit Deo, postquam ipse genuit Mathusalem: et nos in brevi hoc vitæ tempore negligentes sumus? Resiste, charissime, cogitationibus noxiis : et dic cum eo, qui ait ac clamat : « Christo confixus sum cruci : vivo au- » tem, jam non ego, vivit vero in me Christus [4]. » Quid » enim proderit homini, si mundum lucretur universum, » animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit » homo commutationem pro anima sua [5]? Declinate a me » maligni, et scrutabor mandata Dei mei [6]. » Ecclesiaste quoque proclamante : « Vanitas vanitatum, et omnia vani- » tas [7]. »

III. Post tantam opulentiam ac gloriam, non amplius vanitati labores meos offeram, ne eas alii post meum hinc exitum possideant, et ego interim pœnas pendam : verum

[1] Matth. x, 22, et xxiv, 13. — [2] Luc. ix, 62. — [3] Id. xxi, 19. — [4] Galat. ii, 19. — [5] Matth. xvi. — [6] Psal. cxviii, 115. — [7] Eccl. i, 2.

optimo et misericordissimo Deo labores meos offeram, præbenti post mortem vitam æternam, et paranti diligentibus ipsum, « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque » in cor hominis ascenderunt[1]. » Etiam charissime, « Viriliter » age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum[2], » eritque in pace exitus tuus. Ibi Justos gaudentes videbis ob salutem tuam. Ibi, in sinu Abrahæ, cum Lazaro demoraberis : paupertatem enim et inopiam elegisti, tribulationem et angustiam sustinuisti, contumelias passus es, contemptiones non es aversatus. Propterea cum lætitia in æterna tabernacula suscipient te, ubi exulat luctus atque tristitia, ac gemitus. Ibi vitam cernes et lucem veram, ac spem omnis creaturæ Redemptorem animarum nostrarum Jesum Christum regem gloriæ, et gaudebit cor tuum, et gaudium tuum nemo tollet a te. Ipse porro Dominus et Deus, irreprehensibiles nos tueatur atque custodiat. Quoniam ipsum decet gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO. (7)

De pravis animi affectionibus compescendis.

I. Quoniam plerosque hominum naturalis cupiditas ad creatarum rerum amorem impellit, inspiciendum modo breviter est quid optimum factu sit, creaturas, an Creatorem possidere. Nihil est quod dubitemus omnia ab eo possideri, qui Creatorem possidet; secus enim licet cætera alia teneat, nihil ipsa sibi prosunt, dum seipsum perdit. Omnia possidet, qui totus apud se est.

II. Nullus est princeps, cui placeat subditum a sua ditione desciscere : subditos, si quos habemus, dum minus

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Psal. XXVI, 14.

recte se gerunt, corrigimus; oportet ergo ut et nos ipsos de nostris erroribus corrigamus. Quod si frena equis injicimus, si jumenta baculo instigamus, multo magis laborandum nobis est, ut rapidos animi impetus reprimamus. Id tunc potissimum agere debemus, cum ii divinæ voluntati sese objiciunt, nosque a summi Regis clientela abducunt: eo pacto, quo jumenta plectimus, cum insolenter calcitrant. Nam si cupiditati in ipso furoris æstu parcimus, frustra domesticæ reformationis laborem suscipimus.

III. Locus intra Oceanum nullus est, quo non nautarum cura pervaserit; nullus mons, cujus non dorsum venatores compresserint; nullum tam exile terræ spatium, quod non aratris agricolæ perstrinxerint; nulla tam tetra tamque immanis bellua, quam non hominum industria perdomuerit. Solus Deus, qui cuncta imperio subjecit nostro, nos mansuefacere non posse videtur. Proh quam turpe est nos Deo reluctari, qui creata hæc omnia nobis amantissima condidit!

IV. Nunc, quæso, diligenter expendamus, utrum plus valeat incolumem servare animam, an creaturis præesse. Age fingamus universas terræ plagas in potestatem concessisse nostra. Quid? Aliquid-ne profecimus, si animus in sua contumacia firmissimus correctionem fugiat, nec de vitæ emendatione cogitet? Asserendum potius est nos plurimum perdidisse.

V. Homines videmus ad feras edomandas peculiariter intentos esse, id sibi propositum habentes, ut ingenita earum asperitas humanis moribus assuescat. Si ergo hominibus tantopere curæ est mutorum animalium moderatio, cuinam in mentem cadat Deum non esse de animarum correctione ac possessione sollicitum? Porro sicuti homo animalia, ita Deus animas moderatur. Hinc nos creatarum rerum possessores illius gratia sumus, qui nos

perfectissime possidet. Qua de re ex iis, quæ subjecta nobis sunt, emolumentum trahere curemus. Si jumentis tam prodest baculus, consideremus num æque divina nobis prosit virga.

VI. Iniquum profecto est hominem animalia coërcere, cervicosam vero mentem nullatenus flectere, et quod sane stupore dignum est ira excandescere, si eadem ratione omnino carentia ipsius voci minus exacte pareant, dum ille interim proprias loquenti Deo aures obstruit. Feras mansuetudinem edocet, quas probe edoctas, phaleris eleganter ornat; ipse tamen in sua ruditate, atque ignominia durissime obfirmatur.

VII. Jamvero visis, quæ hominem dedecent, restat ut quæ ipsi valde conveniunt, in antecessum delibemus. Is magnus habendus est et sapiens, qui suum abstinentia jejuniisque premit corpus, ut exercitationi ac disciplinæ aptum reddat, animam vero assidua sacrorum Codicum lectione pascit, ut eadem, quibusdam veluti stimulis, ad pœnitentiam excitetur. Næ is pulcher corpore animoque erit, qui duplici hac purgatione emundatur, quam quo frequentius adhibebit, eo major erit suæ pulchritudinis excellentia.

VIII. Corporis exercitatio plurimum confert ad valetudinem sustentandam, et ad tollendam desidiam. Animum quoque alacriorem promptioremque reddit ad parce, sobrie, et continenter vivendum, et ad voluptates proculcandas. Hæc enim sunt, quæ Deum, cujus est omne datum optimum, incredibiliter delectant. Orandum igitur est, ut divina nos correctio ita vehementer moveat erudiatque, ut omnes in posterum offensiones declinemus. Hæc, quæ cæteroquin humanæ superbiæ invisa prorsus est, correctio, amoris indicium est manifestissimum. Parentes etenim quos diligunt, corripiunt filios; eamque, qua flagrant, cha-

ritatem sub externa quadam furoris specie eisdem exhibere gaudent. At licet color, vultusque superficies odium præ se ferat, pectus tamen miro charitatis ardore effervescit. Interior eorum pietas exteriori severitate circumvestita prodit.

IX. Depicta paterni amoris effigies supremum Conditorem optime repræsentat, qui interius clementia superabundans, exterius terrore amictus apparet. Ejus ira in peccatores æstuat, quam tamen lenitatis ac misericordiæ suavitas moderatur. Dum interdum irascitur, nihil à mente recedit; dum minis territat, plena fruitur serenitate; dum turbari videtur, interiori perturbationis motu vacat; patens ipsius mœror, eadem est, qua in se gestit, lætitia.

X. Furor ille, quo divinam Majestatem inflammari quandoque videmus, ad divini cordis affectiones non transit; Deus siquidem simplex est, purissimus, sibique perfectissime constans; « Nulla propterea est apud ipsum » transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio [1]. » Quare cum Deum exardescere, concitari, leniri, aliaque his similia audieris, ne eo sensu accipias, quasi proprias ipse inclinationes præcedenti violentia aliqua sibimet illata compescat, aut superet; sed certo tene, simplicitatem, quietem, imperturbabilitatem, constantiam proprias esse divinæ illius naturæ proprietates.

XI. Fervet succensetque, quin rapido ullo feratur motu, cum sit ipsa tranquillitas. Id autem efficit, ut nos, qui sensibilibus duntaxat signis ducimur, pœnarum metu concussi torpedinem excutiamus, ut libertas roboretur nostra, ne servituti obnoxia fiat. Decet igitur eum, qui nos corrigendos sumit, seposita « Hilaritate, quæ ad rem minime » facit, » severitatem proferre. Quis nunc vindicis Dei vir-

[1] Jacob. I, 17.

gam dulcem esse in ipsa sua asperitate non fateatur? Perculit, ut sanet; parcit, ut progressum augeat. Languidum excitat, vigilantem roborat.

XII. Quia nos impensius adamat, grata præbet charitatis remedia. Nos recreat, et plectit, relevat, et exsecat, ut pravis cupiditatibus obsistamus. Equidem, fratres charissimi, quantum labore, auctoritate, consilio eniti atque efficere potero, nihil prætermittam, quod ad salutem felicitatemque vestram pertinere arbitrabor. Quare dum pravis vos affectionibus teneri sentiam, id unum enixe a vobis contendam, ut memores divinæ erga homines benevolentiæ illum appetatis, qui solus vestris est affectionibus dignus; et quæ saluti vestræ officere possunt desideria, tanquam pestem funestissimam propulsetis.

SERMO.

Ad correctionem eorum, qui vitiose vivunt, et honores appetunt.

I. Angor, fratres mei, et horreo ac contremisco doloreque conficior, dum illud Prophetæ animo revolvo: « Vi» dete contemptores, et admiramini, et disperdimini [1]; Ac primum quidem maxime ob meam imprudentiam atque ignorantiam; cum omnem iniquitatis viam sim ingressus, omnique genere peccati singula membra mea constricta teneat inimicus. Debuissem sane me ipsum affligere atque deplangere propter turpitudinem, in qua versor, ac deinceps aliorum curam gerere. Debuissem prius trabem meam evellere, et sic aliorum festucas cernere [2]. Verum qui tem-

[1] Habac. I, 5, et Act. XIII, 41. — [2] Matth. VII, 5, et Luc. VI, 42.

poribus nostris dominatur contemptus, vehementi me dolore obruit atque demergit. Aspicio enim præsentis disciplinæ negligentiam, et ferre nequeo, secundum illud Prophetæ effatum : « Vidi prævaricantes et tabescebam[1]. » Quæ enim nobis instrumenta non intentavit inimicus? aut quibus fraudibus ac dolis nos vincere et occupare non est conatus? Hei mihi, quis impendentia nobis mala non deploret? Verum iis quæ dicuntur attendite, obsecro, qui hanc vitæ rationem delegistis, et pertimescite. Cum enim angelicum feramus habitum, una cum diabolo militiam gerimus. Habitus quidem est angelicus, at vita mundana. Numquid inter Angelos in cœlis contentiones vigent et æmulationes, sicut nunc inter monachos videmus? Radices quippe egit inter eos æmulatio, et invidia, atque obtrectatio. Diversimode sua singulis nobis miscuit venena hostis callidus, et arte doloque unumquemque nostrum supplantare studet. Et hic quidem jejunium recte observat : verum zelo et invidia vincitur. Alius rursus a fœda atque absurda se concupiscentia continet; sed vana constrictus est gloria. Alius diligenter vigilias colit; sed detractionis malo irretitus est. Alius a murmuratione alienus est; verum inobedientia ac contradictione plenus. Alius a cibis temperat; verum inani jactantia et arrogantia demersus est. Alius in oratione perseverat; sed indignatione atque iracundia superatur. Alius paululum in recte agendo proficit; sed adversus negligentiores extollitur. Alios alio modo malitia ligatos tenet; et non est qui intelligat.

II. Propterea rixæ atque dissensiones sunt inter monachos. Hi mihi! quis non suspiret? quis non lugeat? Quo pacto hoc angelicum institutum confudimus? Reliquimus enim mundum; et quæ mundi sunt sapimus. Possessiones rejecimus; et a contentionibus non cessamus. Reliquimus

[1] Psal. CXVIII, 158.

domos; et earum cura atque sollicitudine quotidie absumimur. Non adsunt opes, sed non abest superbia. Nuptias sprevimus, et ab inani cupiditate non recedimus. Exterius humilitatem simulamus, et animo honores appetimus. Videmur quidem paupertatis amatores, et habendi cupiditate detinemur. Ore quidem ac verbo paupertatem colimus; mente autem avaritiæ morbo laboramus. Quis igitur nostram conditionem ac institutum non doleat? Licet quippe monachorum, juniorum præsertim ac novitiorum, intueri et admirari studia. Nondum enim vel verbo, sæculo abrenuntiarunt, et jam fastu atque superbia tument. Nondum assecuti sunt habitum, et jam suam arrogantiam ostendunt. Nondum institutiones audierunt, et jam alios admonent. Nondum vestibula viderunt, et jam penetralia comminiscuntur. Nondum primum ascenderunt gradum, et jam super nubes volitare contendunt. Nondum asceticum institutum degustarunt, et jam vana instructi sunt gloria. Nondum primam disciplinæ vocem auribus perceperunt, et jam alios objurgant. Nondum in fratrum sodalitium aggregati sunt, et jam sibi auctoritatem usurpant. Nondum portas monasterii ingressi sunt, et jam alios reprehendunt, condemnant, molestant.

III. Sed quid in his tempus consumo? Varia enim eorum sunt studia. Non est igitur qui intelligat: non est qui propter Deum mundo renuntiet, ut per obedientiam seipsum fratribus servum exhibeat. Verum si increpetur, justius arbitratur imperatis contradicere. Si quid jubeatur, seipsum excusat. Quæ sunt bona, non æmulatur; quæ autem inutilia, iis sese accommodat. Vix a tribus diebus sæculo abrenuntiavit, et cum eo, qui in habitu consenuit, contendit. Nec vult cuiquam subjici, sed technas et imposturas sibi excogitat; corporisque laborem ac æstum non ferentes, alius alium contuetur. Obedientiæ jugum subiit,

et aliis vult imperare, alios increpare, in alios indignari. « Fac istud, frater : Non faciam, inquit, nisi et ille mecum venerit. » Ille divinarum Scripturarum vacat meditationi, et ego eidem vacare debeo. Sæpe, qui ante renuntiationem domi suæ opifex fuerat, ignorabatque prius quæ ipsius esset dextera, quæve sinistra, in monasterio litterarum studiosus, et interpres, doctorque incedit. Frater ille, inquit, quiescit; et me quiescere oportet. Frater ille ornatus est; quare non ego? Frater ille patrum consuetudine fruitur; cur non fruar ego? Frater honorem assecutus est; et quare non ego? Illi auctoritas commissa est : nonne et ego dignus sum, cui hoc atque illud credatur et committatur?

IV. Hæc sunt præclara juniorum facta : hæ novitiorum submissiones, hi labores. Hæc studia atque certamina, quibus se ad cœlestis regni hæreditatem perventuros sperant, non considerantes, quod ista animæ perniciem concilient, quodque se Deo inimicos reddant. Unde liquido constat nos ne ad exiguum quidem tempus externo vitæ instituto, sæculo, inquam, renuntiasse. Specie quidem et apparentia mundo renuntiavimus; revera autem quæ mundi sunt curamus, nec habemus quo nos excusemus. Habitu monachi sumus, sed moribus crudeles quidem et inhumani; habitu humiles, et moribus pestiferi ac scelerati; habitu religiosi, et moribus homicidæ; habitu amici, et moribus inimici; habitu gratiosi, moribus odiosi; habitu ascetæ, moribus ignavi athletæ; habitu jejunatores, moribus piratæ atque prædones; habitu pudici, corde adulteri; habitu tranquilli et quieti, moribus vagabundi; habitu mites, moribus arrogantes; habitu consolatores, moribus contumeliosi; habitu consiliarii, moribus obtrectatores; habitu simplices, moribus difficiles et perniciosi; habitu ab invidia alieni, moribus invidi; habitu defensores ac susceptores, moribus proditores. Et unde, quæso, accidit nos tales

esse, nisi inde, quod veram humilitatem non habeamus? nisi quod præ oculis timorem Dei non constituamus? quodque salutare Dei præceptum despiciamus, ac pro nostro illud arbitrio detorqueamus, et pro nugis existimemus? « Verbo quippe Domini cœli firmati sunt [1]; » et nos ipsum ne ut fratrem quidem suscipimus. Os illud terribile, et incomprehensibile, ac formidandum locutum est : « Qui vult, » inquiens, inter vos major fieri, sit omnium novissimus, et » omnium minister [2]. » At nos cum nondum vel a limine religiosum institutum salutaverimus, insolescimus, et unus adversus alium extollimur, invicemque insultamus, et cuncti apud nos ipsos prudentes sumus, cuncti volumus esse cum potestate, cuncti cum imperio : cuncti reprehendere, cuncti leges condere, cuncti de litteris disserere, cuncti interpretari, cuncti esse magistri, cuncti præceptores, cuncti curatores, cuncti œconomi, cuncti primi, cuncti secundi. Numquid ne Apostolus quidem vobis persuadeat : « Si to- » tum, inquiens, corpus auditus, ubi odoratus [3]? »

V. Si igitur omnes primi, si omnes duces, si omnes præceptores, ubi reliqua dispositionis Dei differentia? nec tamen fidem habebitis dicenti : « Nemo sibi assumit hono- » rem, nisi vocatus a Deo [4]? » Ac rursus : « Nolite plures » magistri fieri [5]. » Propterea principatus ac potestates constituit Deus. Nam si in cœlis etiam ubi omnes incorrupti et immortales, cum ministratorii sint spiritus, noluit Deus unicum cunctorum esse ordinem, sed in divinis etiam atque immortalibus ministris Principatus constituit, et Potestates, et Dominationes, nemoque præscriptum sibi ordinem excedit, cum omnia debito ibi modo et ordine disposita sint, cur nos injustis ad invicem contentionibus exercemur? Angeli, et Archangeli imperata sibi non transgrediuntur : at

[1] Psal. xxxii, 6. — [2] Matth. xx, 26, et Marc. ix, 34. — [3] I Cor. xii, 17. — [4] Hebr. v, 4. — [5] Jacob. iii, 1.

nos invicem collidimur, unusque adversus alterum insurgimus, ac alius alium præcedere studet, aliosque vilipendimus et deprimimus, quasi aliquid amplius efficere valeamus. O mentis cæcitatem! Nonne creditis dicenti: « Unusquisque » in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat [1]? » Cur saltem non timetis eum, qui ait: « Quibus multum datum » est, multum exigetur ab iis [2]; » ut sic saltem humilitatem sibi comparent?

VI. Non sic, fratres, vitam nostram in confusione transigamus. Ne sic absque omni timore vivamus, quasi judicium illud tremendum non audituri. Non sic vitam nostram traducamus, tanquam de singulis actibus nostris cum increpatione ac severitate rationem non reddituri. Non sic, obsecro vos. Ne exteris offendiculo simus, ac scandalo, neve peccata peccatis accumulemus. Ne præclarus per nos habitus blasphemetur ac vituperetur, sed potius commendetur. Veniet enim, veniet, et non tardabit formidanda illa hora, qua interrogati atque examinati non inveniemus excusationem. Quid enim ipsi respondere tunc poterimus? Quid potuit nobis ipse facere et non fecit? An quod ipsum Deum Verbum in forma servi humilem non aspeximus [3], ut et nos humiliari discamus? An quod incomprehensibilem ejus faciem consputatam non vidimus [4], ut nos itidem contumeliis et injuriis affecti non exasperemur [5], et contra ferociamus? An quod sanctum ejus dorsum flagellis cæsum non vidimus, ut nos quoque per omnia nostris præfectis obediamus? An quod faciem ejus respicientem in terram et facientem eam tremere non vidimus alapis contusam, ne et nos in contemptum adducti sæviamus? Nonne eum loquentem audivimus: « Ego a me ipso facio nihil [6]; » ne scilicet audaces simus, arrogantes, nostrique arbitrii ac

[1] I Cor. vii, 20. — [2] Luc. xii, 48. — [3] Philip. ii, 7. — [4] Matth. xxvi, 67. — [5] Marc. xiv, et Luc. xxii. — [6] Joan. viii, 28.

juris. Nonne et dicentem audivimus : « Ego autem non » repugno, nec contradico [1] ; » ne inobedientes nos præbeamus ac contumaces? Nonne sic nos commonentem audivimus : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde [2] : » ut nos item mites simus atque humiles, non autem invicem invidentes, non invicem nos mordentes, et devorantes [3]? Sed quam ipsi excusationem afferre poterimus? Ne, quæso, fratres mei, ne sic nos carnis perturbationibus patiamur superari, ut per eas jacturam felicitatis æternæ faciamus. Ne propter caducum honorem ac momentaneam gloriam amittamus æternam. Ne propter contentiones, et æmulationes, atque invidiam horribilis condemnemur gehennæ.

VII. Si omnino salvari cupis, cur proximum negligis? Semel te jugo submisisti, cur illud jam excutis? Qua tandem ratione obedientiæ fructus existet? Neque dignitate, mihi crede, charissime, neque honore, neque magnificentia, neque quod primus aut secundus dicaris, aut præfectus appelleris, neque quod gloria ac fama sis celebris, aut in ullo honoris dignitatisve gradu constitutus; concedetur ut in regnum cœlorum ingrediaris, aut remissionem peccatorum consequaris. Isthæc omnia non a suppliciis te liberant, sed potius condemnant, nisi humilitas affuerit, et obedientia, et charitas, et patientia, atque longanimitas. Hæc sunt quæ salvant hominem : aliter enim neque probari, neque salvari quis potest, nisi in cunctis imitetur Dominum. Nonne dicentem audistis : « Non veni ministrari, » sed ministrare [4]? » Ac rursus : « Non veni, ut faciam vo- » luntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris [5]. » Rursusque alibi : « Qui se humiliat, exaltabitur; et qui se » exaltat, humiliabitur [6]. » Nonne audistis ipsum dicentem :

[1] Isaï. L, 5. — [2] Matth. XI, 29. — [3] Galat. V, 16. — [4] Matth. XX, 18. — [5] Joan. VI, 38, 39. — [6] Matth. XXIII, 12, et Luc. XIV, 18.

«Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum »cœlorum[1]?» Nonne audistis illud: «Sedens adversus fra»trem tuum loquebaris[2]?» et qua ratione denuntiet fore, ut eum arguat in faciem? Nonne et illud audistis: «Qui »odit fratrem suum, in tenebris est[3]?» non audistis diabolum propter suam superbiam e cœlo excidisse[4]? Non audistis quomodo ob rebellionem adversus Deum, a qua et quanta deturbatus sit gloria? Non audistis quomodo propter unicum convicium Maria soror Moysis correpta sit lepra[5]? Cur igitur ad tot tantaque exempla nos, aspidum instar, aures non dico corporis, sed cordis nostri obturamus? Hæc certe audiunt quidam, at illorum memoriam non conservant. Cur non credimus dicenti: «Qui manet »in charitate, in Deo manet[6]?»

VIII. Obsecro igitur vos, o grex Christi electe: vigilemus, dum tempus habemus. Temperanter vivamus, quoad remissionis tempus durat: ne forte subito veniat hora illa tremenda atque luctuosa, et fleamus amare, frustra de nostra dementia pœnitentiam agentes. Vigilemus, ne in maximam illam incurramus ignominiam coram Deo, et Angelis, atque hominibus. A contentionibus desinamus: et vos imprimis, quibus adhuc juvenilis viget ætas, humilitatem pro viribus amplectamini, ut intelligere possitis quanta patrum nostrorum temporibus extiterit remissio atque indulgentia; quantaque apud eos perfectio, quanta diligentia, quanta humilitas, quanta frugalitas, quanta denique rerum humanarum contemptio atque despicientia. At nunc magnum adest bellum. Nolite ergo negligere; neque existimetis ad perfectionem vos pervenisse. Multis ad salutem consequendam opus est laboribus, multisque certaminibus. Non putetis in cingulo ac veste longa consistere

[1] Matth. v, 3. — [2] Psal. XLIX, 20. — [3] 1 Joan. II, 11. — [4] Isaï. XIV, 12. — [5] Num. XII, 10. — [6] 1 Joan. IV, 16.

perfectionem monachi : aut in eo salutem positam, quod mundas ac nitidas quis manus habeat, aut quod bene disertus sit, quodque Scripturas interpretetur, aut quod capite incedat abraso, comamve nutriat : cum non habeat proportione respondentes congruentesque virtutes. Hæc autem, non ut deprimam habitum, eique detraham, dico : quod absit : sed ut habitui mores et opera congruere debere demonstrem. Nam habitus absque operibus nihil est.

IX. Nolite ergo vos otio desidiæque tradere, cum magno sit opus labore, ut juventus corporisque impetus coërceantur. Etsi autem ex dictis meis molestiam sentiatis; ego tamen istud haud ægre fero. Malo enim cauteriis vos uti, quam ut putredinem relinquatis. Neque vero putandum, quia morbos vestros occultatis, idcirco eos Deum latere. Dico enim vobis, quæ a vobis occulte fiunt, mihi describere turpe esse. Nam si ea describere voluero, non persistetis, sed aufugietis. Quapropter vos hortor et obsecro, ut humilitatem, obedientiam, charitatem, frugalitatem, et mortificationem atque abnegationem colatis. Per hæc alii aliis subeste, et obtemperate per arma jejunii, orationis, et vigiliarum. Ne in contentionibus fortes sitis, et in psalmodia imbecilles. Nolite in cogitationibus esse vigiles, et ferarum instar contueri invicem; in precationibus autem dormitare, oculosque claudere. Ne sitis in otiosis sermonibus valentes tanquam tauri, et in laudando ac glorificando Deo debiles velut vulpes. Ne in verborum contentionibus sitis invicti; et in rebus spiritualibus oscitabundi. Ne in jocis ac lusibus sitis hilares; cum vero admonemini, tristem vultum præferentes. Ne in ventre curando per diem sani; at in nocturna oratione ægri ac segnes. Ne in conversationibus atque colloquiis temerarii et audaces, et in operibus dissoluti. Ne ad jubendum prompti, et ad parendum negligentes. Ne in præcipiendo læti, et in obediendo mœsti. Ne in

mandando austeri atque severi; et in obtemperando queruli ac murmuratores. Ne manicas usque ad digitos; linguam vero usque ad pectus. Ne ad mensam agiles ac prompti; in opere autem ignavi atque enervati. Ne ad edacitatem valentes, et ad jejunium impotentes. Ne ad vini potationem læti, et in aqua bibenda mœsti ac tristes. Ne ad circumspiciendum experrecti; et ad discernendum quid bonum sit, tenebris circumfusi. Ne coram mulieribus graves atque honesti, et cum fratribus asperi ac feri.

X. Sed obsecro vos, filii Dei dilectissimi, ut bonorum zelum suscipiatis, et quidquid ad honestatem, ad ædificationem, et ad bonam famam pertinuerit, amplectamini : ante omnia autem humilitatem, charitatem, benignitatem, mansuetudinem, et æquitatem : et inutilibus rejectis contentionibus, vobis mutuo cedite. In jejuniis et orationibus impigri estote et alacres, ut carnis vitia superare possitis; ne propter inanes passiones, tantorum bonorum jacturam faciamus : neve momentanea ista sectantes, immortalem gloriam perdamus. Demus, quæso, operam, dum adhuc in carne sumus, ut quæ grata et accepta sunt Domino, perficiamus. Contendamus et festinemus; magna imminet tempestas; ne simus negligentes. Non est nobis cum hominibus, quos videmus, colluctatio, ut perspecti propulsari et arceri per nos queant. Invisibiles sunt qui nos oppugnant : et propterea magnum negligentioribus adest periculum; sicut contra ingens vincentibus fiet mercedis retributio.

XI. Cogitemus igitur, quomodo inimicum vincere, ipsique resistere valeamus. Si enim, exempli gratia, ad ventris gulæque insaniam nos provocaverit, jejunio cum illo pugnemus. Si ad mulieris nos concupiscentiam titillaverit, patientiæ remedio adhibito sensum coërceamus, et e vestigio profugiet. Si ad iracundiam nos incitaverit, pace armemur. Si furore excandescere nos fecerit, mansuetudinem

assumamus. Si ad odium nos impulerit, charitatem complectamur. Si ad honorem provocaverit, nostri ipsorum despicientiam adhibeamus. Si ad gloriam, vilitatem et abjectionem objiciamus. Si ad superbiam instiget, Domini humilitatem contemplemur. Si ad æmulationem erga proximum irritaverit, Caïni lapsum animo revolvamus. Si ad invidiam, Esaü perditionem cogitemus. Si ad detractionem nos impulerit, silentio os nostrum obstruamus. Si ergo hisce modis ipsi restiterimus, a nobis profugiet, et consistere nequibit. Redibit autem ad nos gratia.

Credite, fratres mei, me omnium eorum, a quibus ut abstineretis, vos cohortatus sum, reum esse. Sed quamvis vos puri sitis, ego autem cœno peccatorum deturpatus, vos tamen rogo, ut bona vestra pœnitentia me quoque liberare studeatis. Credite me nihil observasse eorum, de quibus hactenus locutus sum. Verum vos factis meos decorate sermones. Confido enim fore, ut vos immaculati inveniamini: ego vero super iis damnabor, quæ dico et non facio. Salutem ergo nostram ne negligamus, neque quasi in proverbiis hæc dicta censeamus. Nihil enim a Scriptura alienum falsumve protulimus. Faxit Deus, ut vos omnes semen verbi suscipientes, instar bonæ terræ, fructum afferatis, alii trigesimum, alii sexagesimum, alii vero centesimum, ut virtutibus exornati, gaudium afferatis Domino nostro Jesu Christo, ipseque vos lætos efficiat in requie regni sui in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De his, quæ hæc vita continet.

I. Cogitemus, fratres, quod nihil nobis in die defensionis nostræ proderunt fines mundi et ne ob res nihili ac corruptibiles detrimentum patiamur beatarum illarum deliciarum paradisi, æternorumque bonorum, quæ humano ore recenseri nequeunt, in quæ Angeli prospicere desiderant. « Quid profuerit, si homo universum mundum lucre» tur [1], » ab ortu usque ad occasum, et ab aquilone usque ad mare, et cunctas res, quæ in eo sunt, possessiones et delicias, « Animæ vero suæ detrimentum patiatur [2]? » Num ipsum ibi illa defendent? Atque ideo sapiens dixit Salomon : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas [3]. » Quid porro letifera, et vana hæc vita in se continet? Quandoquidem studium omne, certamina, atque sudores istorum causa adhibentur, et mens humana suis ipsa vinculis constringitur. De futuris autem bonis verbum nullum, studium nullum : de rebus vero corruptibilibus ac momentaneis, et studium, et cursus, et pugnæ, et inimicitiæ, atque conatus; quin et frequens ob res nullius momenti, sanguinis profusio sequitur, licet post pusillum homo destituatur iisdem.

II. Excedit e vita nudus, et miserabilis, neque ea, quæ hic sunt sibi lucrifaciens, neque æterna illa bona assequens. O vanitatem cursus hujus mundi! O letiferam hanc vitam nostram! Quomodo hominem illudit? Quamobrem cogita, o homo, quid præsens hæc vita in se habeat. Habet fœtorem, tribulationem, laborem, dolorem, cur-

[1] Matth. XVI, 26. — [2] Ibid. — [3] Eccl. I, 2.

sum continuum, injustitiam, avaritiam, mendacium, furta, veneficia, invidiam, deprædationes, naufragia, viduitatem, orbitatem, sterilitatem, convicia, malitias, calumnias, improperia, damna, rapinas, angores, bella, odium, invidiam, homicidia, senium, ac morbos, peccatum, et mortem. Audisti quæ præsens hæc nostra vita in se contineat? Quocirca non amplius ipsam appetas, ipsam, inquam, quæ hominem in errores impellit, illudit, et decipit, quæque multos subsannat et excæcat. O astutum consilium maligni spiritus et principis mundi hujus! Quomodo cunctos ad momentanea, et corruptibilia hæc pertrahit in oblivionem interim æternorum bonorum homines inducens: et non est qui intelligat.

SERMO.

Prætereuntis hujusce sæculi deliciæ a perpetua beatitate animos avocant.

I. Deus optime, cujus infinita bonitas summis mortales beneficiis complectitur; cujus munificentia gratis omnibus consulit; cujus clementia supplicibus sponte occurrit; cujus comitas nulli gratiam denegat; cujus denique pietas tam gratam humanis languoribus medicinam affert, ut vitiosas potius sanet partes, quam exsecet, vide, quæso, quo nos levitas stultitiaque rapuit nostra: præsentis sæculi dominationi cervices supposuimus: otium, deliciæ, oblectamenta nobis imperiose præsunt, et immoderatum nostri studium nos vel invitos pro libito circumducit. Prava consuetudine attracti in mala scientes ruimus: cuncta in miserias insultant nostras; et dum voluntas firmo amicitiæ

fœdere cum corpore consentit, ambo ad interitum concitatissime gradiuntur.

II. Nihil hic perpetuum adesse, et omnes res istas creatas in confusionem veterem demergendas esse nemo sanæ mentis inficiari audet. Quod tamen communi sapientum testimonio reprobatur, id nobis solus Dæmon suadere nititur. Fallax iste hominum adversarius fugacia mundi commoda tam vivis spirantibusque coloribus depingit, ut non qualia sunt videamus, sed qualia ab ipso venditantur. Nos interim blanda eorumdem specie deliniti, puerorumque instar elusi, æternam beatitudinem nauseamus, et umbratili contenti solatio immarcescibilem gloriæ coronidem amittimus. Latum ille spatiosumque unicuique monstrat callem, quem plurimis identidem offendiculis obserit, nobisque tandiu insidiatur, donec laqueis undique circumplicemur. Si forte in aliquem incidat, quem superare vi nequeat, tunc ad artes confugit, eumque voluptatis illecebris felicissime expugnat. Illecebrarum vi permulti sanctitate celebres viri non semel cesserunt. Testem habeo sanctissimum regem Davidem, qui voluptate pertentatus misere concidit [1]. Testem habeo inclytum Moysem, cujus lingua corrupta est. Qua de re illi, qui Dæmonis jugum subeunt, intolerandis oneribus opprimuntur.

III. Justis, qui ipsius imperium execrantur, levem primo imponit sarcinam, ut sensim graviori assuescant, donec et ipsi communem cum aliis molem perferant, qua ad collum suspensa in mare projiciantur cum iis, qui puerorum innocentiam scandalis evertunt suis. Quas vero inani aura inflatas videt mentes, has in sua ambitione magis ac magis confirmat, ne forte providiores experientia factæ, humilitatis virtute curentur.

IV. Judicum detorquet linguam, ne judicium ex æqui-

[1] 2 Reg. XI.

tate pronuntient. Auditorum aures hebetat, ne salutaria excipiant monita; easdem interdum acuit, ut pravis colloquiis obscœnisque cantiunculis pateant. Omnes sive ætate, sive dignitate præstantes pessime loquuntur. Qui minor est, majorum vestigia persequens, laudat quæ sunt vituperatione dignissima. Plurimorum annorum spatio Prophetarum oracula siluerunt, quia tacuit Esaïas, nec suorum temporum vitia digne satis correxit. Jamvero si Justus nimio silentio dissimulationeque erravit, quid dicendum de iis, qui dissolutionem in laude posuerunt?

V. Qui meridiana luce clariores exterius apparent, horum interiores recessus atra nox, nigrorque densissimus obcæcat; latentia nimirum crimina divinæ gratiæ radios effuderunt. Juvenem Giezim extrinsecus nescio quis splendor illustrabat, in pectore tamen furcifer ille cupiditatem fovebat, interiores maculas exterior lepra detexit[1].

VI. Christus, et Elisæus duo clarissimi præceptores, Judam et Giezim duos discipulos infamissimos habuerunt. Judas tenebris ipsis tetrior, ad nitidissimum justitiæ Solem accessit, ad eum nempe, qui in fine mundi peccatorum dissolvet nebulas, a quo impius ille consumptus est ac dissipatus. Giezi leviori conspersus nota exiguam, si cum priori conferatur, lucem adiit, cujus tamen claritate illustratus ad pristinam formam rediit.

VII. Turpiter profecto Judas aberravit, cum non animadverterit quod, si Giezi propheticam animadversionem effugere nescivit, multo magis ipse in manus Dei viventis incidisset. Deliravit etiam proditor, putans se Christum fallere posse, dum id frustra in hominem tentaverat Giezi; eo vel maxime, quod licet Naamanum Elisæus a lepra mundaverit, ista tamen virtus longe minor ea erat, quam ipse Judas una cum cæteris Discipulis a Christo accepit, cum

[1] 4 Reg. IV, 27.

a Christo Jesu « Missi sunt ante faciem suam in omnem ci» vitatem et locum, quo erat ipse venturus [1]. »

SERMO.

De humani ingenii inconstantia.

I. Da, quæso, bone Deus, veniam levitati ac malitiæ nostræ, quæ tot malorum causa est origo. Quot illa concipit cogitationes, totidem latentia sunt brevi eruptura ulcera, exteriora autem opera patentes sunt morbi, qui ab ipsius corruptarum partium dispositione coalescunt, ex qua etiam primum omnium quotquot extiterunt, et futuri deinceps mortales sunt crimen promanavit. Dele, purissime Domine, voluntatis nostræ turpitudinem; ex ea quippe omnia, quibus obsidemur, pericula ac detrimenta oriuntur.

II. Angor enimvero vehementerque commoveor quoties nostræ voluntatis calamitatem intueor; quæ quidem, cum suapte natura valida sit et constantissima, suam ipsamet virtutem debilitat; cum sit domina, sese ad ancillulæ conditionem deprimit; cum æquissima, plurimis vult debilis torqueri; cum soluta, nullique imperio subjecta, servitutem pati gaudet, suique mancipium paciscitur. Quinam dementiæ non arguat scribam, qui proprio digito suorum debitorum chirographum obsignat? Illi gloria sit immortalis, qui nos Angelorum esca in libertatem vindicavit, suoque sanguine nostrorum criminum syngrapham expunxit.

III. Nostra voluntas facile jacturam patitur; et qui in sublime animum erigit suum, cum plerumque solet Dæmon

[1] Luc. x, 1.

invidus perturbare. Oportet ergo, ut cogitatio omnis nostra ducem habeat charitatem, in qua mirifice delectatur, sicut in rore flosculi; contumelias vero, et ea omnia, quæ charitati opponuntur, capitali odio vitat, cum ista se habeant ut fœnum, quod viriditate sub æstivis solis radiis deperdita cito arescit, breve flammis futurum pabulum. Laus sit, Domine, voluntati tuæ, quæ nostram quotidie pœnitentiam procurat.

IV. Qua de re immortali honore digni sunt Justi, qui vel multa passi, in sententia firmissimi perstiterunt, nec ut luna mutabiles, sed solis instar constantissimi ingenitam sibi divinæ gratiæ lucem perpetuo retinuerunt. Nec enim eorum mentes instabiles adeo erant, ut modo plenæ, modo vacuæ conspicerentur. Omnia tormentorum genera expertæ illæ sunt, nec defecere. Honos itaque Deo sempiternus habeatur, qui eorumdem certamina, ac triumphos summopere illustravit. Non illos inanis extulit rumor, nec invidiosa obtrectatio depressit. Gratissimum semper suavitatis odorem spirarunt, quin ipse unquam deficeret; cujus fragrantiam ad alienas etiam mentes eorum charitas derivabat. Hinc Dominus mercator optimus pretiosa hominibus aromata obtulit, quæ divinum afflantia Spiritum audientium delectavere animos, et salutem Discipulis attulerunt. Gloria ipsi tribuatur, ex cujus aromatum thesauro bona eorum opera prodierunt.

V. Hæc tam salutaria cœlestis Medici pharmaca insanissimorum virorum culpa humanam auxerunt ægritudinem potius, quam sanarent. Imitati enim hi sunt improbi illius Semeï insolentiam lapides ex montis jugo in Davidem jacientis[1], terramque spargentis. Hic contra regem stetit, quem plurimis conviciis appetivit; stetit scriba iniquissimus contra Jesum Davidis filium, quem judaïca gens

[1] 2 Reg. XVI, 6.

contumeliis omnibus oneravit. Siluit de accepta David injuria, suoque mystico silentio Christi tolerantiam innuere voluit, qui dum male tractaretur, non aperuit os suum; qui pro saxis sputa, pro verbis alapas, et clavos sustinuit. Gloria igitur patientissimo Domino congeminetur, qui non unius audaciam, ut David, sed totius concitatæ plebis perfidiam æquissimo animo pertulit.

VI. Hic vero mirari soleo, quam plurimos inter nos reperiri, qui in beneficentissimum Patrem blasphemiarum aculeos contorqueant, iidemque cum eo obstinatissime pugnent, a quo libertatem acceperunt. Cujus etiam vesani consilii Dæmonem comitem ducemque anteferunt; putant siquidem, ita Dæmone insinuante, durum esse, ac suis cervicibus intolerandum Christi jugum, cum id cæteroquin ipsa sit suavitate dulcius. Ex quo demum sic pessime arguunt: «Si Deus homines a justitia recedere sinit, cur non a malo omnino eximit?» Benedictus Deus, qui errantes nunquam ad se violenter impellit, sed eos in pleno relinquit libertatis arbitrio.

VII. Ipsi pariter opinari videntur, suum Conditorem iis neutiquam nocere posse, ac si foret superiori aliqua virtute impeditus, seu vi coactus. Duo hæc deliramenta hoc unico responso corruunt. Quis, rogo, famem, et ægritudinem fecit? Si Conditor, ergo potens est; si bonus, ergo immitis erit.

SERMO.

Ad eversionem superbiæ.

I. Vana est omnis exercitatio, omnis temperantia, omnis obedientia, omnis voluntaria paupertas, omnisque disciplina multijuga, humilitate destituta. Nam quemadmodum principium et finis bonorum est humilitas; ita malorum initium finisque existit superbia. Versutus autem ac callidus, multiformisque est hic immundus spiritus : unde etiam in cunctos dominari nititur, singulisque per quas transire contigerit vias, in iis laqueos constituit : sapienti per sapientiam, forti per fortitudinem, diviti per divitias, formoso per pulchritudinem, eloquenti per loquelam, sonoro atque vocali per vocis præstantiam, bono opifici per artis excellentiam, agili per agilitatem. Similiter autem et spirituales tentare non cessat eum, qui renuntiavit sæculo, per abrenuntiationem : temperantem ac continentem, per temperantiam et continentiam : in quiete ac silentio viventem, per quietem et solitudinem : paupertatem colentem, per paupertatem : discendi studiosum, per addiscendi facilitatem : religiosum, per religionem : eruditum, per eruditionem; quæ autem revera cognitio est atque scientia, humilitati conjuncta reperitur. Sic ergo in cunctis sua studet seminare zizania. Ideo Dominus noster sciens passionis hujus difficultatem, quod ubi radices egerit, ibi hominem illum cum suo exercitio inutilem plane reddat, suppeditavit nobis adversus ipsam pro tropæo humilitatem, dicens : « Quando » omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi » inutiles sumus[1]. » Quid ergo nobis ipsis levitatem atque

[1] Luc. XVII, 10.

dementiam asciscimus, cum dicat Apostolus: « Si quis » existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. » Opus ergo suum probet unusquisque, et sic in semetipso » tantum gloriam habebit, et non in altero [1]. » Cur igitur nos ipsos decipimus, in alterutrum elati, sicut qui in mundo sunt celebres, eosque, qui sunt modestiores, aspernamur? Invenimus quippe docentem Dominum, quod, quæ hominibus excelsa sunt, abominabilia reperiantur coram Deo. At, ut continentes ac moderati, adversus infirmiores extollimur? Rursus ab Apostolo corripimur dicente: « Non » enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem » Deus commendat [2]. » Quod si, ut plus aliis laborantes, superbimus adversus eos, qui vitam quietam ducunt, at Dominum reperimus Mariam magis commendantem, quod optimam partem elegerit [3]. » At vero, tanquam animi tranquillitatem colentes, adversus eos extollimur, qui ministerio distrahuntur? Iterum Dominum docentem invenimus atque dicentem: « Non enim veni ministrari, sed ministrare et » ponere animam meam redemptionem pro multis [4]. » Quare res est omnino repudianda superbia.

II. At quod in deserto loco et pulverulento sedemus, magnifice de nobis ipsi sentimus? nihil sane opus loci nobis proderit, non operantibus in humilitate, Apostolo dicente atque hortante: « Ne contemplemur quæ videntur, sed quæ » non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ » autem non videntur, æterna [5]. » At, ut in lacu aut spelunca habitantes, inflamur? signa sunt ista mortificationis, et rerum terrenarum contemptionis atque incuriæ. Quod ergo tibi ipse delegisti ad rectius excolendam virtutem, ne tibi sit in lapsum superbiæ, similisque reddaris imperito fabro ferrario, qui suum non novit opus, et pro gleba ferri, lignum

[1] Galat. VI, 3, 4. — [2] 2 Cor. X, 18. — [3] Luc. X, 43. — [4] Matth. XX, 28. — [5] 2 Cor. IV, 18.

adurere tentat. Necessarium igitur fuerit fortiter humilitatem apprehendere. At opulentus es, et æquitatis atque justitiæ moderationem obtines? sed ad Abrahami mensuram non pervenisti, qui seipsum terram dicebat ac cinerem [1]. At populi tibi procuratio commissa est? Et Moyses populi curam suscepit, neque mille hominum solum curam et administrationem, sed et vulgi multitudinem. Postquam enim Ægyptum percussit Deus in manu Moysis et Aaron, exsiccavitque mare Rubrum et per siccum traduxit Israël, transmisitque eos per solitudinem illam terribilem, venerunt juxta fines Moab; aspicientesque Moabitæ multitudinem populi [2], sicut scriptum est: «Dixit Moab ad majores » natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris » finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque » ad radices carpere [3].» Census enim habebatur populi, seclusis mulieribus, ac pueris, et tribu Levitarum; «Numerus autem eorum a viginti annis, et supra, omnes qui » ad bellum procedere poterant, ex Israël sexcenta tria » millia virorum, quingenti quinquaginta, cunctorumque » istorum ipse dux erat [4].» Cumque una cum Deo familiariter ageret, ejusque gloriam contemplaretur, non elatus est corde, neque humilitatem omisit animi. Unde sacra quoque de eo testatur Scriptura, dicens: «Erat enim Moy» ses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur » in terra [5].»

III. At formosus es, et viribus vales, et corona seu diademate cingeris? sed non pervenisti ad mensuram regis Davidis, qui summa animi humilitate dicebat: «Ego autem » sum vermis, et non homo [6].» At scientia præditus es, et sapientia, atque temperantia? non tamen ad mensuras trium puerorum, ac prophetæ Danielis pervenisti: quorum

[1] Gen. xviii, 27. — [2] Exod. vii, viii, ix, x, xii et xiv. — [3] Num. xxii, 4. — [4] Id. i, 45, 46. — [5] Id. xii, 3. — [6] Psal. xxi, 7.

hic quidem dicebat : « Tibi, Domine, justitia, nobis autem » confusio faciei, sicut est hodierna die[1]. » Alii autem : « In » animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur[2] » Et si tantam homines justi humilitatem ostenderunt, quales nos peccatores esse oportebit? supra modum enim efferri, ac superbire, carnis prudentia est. Et secundum Apostoli oraculum : « Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si » autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis[3]. » Fierique nequit, ut quis passiones vincat, ni prius virtuti excolendæ vacaverit. Annon intellexisti qualia pro pietate beatus Paulus subierit : scribit enim in sua ad Corinthios Epistola : « In laboribus abundantius, in plagis supra modum : a Ju» dæis quinquies quadragenas una minus accepi : ter virgis » cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte » et die in profundo maris fui : in itineribus sæpe, periculis » fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, peri» culis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in soli» tudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in » labore et ærumna, in vigilis multis, in fame et siti, in je» juniis multis, in frigore et nuditate[4], » et quæ sequuntur. Numquid ad hæc vel hiscere poterimus? Quin et virtutem intuere. Post tot pericula, tantaque recte facta, cum summa animi humilitate et modestia dicebat : « Fratres, ego me » ipsum nondum existimo comprehendisse[5]. » Ista vero dicebat, ut elationem funditus tolleret, cum sciret quantam iram in eos concitet, qui illam amant. Verum quid est superbia? Simile est efferri, ac si quis Deo exprobret propria recte facta. Sicut enim in rebus humanis, si quis cum aliquid proximo donaverit, mox adversus ipsum efferri supra modum incipiat, beneficia sane hujus inania reddentur, amicitiamque cum proximo sic dirimet, unde etiam talis

[1] Dan. IX, 7. — [2] Id. III, 39. — [3] Rom. VIII, 13. — [4] 2 Cor. XI, 23-27. — [5] Philip. III, 13.

abominabilis redditur. Hinc quoque Dominus de nostra salute sollicitus, cupiens ab hac nos perniciosa passione deterrere, atque avertere, docuit, dicens : « Quando feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus[1]. » Cum autem non facimus, neque servorum quidem inutilium appellatione digni sumus : quoniam magnus Dominus noster, et magna ac prævalida dona ejus.

IV. Et ut discas non solum humiliter loqui, sed et humiliter sentire nos a Domino edoctos esse, ipso nos facto instituit, dum linteo præcinctus, pedes lavit Discipulorum[2]. Ideo ait : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, » et invenietis requiem animabus vestris[3]. » Cum vero tristia atque acerba præter voluntatem, ac si ad voluntatem fluerent, sustines, tunc te ipsum ad mensuram viri pii et religiosi pervenisse agnosce. Expavi, cum intellexi quemadmodum fraudulentam pertuleris cogitationem, quæ tibi nefaria suggerebat, et dixi : « Per hos dies assumendus es : atque adeo quam multi sunt ab hujusmodi suggestione de statu mentis deturbati? Dic tibi ipse, tu quis es? ad quam mensuram pervenisti? Elias-ne es ? an res miraculosas instar illius fecisti? Is enim oratione cœlum clausit, et non pluit annos tres, et menses sex : iterumque oratione alia imbrem impetravit[4] : ter quoque ignem oratione de cœlo deduxit. Atqui cunctam fidem obtines? Experimentum præbe, signa atque prodigia ostende, mortuos oratione excita, oculos cæcorum aperi, dæmonas depelle, leprosos munda, claudos sana, super mare ambula tanquam in terra arida, aquam in vinum commuta, quinque panibus ac duobus piscibus copiosam multitudinem oratione pasce. Verax enim est, qui ait : « Amen dico vobis, qui credit in me, » opera, quæ ego facio, et ille faciet, ac majora efficiet[5]. »

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Joan. XIII, 5. — [3] Matth. XI, 29. — [4] 3 Reg. XVII et XVIII. — [5] Joan. XIV, 12.

Sed accedens quis forsan dicturus est : « Si quis igitur non fecerit res illas divinas, non habebit is spem salutis? Spem salutis habemus, etiam hujusmodi per nos non præstitis, si imbecillitatem et modicam fidem nostram confiteamur. Nam infirmus misericordia indiget, et non elatione. Si autem misericordiam requirimus, etiam humilitate opus habemus, ut per eam nobis ipsi miserationes a Domino conciliemus. Scriptum est enim : « Quoniam in humilitate » nostra memor fuit nostri Dominus, et redemit nos de ini» micis nostris[1]. » Ac rursus : « Humiliatus sum, et liberavit » me[2]. » Quod si ventis innixi, magnifice de nobis sentimus, non aliud facimus, nisi nos ipsi in abyssum præcipites agimus.

V, Noli igitur superbiæ morbum admittere, ne forte mentem tuam subito deprædetur inimicus. Resipisce ergo ab elata cogitatione propriæ complacentiæ. Noli retia propriis injicere pedibus. Mentem tuam ab hoc veneno mortifero per humilitatem deterge. Doceat te forma atque exemplum ejus, qui propriam vertit domum, seque in pavimentum inclinat, et mundat. Quanto majori studio et cura incumbere nos decet, atque humiliari ad purgationem animæ, neque in ea permittere, quæ odit Deus. In humili enim anima habitat simul Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Nam scriptum est : « Quæ participatio justitiæ cum » iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem » conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infi» deli? Qui autem consensus templi Dei cum idolis? Nos » enim templum sumus Dei vivi[3], sicut dicit Deus : Quoniam » inhabitabo in illis, et inambulabo inter illos, et ero illo» rum Deus, et ipsi erunt mihi populus[4]. Propter quod » exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et

[1] Psal, cxxxv, 23, 24. — [2] Id. cxiv, 6. — [3] 1 Cor. iii, 27. — [4] Levit. xxvi, 12.

» immundum ne tetigeritis[1] : et ego recipiam vos, et ero » vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit » Dominus omnipotens[2]. » Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Cum ergo certando exieris de medio rerum temporalium, separatusque fueris a fluctuationibus ac tempestatibus vitæ nequam, tunc abundantius decerta, ne cum immundo spiritu superbiæ societatem habeas ; ut te recipiat Dominus. Immundus enim vere apud Dominum omnis, qui elato est corde. Annon consideras illum, per quem transibimus, ignem? Quando igitur pertranseuntes eum, mundi deprehensi fuerimus, et irreprehensibiles, tunc cognoscemus nos ipsi quales sumus. « Dies enim illa, uniuscujusque opus » declarabit : » sicut scriptum est : « Quia in igne revela» bitur[3]. »

VI. Rogemus ergo multa cum humilitate Dominum, ut a futuro nos timore eripiat, raptuque illo nos dignetur, quando justi rapientur in nubibus obviam Regi gloriæ in aëra[4]; hæredesque cœlestis regni evadamus cum mansuetis atque humilibus. Nam quemadmodum secundum Scripturam : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum » cœlorum[5] : » ita væ superbis et alte sapientibus, quia eorum est caminus ignis. In superbia enim habitat qui dixit : « In fortitudine manus meæ faciam, et in sapientia » intellectus auferam terminos gentium, et fortitudinem » eorum deprædabor : et concutiam civitates habitatas, et » universum orbem terræ : apprehendam manu quasi nidum, » et quasi ova derelicta tollam : et non est qui effugiat me, » aut contradicat mihi[6]. » Sed mittet dominator Dominus

[1] Isaï. LII, 11, et Jer. XXXI, 9. — [2] 2 Cor. VI, 14-18. — [3] 1 Cor. III, 13. — [4] 1 Thess. IV, 16. — [5] Matth. V, 3, et Luc. VI, 20. — [6] Isaï. X, 13, 14.

exercituum in honorem tuum ignominiam, et in gloriam tuam ignem ardentem accendet. Et rursus : « Dixisti in » corde tuo : in cœlum conscendam, super astra cœli exal» tabo solium meum. Sedebo in monte excelso, in lateribus » aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, et similis » ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in pro» fundum terræ[1]. » Fugiamus ergo superbiam, quam detestatur Deus : diligamus vero humilitatem, qua cuncti justi complacuerunt Deo. Magnum quippe donum est humilitas, magna gloria, magna felicitas, et honor possidentibus eam. In ipsa enim cursus sine defectu est, et sapientia integra atque perfecta. Nam per superbiam Pharisæus ille humiliatus est, et per humilitatem Publicanus exaltatus : cum quo nos immortalitatis hæreditate ac parte dignetur Dominus cum omnibus Justis. Quoniam ipsi convenit gloria in sæcula. Amen.

SERMO.

De his, qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum dicant nihil mali esse.

I. Ad prophetam Ezechielem dixit Deus : « Et tu, fili » hominis, speculatorem dedi te domui Israël : audiens » ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si » me dicente ad impium : Morte morieris, non annuntiave» ris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, » et vivat, impius ille in iniquitate sua morietur ; sangui» nem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu an» nuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus a via sua » impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur ; tu autem

» animam tuam liberasti[1]. » Atque hæc audientes, charissimi, cum metu et tremore nostram operemur salutem. Non negligentes mutuas admonitiones, neque ad voluptatis gratiam invicem loquentes, sed quod cujusque nostrum decet salutem, quoniam hisce delectatur Dominus; inimicus enim tendere laqueos non desistit. Quamobrem et nos in mutua charitate fovenda haud esse desides oportet; potens namque est Deus laqueos ejus confringere, et ab ejus nos versutia liberare. Mihi vero cor dolet, et interiora mea in me vertuntur, super iis, quæ ad meas delata sunt aures. Unde et rursus fraterno te juvare consilio incipio; ne decipiaris ab hominibus voluptati deditis, qui impie operando mentem suam desperatam retinent; sunt enim illi Sodomitarum soboles: nam quorum quis æmulatur opera, horum et filius vocabitur. Similium ergo tu operationes imitationemque fuge, ut cum calculo Judicis, ipsum quoque cognomen effugere queas. Institutum enim est illorum flagitiosum mores perversi, adulatores pessimi. Quorum alii aperte decipere conantur, alii etiam specie pietatis et submissionis, id agunt; secundum quod scriptum est : « Ha» bentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus ab» negantes[2]. » Unde etiam ne a liberorum propagatione redarguantur, nequitia voluptatis fruuntur : ablatus siquidem ab iis est Dei timor, et agnitio ejus. Et non tantum ista faciunt, sed etiam aliis eadem facientibus consentiunt. Atque adeo quidem magnum hoc, et grave flagitium extenuant, ut cunctos homines ad divinorum mandatorum prævaricationem alliciant. Quomodo enim qui leonem occidere volunt, ubi jaculum exacuerint, atramento ferrum oblinunt ad splendorem obscurandum, ut sic letalem ipsi ictum infligant; ita quoque hi per extenuationes, et impiam assentationem invitant sibi morigeros, ad perniciem ani-

[1] Ezech. III, 17-21. — [2] 2 Tim. III, 5.

mæ suæ; et quemadmodum ex quibusdam latebris multitudo venenatarum bestiarum egreditur: ad eumdem etiam modum ex corde similium hominum, multitudo pessimarum cogitationum procedit: « Cor namque perversum » (ut habet Scriptura) machinatur mala omni tem» pore [1]. »

II. Quamobrem necesse fuerit breviter ex divinis Scripturis quædam proferre in medium ad improborum hominum reprehensionem, atque confusionem; illorum vero, qui pœnitentiam agere voluerint, correctionem, securitatemque. Est enim in Proverbiis: « Conserva, fili mi, præ» cepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ: liga ea » in anima tua jugiter et circumda humero tuo. Cum am» bulaveris, adduc ea, et tecum gradiantur: cum autem » dormieris, custodiant te, et evigilans loquere cum eis. » Quia legis mandatum lucerna est, et lux, et via vitæ in» crepatio et disciplina, ut custodiant te a muliere mala, » et a blanda lingua extraneæ. Ne te vincat pulchritudinis » ejus desiderium; neque illius aspectu capiaris ac nutibus. » Pretium enim scorti, vix est unius panis: mulier autem » viri pretiosam animam capit. Numquid potest quis ignem » abscondere in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? » aut ambulare super prunas, ut non comburantur pedes » ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non » erit mundus, neque omnis qui tetigerit eam. Non est mi» rum, si furtive quid aliquis ceperit: furatur enim, ut esu» rientem impleat animam: deprehensus quoque, reddet » septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet, et » liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis ino» piam, perdet animam suam. Turpitudinem et ignominiam » congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur in æ» ternum. Quia zelus, et furor viri ejus non parcet in die

[1] Prov. VI, 14.

» vindictæ, nec suscipiet pro redemptione dona plurima [1].
» Fili, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi.
» Fili, honora Dominum, et valebis : præter eum vero ne
» timueris alienum. Serva mandata mea et vives; et ser-
» mones meos quasi pupillam oculi tui liga eos in digitis
» tuis, scribe illos in tabulis cordis tui. Dic sapientiam so-
» rorem tuam esse, et prudentiam voca animam tuam : ut
» custodiat te a muliere extranea, et improba, quæ verba
» sua ad gratiam componit. De fenestra enim domus ejus
» per plateas prospexit, si forte videat parvulum vecordem
» juvenem, qui transit per plateas juxta angulum, et prope
» viam domus illius graditur in obscuro advesperascente
» die in noctis tenebris et caligine. Et ecce occurrit illi mu-
» lier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas,
» garrula et lasciviens, vaga nec valens in domo consistere
» pedibus suis : nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta an-
» gulos insidians. Apprehensumque deosculatur juvenem,
» et procaci vultu blanditur, dicens : Victimas pro salute
» devovi, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in
» occursum tuum, desiderans te videre, et reperi : intexui
» funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægyp-
» to : aspersi cubile meum croco, et domum meam cinna-
» momo. Veni, fruamur amplexibus, donec illucescat dies :
» veni, inebriemur amore. Non est enim vir meus in domo,
» abiit in viam longissimam. Sacculum pecuniæ secum tu-
» lit : multos post dies reversurus est in domum suam. Ir-
» retivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum
» protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad
» victimam, et quasi canis alligatus, et instar cervi vulne-
» rati in jecore : velut si avis festinet ad laqueum, et nescit,
» quod de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo, fili, audi
» me, et attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in viis il-

[1] Prov. VI, 20-35.

» lius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. Multos enim » vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab » ea. Viæ inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis[1]. »

III. Quod si in mulieribus tanta hæc sit ignominia, multo sane magis in iis, qui turpitudinem exercent in invicem, gravius formidabiliusque judicium iræ futurum est. Sed dixerit fortasse quispiam : « Et unde hæc constant? » Ex sacris Scripturis tibi ista constare faciam. Scriptum habes in Genesi : « Abraham habitavit in terra Chanaan. Lot vero » moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, et ha- » bitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi » erant, et peccatores, coram Domino nimis[1]. » Intellige ergo vim sermonis; quia et pessimi et peccatores tales demonstrantur : neque his contentus adhuc adjecit, « Nimis. » Rursusque ait : « Dixit autem Dominus ad Abraham : Cla- » mor Sodomorum, et Gomorrhæorum multiplicatus est, » et peccatum eorum aggravatum est nimis[2]. » Per hæc ostendere volens enormitatem, abominationem, gravitatemque sceleris id genus hominum. Sacræ-ne igitur Scripturæ habenda est fides, an voluptariis illis hominibus, veritatisque expertibus?

IV. Siquidem voluptatibus addicti, impudenti ore ad invicem dicere solent : « Non ista judicabit Deus; sunt enim corporalia. » Hæc autem opponunt, ut divinæ justitiæ timorem a proximorum cordibus auferant, quo sic absque ullo timore, atque erubescentia, desideria propria perficiant, neque sit a quo reprehendantur. Quam multos verba hujusmodi decipiunt? quam multos corrumpunt? quam multos perdunt? Omnis quidem lubricitas lubricanti periculosa est : qui autem alios ad malum adducit, et a pietate abstrahit, præcipitiumque sternit, judicium absque misericordia consequetur : quemadmodum scriptum est : « Veros,

[1] Prov. VII, 1-27. — [2] Gen. XIII, 12, 13.

et absque mendacio sermones Domini falsificare sunt ausi; blasphemantes juxta proprias concupiscentias [1]. Etenim si hac turpitudine districtos, pœnitentiamque nullam agentes, non judicabit Deus, sicut illi nefarie insulseque loquuntur: nulla jam erit Dei in judicando justitia. Verum non ita se res habet, nequaquam; absit. « Fidelis enim Do» minus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus ope» ribus suis [2]. » Nam si de verbis otiosis rationem reddituri sumus in die judicii [3], multo sane magis de impuris profanisque actionibus judicium subibimus, nisi per pœnitentiam, justum et infallibilem Judicem placaverimus. Quo pacto autem dictum illud Apostoli audientes, non suffunduntur pudore? « Non enim, ait, vocavit nos Deus in im» munditiam, sed in sanctificationem [4]. » Ut non immerito dictum sit de iis: « Propter quod tradidit eos Deus in desi» deriis cordis ipsorum, in immunditiam, ut contumeliis » afficiant corpora sua in semetipsis [5]. » Rursusque ait: « Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam » fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum » usum, qui est contra naturam. Similiter autem et mas» culi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis » suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem ope» rantes, et mercedem (quam oportuit) erroris sui in se» metipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum ha» bere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, » ut faciant ea quæ non conveniunt; repletos omni iniqui» tate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos in» vidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susur» rones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, super» bos, elatos, inventores malorum, parentibus non obe» dientes, insipientes, incompositos, sine affectione, abs-

[1] Gen. XVIII, 20.— [2] Rom. I, 25, et 2 Petr. II, 3.— [3] Psal. CXLIV, 13. — [4] Matth. XII, 36. — [5] I Thess. IV, 7. — [6] Rom. I, 24.

»que fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei »cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, »digni sunt morte : non solum qui ea faciunt, sed etiam »qui consentiunt facientibus[1]. » Vides quod quæcumque loquuntur vel faciunt, reproba sunt, et reproba mente profecta. Quamobrem caveamus aurem fallacibus eorum verbis præbere, ne et prædicta in nos veniant. Caveamusque locum tribuere voluptariis mortiferisque cogitationibus, ne in nos quoque dicatur, quod scriptum est : « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut »non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum »justorum[2]. »

V. Ait autem et beatus Petrus apostolus : « Novit Dominus pios de tentatione eripere, peccatores vero in diem »judicii reservare cruciandos : maxime autem eos, qui post »carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas »non metuunt introducere, blasphemantes. Ubi Angeli, »fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium. Hi vero velut irrationabilia animalia, naturaliter in captionem, et in corruptionem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione »sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ; voluptatem existimantes diei delicias, coinquinati et maculati : »deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum : »oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. »Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia »habentes, maledictionis filii : derelinquentes rectam viam, »erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem »iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suæ vesaniæ »subjugale mutum animal, quod hominis voce loquens, »prohibuit Prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua,

[1] Rom. I, 26-32. — [2] Dan. XIII, 9.

» et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebra- » rum reservatur in æternum. Superba enim vanitatis lo- » quentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui » paululum effugiunt, qui in errore conversantur, liberta- » tem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A » quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim » refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini » nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati su- » perantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. » Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam » post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis tra- » ditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri » proverbii : Canis reversus ad suum vomitum : et sus lota » in volutabro luti. [1] »

VI. Sed ad ista quid opponere poterunt vaniloqui illi, ac novarum mentium deceptores? Quos quidem et alius redarguit Discipulus, dicens : « Judas Jesu Christi servus, » frater autem Jacobi, iis, qui sunt in Deo Patre, dilectis, et » Christo Jesu conservatis et vocatis : misericordia vobis, et » pax in charitate adimpleatur. Charissimi, omnem sollici- » tudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, » necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari ad- » huc semel traditæ Sanctis fidei : subintroierunt enim qui- » dam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) » impii, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, » et solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum » Christum negantes. Commonere autem vos volo scientes » semel omnia, quod Dominus populum de terra Ægypti » salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit : An- » gelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed » dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei » vinculis æternis sub caligine reservavit : sicut Sodoma et

[1] 2 Petr. II, 9-22.

» Gomorrha, et finitimæ civitates, simili modo exfornicatæ,
» et abeuntes post carnem alteram, facti sunt exemplum
» ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter et hi somnian-
» tes carnem quidem maculant, dominationem autem sper-
» nunt, majestatem autem blasphemant. Cum Michaël ar-
» changelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi
» corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed
» dixit : Imperet tibi Dominus. Hi autem quæcumque qui-
» dem ignorant, blasphemant : quæcumque autem natura-
» liter tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpun-
» tur. Væ illis, quia in viam Caïn abierunt, et errore Balaam
» mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.
» Hi sunt in epulis vestris maculæ; convivantes sine timore,
» semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis cir-
» cumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mor-
» tuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas con-
» fusiones, sidera errantia : quibus procella tenebrarum
» servata est in æternum. Prophetavit autem et de his sep-
» timus ab Adam Enoch dicens : Ecce venit Dominus in
» Sanctis millibus suis Angelorum facere judicium contra
» omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus
» impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus
» duris, quæ locuti sunt contra eos. Hi sunt murmuratores,
» querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eo-
» rum loquitur superbiam, mirantes personas, quæstus
» causa. Vos autem, charissimi, memores estote verborum,
» quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu
» Christi, qui dicebant vobis : Quoniam in novissimis tem-
» poribus venient illusores secundum desideria sua ambu-
» lantes in impietatibus : Hi sunt, qui segregant semetipsos,
» animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi,
» superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei
» in Spiritu sancto, orantes, vosmetipsos in dilectione Dei

» servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu » Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite ju- » dicatos : illos vero salvate de igne inextinguibili rapien- » tes. Aliorum autem misereminì in timore : odio haben- » tes et eam quæ carnalis est, maculatam tunicam. Ei » autem, qui potens est vos conservare sine peccato, et » constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in » exultatione, soli Deo per Jesum Christum Dominum nos- » trum gloria et magnificentia, imperium et potestas ante » omnia sæcula, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum, » Amen [1]. »

VII. Quin et in lege mosaïca scriptum habemus : « Qui- » cumque dormierit cum masculo coïtu fœmineo, uterque » operatus est nefas, morte moriantur ambo [2]. » Ecce detecti et confutati sunt stulti, ac spurci id genus hominum sermones. Quocirca cave decipiaris ab iis, qui luxuriose vivunt, cave ab iis qui in hypocrisi pelliciunt animas instabiles. Eorum autem vestigia contemplare, atque sectare, qui cum timore et conscientia pura Domino serviunt. Neque vero hæc ita a me dicta accipias, quasi me ipsum justum et operibus irreprehensibilem facere velim; siquidem damnatis operibus, et ignominia plenus sum. Sed recordatus eorum, quæ abs te dicta sunt, tum in quanta pericula incurrant Neophyti ex conversatione improba, et condescentione indiscreta : hujus rei gratia, his ego verbis uti compulsus sum : decet namque omnem Christianum aut potius omnem hominem, de salute proximi sui anxium esse, atque sollicitum, quoniam inter nos membra sumus. Præcipue autem sine offendiculo, ac scandalo vos ad Dominum confugere oportet, timentes interminationem ejus qui dixit : « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis » istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola

[1] Judæ. I-25. — [2] Levit. XX, 13.

» asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum ma-» ris [1]. » Oportet autem nos advigilare et sobrios esse, alterum ab altero admoneri, et adhortationem suscipere, antequam præoccupemur a malis. Quemadmodum enim « Qui seminant in lacrymis in exultatione metent [2] : Ita qui » seminant in sua carne, et de carne metent corruptionem [3], » Et non est acceptio personarum apud Dominum [4]. »

VIII. Attendamus igitur nobis ipsis, cum lacrymis pœnitentiam agentes Domino, ut a futuro illo nos liberet timore. Siquidem Prophetam dicentem audimus : « Quis » annuntiabit nobis locum æternum ? Quis annuntiabit » vobis, quod ignis sit urens [5]? » Et rursus ait : « Et egre-» dientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati » sunt in me. Vermis enim eorum non morietur, et ignis » eorum non extinguetur; et erunt in spectaculum omni » carni [6]. » Tu vero pro me deprecare, obsecro, ut et ego merear fructum acceptabilem Domino nostro Jesu Christo præstare. Amen.

SERMO.

De abstinendo a cupiditatibus carnalibus, et de certamine, ac de multa securitate, ad fratrem qui excidit.

I. Qui in medicorum curantur officinis, non lætantur malis alienis, neque spernit quisque proximum causa morbi, sed potius studet unusquisque, passione, conceptoque a se dolore liberari ; proximo autem manum pro viribus præbere, ad facilius laborum dolores tolerandos. Oportet igi-

[1] Matth. xviii, 6. — [2] Psal. cxxv, 5. — [3] Galat. vi, 8. — [4] Rom. ii, 11. — [5] Isaï. xxxiii, 14. — [6] Id. lxvi, 24.

tur et nos alterutrum consolari, ac admonere, potissimum vero tentationis tempore, ut sic vere ab amara servitute peccati, ac tyrannide diaboli liberari queamus, et ignea ejus tela extinguere. antequam nos ignis ille præoccupet inextinguibilis, tumque plorantes ploremus in dolore cordis nostri, et non sit qui consoletur. Primum itaque veniam ac remissionem peccatorum meorum deposco. Deinde vero te amice admonere aggredior, sic sacra Scriptura dicente: « Argue sapientem, et diliget te; insipientem autem, et » odio te habebit. Da sapienti occasionem, et addetur ei » sapientia. Doce justum, et festinabit te accipere [1]. » Miror equidem quomodo post tantas admonitiones te ipsum sic neglexeris, et quæ cum Deo pepigisti fœdera, ita conculcaveris pedibus, momentaneoque perculsus timore, te ipsum in gladium impuleris? Quis ita bene compunctus est corde, ut hunc interitum digne deplorare possit? Periculosum sane concipere animo turpeque dictu. Quis sic in fide ac scientia reperitur sufficiens, qui enarret supplicia præparata iis, qui inescari se patiuntur morbo corruptionis hujus, et ignominiosi operis, fœtorisque extremi? sed quæ ea est excusatio? Quia, inquis, præfectus est molestus, et metuo ne forte male me tractet. Quæ ista duritia, aut quæ cæcitas? Admonet enim Dominus : « Nolite timere eos, » qui occidunt corpus, animam autem non possunt occi- » dere : sed potius timete eum, qui potest et animam et » corpus perdere in gehennam [2]. » Ubi doctrina Apostolorum, et Prophetarum, et Psalmorum meditatio? Ante certamen athleta inungitur, ut tempore certaminis coronari mereatur. Miles, antequam ad prælium descendat, exercetur, ut belli tempore probatus ostendatur : at nos pacis milites sumus, et in tranquillitate gubernatores. Oblitusne es cujus causa mundum reliqueris, et a parentibus tuis

[1] Prov. IX, 8, 9. — [2] Matth. x, 28.

carnalibus te abstraxeris? Mundanus-ne timor tuum animum occupavit? Doleo vices tuas, frater.

II. Verum quoniam meam, inquis, mentem illorum verba depravant; meminerimus illius, quod ait Parœmiastes : « Favus distillans labia meretricis [1]; » dulcedinem concupiscentiæ, favo significans. Quodque infert, dicens : « Quæ ad tempus nitidum guttur efficit, postea vero bile » amarius invenies, et acutius ancipiti gladio [2]. » Et alibi hoc dicit de iis, qui induti sunt vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces [3], et operarii iniquitatis. Et ut ait Apostolus : « Per dulces sermones, et benedictiones » seducunt corda innocentium [4]. » Numquid et hoc percipis? Quid, si centum annos nequitiæ atque libidini vacaverimus, novissime vero nos mors atteret, et post mortem judicium? Et si dixeris te ex principibus esse atque optimatibus, scito et eos ex primoribus populi fuisse, qui beatæ insurrexerunt Susannæ in Babylone. Atqui beatus Joseph emptitius erat apud Ægyptiam. Nonne dicentem audisti : « Ne acceptor sis personæ contra animam tuam; neque confundaris in casu tuo : est enim » confusio adducens peccatum, et est confusio adducens » gloriam, et gratiam [5]. » Non est ergo nobis justa excusatio, cum neque desertam incolamus terram. Quod si quis vim patitur, clamans in succursum convocat populum. Sed videamus ne ex nobis errati causa nascatur : abominabilis enim ac gravis hæc res est. Cavendum ne indecentes apud nos motus regnent : ne vestis mollis, ne odoramenta in vestibus, fœminarum more; sed anima potius optimo fragret odore Spiritus sancti per vitam bonam. Pedes ne sint ad speciem exculti, atque abstersi. Hæc siquidem cura vehementer castitati obest. Ne vestimentum supra crura

[1] Prov. v, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Matth. vii, 15. — [4] Rom. xvi, 18. — [5] Eccl. iv, 25, 26.

sublatum. Siquidem hoc animæ imprudentiam arguit. Aspectus ne sit inordinatus. Ad risum non simus proni, neque ridicula proferamus. Dominandi ne simus cupidi, neque avari; non ventri atque ebrietati dediti; non duri atque difficiles, nec irreverentes; non inquieti ac laboris inimici. Nec sint nobis sermones obscœni, et gestus qui passionem exprimant. Non vox ad amorem, et deceptionem composita. Hæc enim et his similia vituperio, et reprehensione sunt digna, tanquam illicita, et a Christianis aliena. Omnisque in his se occupans, sævum, atque grave sibi iræ judicium præparat. « Quoniam non vocavit nos Deus in » immunditiam, sed in sanctificationem [1]. »

III. Neque usque ad sanguinem restitimus adversus peccatum decertantes. Neque pro Salvatore nostro Jesu Christo ad præsides, et reges ducti sumus. Audeo dicere quod justificata sit Sodoma præ nobis. Neque coram tribunali judicis sumus adducti; et tormenta, pietatis ergo, passi, Neque caminum luculento igne succensum vidimus, neque sartagines accensas conspeximus, non verucula acuta ignita, non lebetes cera et pisce effervescentes. Neque feris, causa pietatis, objecti sumus, et sustinuimus. Neque decoctæ sunt manus nostræ a carnificibus, quorum vel solus aspectus cor ejus, qui suppliciis objicitur, commovet. Nondum intuiti sumus enses acutos inferri nobis, et expavimus. Nonne hæc omnia sustinuerunt Martyres Christi? At metuis, quia dynasta est, et cum imperio? Sed nosce potentiori illum principi subjectum, qui singulorum exquiret opera, et consilia pervestigavit cordium. Hæc autem dico, non ut judicans, absit. Sed quasi commilitoni compatiens. Nam scriptum est : « In multis offendimus omnes [2], » Nisi enim Deus, qui nos effinxit atque creavit; etiam unita sibi carne dignatus esset palam super terram incedere, ac per

[1] 1 Thess. IV, 7. — [2] Jacob. III, 2.

benedicta ejus vestigia terram sanctificare; arbitrarer vel ipsam terram scelerum meorum multitudine esse pollutam. Cæterum præceptum nos invicem admonendi atque consolandi habemus in verbo veritatis; ne vitam cum morte, neque incorruptibilia unquam commutemus cum corruptibilibus : ne forte brutis ipsis animantibus videamur irrationabiliores. Verum tanquam rationi obsequentes vocem Creatoris nostri Dei audiamus, qui ait : « Sancti estote, » quoniam ego sanctus sum [1]. » Adhuc enim modicum quid restat, et mandatum emittetur horribile separationis animæ a corpore.

HOMILIA.

In meretricem.

I. Simplex nobis labor, atque expedita quæstio de justitia in præsentiarum sese offert de meretrice, quæ nos ad perfectam fidem provocat, siquidem etiam nos velimus per ipsius exhortationem ad obedientiam venientes, magnam illam, et pretiosam margaritam lucrari, per quam cœlorum regnum significatur : per quam vocatio gentium anticipata est, et cœlorum vaticinium de pœnitentia præcessit : per quam peccatorum eversio prænuntiata est, et remissio supplicii ab inimico intentati decreta est : per quam lumen indeficiens fidelibus paratum est, atque ingens, et inexplicabile gaudium diligentibus Dominum, ut affulgeat, expectatur; per quam interminabilis vita annuntiata est iis, qui pie vivere elegerunt; per quam et ego multam fiduciam capiens ex propositis bonis, verba facio omnibus vobis di-

[1] I Petr. 1, 16.

lectis, et honorabilibus fratribus in Domino. Non sermonem produco, sed promptitudinem vestram extendo ad erudiendos omnes pulchra, atque eximia pœnitentia prædictæ mulieris. Quod enim convenientius erat, ut virginitas scortationem vinceret, luctuosa pœnitentia prostitutæ virginitatem longe superavit. Verum hoc factum est, ut Salvatoris nostri Christi divina, ac verax vox impleretur, quæ dicit : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœ-» nitentiam [1]. » Æquum igitur est, dilectissimi, ut nos super eos, qui æquo animo sermonem suscipiunt, semen spargamus : ut etiam quemadmodum quæ cucurrit cum magna, atque effronti audacia, quæque fontem lacrymarum in tabula cordis probo, et bono medico obtulit, sicut in quodam pretioso disco, ut profundam peccatorum latrinam deleret, eadem fidei cognitione carens probatam, atque pretiosam margaritam pretio exiguorum munerum mercata est; etiam nos fidei gratiam habentes abundantem, neque verbo illam in magnum......

II. Illa scortationem diligenter vendidit, et sanctimoniam adepta est; nos vero virginitatem negligentes, impietatis opera comparavimus. Illa opes contemnens, justitiam mercata est; nos autem multa possidentes, habendi cupiditatem tanquam continentiam acquisivimus. Illa debitum denariorum non interpellata dissolvit, et pretiosum donum reputans esse grati animi, gloriam, veniæ chirographum, reportavit; nos autem multo pluribus debitis criminosis devincti, ne unam quidem accusationem dissolvere studemus. Illa integram vitæ arborem fruendam percepit; nos vero nequitiæ, ac superbiæ radicem possidemus, nescientes brevi nos perditionis tempus esse comprehensurum, ac bonorum operum expertes manendo, suppliciorum hæredes esse faciendos. Illa peccati, ac fœditatis contubernalis, in-

[1] Luc. v, 32.

expectatas proferens lacrymas, veræ vitis racemos collegit; et nos neque bonæ obedientiæ servi esse unquam volumus, ut nostras animas a morte liberemus (2)....

SERMO.

In mulierem peccatricem, quæ unguento Dominum unxit.

I. Inter multos viros sanctos ac dignos Dei, qui pie atque religiose laudant prædicantque immaculatum Dominum, dignus et ego sum habitus, licet indignus, qui cum eis, gratia ac dono fidei, laudibus Deum concelebrem. Nunquam enim gratia quemquam rejicit hominum salvari cupientium. Nam quemadmodum fons sine intermissione scaturiens atque effundens pura fluenta variosque latices, nunquam aliquem impedit affatim ex mundis ac limpidis suis aquis refici, ac quidem gratis, cupientem : sic et divina gratia omnibus exposita est ac patet semper ea frui volentibus, et unicuique quantum voluerit. Quando enim Salvator in Evangeliis divina sua voce omnes invitabat, dicens : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat [1] : » non distinxit omnino pauperem a divite, neque peccatorem a Justo. Quapropter et ego, quamvis indignus, particeps ejusdem factus sum gratiæ, eamque libere audacterque etiam cum lacrymis, collaudare aggredior, ut et ego remissionem peccatorum accipiam; sicut mulier illa peccatrix [2], quæ intrepide ingressa est in fervore animæ in jucundam ac delectabilem illam domum, ubi indultor debitorum recumbebat.

II. Considero ista, et maximam alacritatem capio, ut et

[1] Joan. VII, 35. — [2] Luc. VII.

ego impudentissimus in petitione reddar. Cerno enim fervoris animæ illius magnitudinem atque excessum, et summam illam atque honestam inverecundiam. Adeste igitur auscultatores, Christo dilecti, atque perfecti, et voluptatem ex hac pulchra narratione magnæ illius atque suspiciendæ mulieris capite, quæ singulis nos horis ad divinam hanc expositionem conviviumque invitat. Divinum porro hic dico spectaculum illud, in quo mulier cum Angelis et hominibus convivata est. Sed quomodo palam ingressa est, quæ prorsus vocata non erat? Et quo pacto ad discumbentem accessit, cuncta cordis sui arcana enuntians, omniaque ipsi absque sono et voce exponens? Vides eminentem animæ promptitudinem et desiderium, et quo pacto in sua seipsam circummunivit inverecundia? Non domesticorum tumultum virilis atque generosa mulier timuit, neque duram astantium increpationem, unum hoc secum cogitans, dicensque : « Quod, si vultum meum, ferri, ac æris instar, durum inverecundumque non reddidero, salvari ex turpi inundatione lasciviæ meæ nequibo. Contemnam momentaneas hominum irrisiones, et convicia contumeliasque eorum pro nihilo putabo; hoc tempus exiguum honestæ est impudentiæ; plurisque mihi faciendum est illo, quando adhuc indecentem illam meam impudentiam exercebam. Tunc enim impudenter in biviis consistens, omnes ad opus absurdum illicitumque advocabam : vestimentisque jucundis ac speciosis ornata, obviam omnibus procedens, capillos meos certo numero complicabam, et supra maxillas collustrans, ad deceptionem aliorum formabam, ut omnem adolescentem compositum ac speciosum ad me ipsam pertraherem. Laqueus diaboli jam plane effecta eram, animas captans atque deprædans in judicium æternum. Nunc igitur conandum est mihi, ut celeriter vadam ac curer, et bona pro malis commissis agam. Nunc hinc abiens, magno

procidam Medico, qui omnes suscipit, et neminen spernit. Dicam ipsi omnia quæ corpore meo ad juvenum deceptionem egi ; et pulchros meos capillorum nexus in oblectationem ac scandalum multorum renidentes jam explicabo et lintei loco adhibebo : palpebrasque meas turpiter annuere solitas, cum pupillis oculorum, in fontes lacrymarum convertam, et deinceps vestigia sanctissimi Medici vigilanter persequar, ut ipsi procidam. »

III. Hoc autem bonum propositum cum haberet admirabilis illa mulier, tempus observabat, quo posset vehementissimum animæ suæ desiderium explere, et pedes Domini ferventer complecti. Cognoscens porro quod Simon, unus ex Pharisæis, invitasset Salvatorem, summopere exultavit [1], et currens abiit magno animi ardore ad quemdam aromatarium, ut alabastrum unguenti coëmeret : atque inter eundum aiebat intra se : « Ubinam reperire et accipere potero unguentum selectum, ac magno et sancto Medico dignum, ut illud una cum meis lacrymis suscipiat ? Dabo largissimum pretium, ut optato fine meo potiar : ipsumque aromatarium indesinenter interpellabo, aut potius conjurabo in nomine Dei sanctorum Patrum, in quem ipsi credunt, ut det mihi unguentum regium electum, ad honorem Medici, largo a me accepto pretio. » Cum autem ad quemdam jam adventaret aromatariorum, dixit ad eum læte ac hilare : « Pax tibi, aromatarie : unguentum selectum quæro, regale ac pretiosum, cui nullum unquam inventum fuerit simile : quem enim diligo, major est omnibus, et non est alius, qui cum illo conferri possit. » Respondens autem aromatarius, dixit ad eam : « O mulier, magnifica atque superba satis protulisti verba. Quis te non novit in biviis civitatis, magnam amatorum habere frequentiam ? Et cui ex his omnibus plane cupis, o mulier, deferre unguentum hoc

[1] Luc. VII.

regale atque electum? Quidnam ille tibi præbere poterit pro unguento, quod tantovis comparare pretio? Etiam ego tibi vendere volo; discere tamen ex te prius cuperem, cui illud tanto studio, atque animi perturbatione deferas? Numquid regiæ progeniei atque familiæ est tuus ille amator? aut alicujus ex primatibus filius? Vel etiam præstans atque excellens quispiam stirpis Davidicæ: quo quidem rege major in Israël non reperitur alius. Anne ex illius est genere juvenis ille tuus amicus? O mulier, dic mihi: volo enim ex te audire. Siquidem largum unguenti istius pretium, ipsumque tuum studium in extasim ac stuporem animi me rapiunt, quisnam sit ille talis tuus amicus. »

IV. Tunc admiranda illa mulier animo conturbata, respondit aromatario dicens: «Deum Patrum time, o homo, et alabastrum unguenti mihi præbe, ut cito assequar quod efficere contendo. Adjuro te per Deum, qui tantam dedit potentiam in manu Moysis, ut virga divideret aquas maris, et firmaret eas ut petram durissimam, traduceretque populum in sicco pulvere[1]. Adjuro te, o adolescens, per sancta ossa, quæ tulit Moyses, in valle maris secum[2]: reliquias, inquam, Joseph athletæ, qui aspidem in spelunca devicerat[3]. Adjuro te, o adolescens, per vocem sanctam, quæ locuta fuit Moysi in flamma ardenti, et rubo, qui non absumebatur[4]. Adjuro te, o adolescens, per eum, qui splendorem dedit in facie Moysis in monte, et gloriam ostendit inaccessibilem[5]. Adjuro te, adolescens, per Arcam sanctam, quæ firmavit fluenta Jordanis in defectione perfecta. Adjuro te, adolescens, per virtutem sanctam, quæ in ictu oculi septem effregit muros civitatis Hiericho, per manus sanctas Jesu filii Nave, extensas in sublimitate aëris, qui solo verbo cursum elementorum firmavit, ita ut ex

[1] Exod. XIV. — [2] Gen. L, 24. — [3] Id. XXXIX. — [4] Exod. III, 3.— [5] Id. XXXIV.

duobus diebus unus fieret[1]. Si porro quæcumque tibi recensui, nomen, inquam, Dei, et Sanctorum omnium, qui grati acceptique ei fuerunt, religiose colis et veneraris; præbe mihi deinceps unguentum, et cape quodcumque volueris pretium a me alabastri : solum pretiosum atque electum mihi porrige, et me jam dimitte, ut cito videam magnum et desideratum meum amatorem immaculatum. »

V. Rursusque unguentarius mulieri respondit : « Conspicio largitatem pretii alabastri : sed quid, inquit, obesse poterit, o mulier, si et mihi de amatore illo tuo dixeris, quem nunc tanto talique amore ac desiderio tibi acquisivisti ? Nam et me desiderio videndi ipsum, mulier, affecisti, et quod petis unguentum, tibi dare nequeo, nisi mihi, quisnam ille sit, recensueris. »

VI. « Quid me ita urges et cogis, inquit mulier : sic, inquam, accurate perquirendo, quæ discere non licet ? Flagrat anima mea, et inardescit cor meum. Quando tandem ipsum aspiciam, ut gaudio me repleat ? Time Dominum purum et immaculatum, o homo, et me jam bono responso recrea. Time Deum sanctum, o homo, qui Abraham vocavit, et filium ejus Isaac glorificavit, et Jacob Israël vocavit et Patriarcham in duodecim tribubus posuit[2]. Time Deum, o homo, qui Annæ Samuëlem dedit, cum dolore oranti et in afflictione cordis[3]. Time justum Deum, o homo, qui agnam Susannam de sævissimis lupis liberavit[4]. Crede mihi ac morem gere, adolescens, et alabastrum da regale atque electum, sicut jam ante dixi. Si enim scires, o homo, flammam cordis mei, ipse sane festinares hinc me dimittere. »

VII. At pharmacopola rursus ad eam. « Interrogare, inquit, te volo de alabastro. Ausculta, o mulier : multis me conjurasti et condemnasti, ut tradam tibi unguentum : et

[1] Jos. III, IV, V, VI et X. — [2] Gen. XVII, XXII et XXXII. — [3] I Reg. I. — [4] Dan. XIII.

ego te frequens rogavi, ut diceres. Numquid omnibus superior atque sublimior ille est hominibus, et non est eo super terram speciosior aliis, quod ita pulchritudine illius vulnerata sis, ut unguentum electum specioso illi deferre velis? Numquid ex progenie est Davidis regis Justi? aut magni Abraham amici Altissimi? Dic jam ergo mihi, quis ille sit, quod tanto studio atque desiderio tenearis videndi pulchritudinem ejus?»

VIII. Tunc respondens mulier ait aromatario : « Quid ita me cogis recensere tibi arcana mea? non ut tecum disputarem, sed unguentum abs te compararem, veni. Time Deum immaculatum, o homo, et miserere mei, et cito dimitte me, ut studiose magno amatori meo casteque occurram, eique alabastrum offeram. Quocirca ne moram mihi nectas, ut non auctor æterni mihi doloris fias, tali tantoque thesauro orbatæ. »

IX. Ad quam denuo unguentarius : «Nisi, inquit, aliqua labores invidia, patefacito mihi illum tuum benefactorem ; ut et ego prompte libenterque eum amplectens, præbeam tibi quod a me deposcis regale unguentum : quinetiam me tam bonæ expectationis tuæ, ut puto, adjutorem sociumque invenies.»

X. Cernens igitur mulier magnam aromatarii inquisitionem verborum ad ipsam factorum, vehementer studium atque diligentiam ejus admirata est, quod tanto desiderio cognoscere illum contenderet, et deinceps respondit, ac dixit : «Neminem, ut arbitror, in civitate latet, quæ ego admisi, quacumque me ipsam hora fornicationibus polluens, et alios ad eamdem immunditiem alliciens atque inescans. Vidi autem repente Sanctum illum, qui in terris apparuit, medicum et Salvatorem, et anima mea illico immaculata illius pulchritudine capta est. Conspexi quippe oculis meis medicamenta horribilia, et signa incomparabilia, maxi-

mamque in ipso compassionem atque indulgentiam. Peccatores recipit, ad publicanos accedit, leprosos non respuit, impios non repellit : sed omnes pariter suis commiserationibus suscipit, non succensens ullis ad ipsum accedentibus. Hæc autem cernens, obstupui, et ad me ipsam dixi : « Quomodo vivam ego misera et infelix, nisi ad ipsum accessero? nam et lascivia atque impudicitia, putredo maxima. Quare me ipsam negligo? nam aliud tempus ejusmodi invenire nunquam potero, neque alium talem Medicum adeo benignum. Ego persuasum mihi habeo, quod Deus is sit qui apparuit, magnam auctoritatem ac potestatem habens. Verbo omnia jubet, verbo cunctos sanat, et peccata condonat magna cum potestate atque auctoritate. Tempus cum ejusmodi jam invenerim, medicumque talem, obtorpescere non debeo, nec me sanitatem propriam negligere oportet. Propterea festino tradere optimo indultori tabulam ac syngrapham debitorum meorum : novi enim, quod supra mensura et modum peccavi, et nequeo exprimere impudicitiam et lasciviam meam. Cæterum ad multitudinem viscerum pietatis ac misericordiæ ipsius comparata, velut guttæ atque stillicidia sunt omnia peccata mea, certoque novi, quod, si solum ad eum accessero, statim mundabor ab omnibus malis et iniquitatibus meis, expellens a me quodcumque opus absurdum atque illicitum : quoniam cœlestis est, et sanctus atque immaculatus. Ecce, adolescens, omnia tibi occulta cordis mei percensui : præbe mihi deinceps unguentum : jam enim multo me tempore detines ac impedis, et dicere compellis, cuinam unguentum hoc deferam. »

XI. Quæ omnia aromatarius audiens, cum gaudio cordis ad mulierem dixit : « Gratias tibi ago, o mulier fidelissima, quod bonum animi tui institutum atque propositum revelaveris mihi. Magnum repente acquisivisti tibi amato-

rem cœlestem, qui verbo solo omnes sanctificat ac mundat : divinum plane opus, et omni laude plenum, remque valde utilem vis agere, o mulier, cunctis generationibus. Maxima hæc revera est salus, tibi autem ipsi prima, et omnibus peccatoribus. Filia tu es Patrum, et consanguinea Sanctorum eorum, qui recte in Deum sanctum crediderunt. Parvum autem tibi ego consilium suggeram, quod bono velim animo citra omnem reprehensionem accipias. Nosti et ipsa clare, quod Pharisæi improbi sint, et ei contrarii ac repugnantes : quoniam Deus magnus est, et amator hominum benignissimus, sua pietate ac misericordia peccata dimittens. Si te igitur illuc ingredientem conspexerint, occludent tibi januam, et contumeliis indesinenter atque verberibus te excipient. Ipsa vero audiens, ne animo percellaris omnino, sed mente esto quavis petra solidior ac firmior. Nam si in operibus fornicationis fuisti impudens, quanto magis hic pro tua salute inverecundam te præbere debes ? Futurum quippe est, ut omnes liberi et servi, janitores, atque ministri graviter te ibi increpent; at tu cuncta contemnens, audacter ad ipsum Sanctum magna cum humilitate ingredere, sicut ipsamet prius dixisti, ac vestigia immaculati cum desiderio complectere, et beata eris. Ecce enim audivi, in domo Simonis unius ex Pharisæis ipsum esse hodie. Vade ergo in pace, et cum gaudio ingredere, ac hilare alacriterque ad eum accede, ut munus ipse tuum suscipiat. Ecce unguentum electum, pretiosum et Salvatore dignum tradidi tibi, o mulier fidelis, et pro me ora. »

XII. Sumpto itaque unguenti electi alabastro, mulier læta abiit, et intra se orans dixit : « Quis dabit mihi ostium apertum, ut statim ingressa, ad sancti Medici vestigia accedam? ipsumque jam amplexa, non dimittam, donec debitorum ab eo remissionem accepero. Precabor autem

alacriter Dominum, qui omnia mea novit occulta, priusquam illi appropinquem : cuncta ipse novit. Ego autem ad bonum Medicum pergo, ut clementem, misericordem, ac bonum mundi Salvatorem videam.» Sic vero mulier Dominum Deum sanctum deprecans, aiebat: «Ecce in domo Simonis, tanquam homo existimatus, recumbis cum ipso, Domine. Tu cordis mei occulta cognoscis, et animæ meæ cogitationem, Christe, nosti: et quamobrem ego pretiosum unguentum detulerim : nimirum, ut ingressa, provolutaque vestigiis immaculatis Divinitatis tuæ, a turpibus actibus, quos admisi, emunder. Novi, Domine, quod Deus sis, et propria misericordia salves cunctos, optime, neque velis quemquam peccatorem perire, Salvator, qui sua voluntate tibi procidat. Nam in plateis duntaxat te vidi, et credidi quod omnia possis. Hoc porro mihi, Salvator clementissime, concede ac præsta, ut accedens sine impedimento ingrediar, ubi ipse recumbis. »

XIII. Hæc, et his plura cum secum ipsa cogitaret diceretque, pervenit ad domum, ubi Christus erat, invenitque portam domus apertam, et ingressa est cum gaudio, statimque a tergo ad Dominum accessit, ac pedes ejus maxima cum fide tetigit, et inclinans caput simul cum corde, multis suspiriis lacrymarumque rivis rigabat pedes ejus cum gaudio, vehementissimoque desiderio deosculabatur, quos et capillis capitis sui abstergebat, ac unguento studiose inungebat, dicens : « Ecce solus ipse, Domine, » nosti quomodo ego ausa sim istud agere. Non ignara, Domine, vitiorum meorum, audacter ad te immaculatum Deum accessi : at salvari cupiens procidi tibi, instar publicanorum. Suscipe, Christe, lacrymarum mearum rivos. Suscipe, Christe, desiderium infelicis animæ meæ. Audacia mea pro obsecratione sit mihi, et impudentia mea in orationem, ac unguentum meum in propitiationem fiat, Im-

maculate, et contritio cordis mei in illuminationem. A pueritia audivi a multis dicentibus Deum ex Virgine natum esse; et cupiens accuratius addiscere, ego perquirebam, quo pacto posset, qui carnis expers est, incarnari? Et respondentes parentes mei dicebant eam traditionem a majoribus de eo manasse, quod Deus sanctus ex Virgine in carne nasceretur super terram : quod quidem et ego intellexi, cum adhuc juvencula essem. Ecce jam cerno oculis in veritate Deum magnum et sanctum in carne nostra apparuisse, ut salvet nos. Non te video, sicut videt Simon Pharisæus iste, qui te ad prandium hodie invitavit: at video Deum magnum Opificem omnium, qui solo verbo universa constituit. Agnicula sum ovilis tui errabunda : converte me in mandram et caulam tuam, Salvator : tu enim solus es bonus pastor, qui congregas aberrantes in caulam atque ovile tuum. Columba tua sum, Domine, rapta ab accipitre sævissimo. Flagrat anima mea, magno sanctitatis tuæ, Domine, amore vulnerata. Gratiæ tuæ beneficio, Immaculate, pessimum fœtorem iniquitatum mearum expelle a me. Pro unguento, clementissime, cicatrices delictorum meorum, lacrymarum ablutione, gratia tua emunda. Gratia tua os meum aperit. Ista coram te recensere audeo, ut forma atque exemplar bonorum reddar peccatoribus, quos ipse salvaturus venisti, benignissime. Ne, quæso, Salvator, lacrymas infelicis cordis rejicias. Novi enim nihil tibi esse impossibile, sed omnia te posse.»

XIV. Solo corde mulier oravit Dominum, qui corda hominum finxit, et pro unguento suo unguentum vitæ recepit, pro corruptibili incorruptibile ac permanens in sæcula. Non erat comparandum illud quamvis fragrantissimum cum unguento verbi Domini. Obtulit illa unguentum bonum et charitatem : et lapsuum veniam recepit. Siquidem Salvator Christus, qui futurorum præscius est Deus,

animæ pereuntis propositum justificavit, non quidem occulta pandens delicta, quæ antea peregerat admiranda mulier; sed prius debita, postea charitatem ejus prædicavit.

XV. Hæc ego mente mecum perpendens, charissimi et fideles, summopere de illa obstupefactus sum, quomodo ingressa sit, et sine timore ad ipsum accesserit; quomodo ante conspectum omnium convivarum ibi discumbentium fleverit : quomodo ita libere atque audacter capillos suos explicuerit : quomodo pedes Christi inverecunde irrigaverit : et quo pacto nullus omnino eam inde expulerit, nullusque prorsus indignatus ac stomachatus in eam fuerit : sed perquam suavis potius atque jucundus ipsis fletus illius fuisset, et cunctis gemitus ejus dulcis. Muti enim et obstupefacti novitate rerum, quæ cernebantur, erant : novum siquidem et inauditum miraculum erat, quod in convivio illo apparebat : mulierem scilicet meretricem non vocatam illuc ingressam fuisse, et retro mensam stetisse, et capitis capillos super pectus gestasse; et quod manibus alabastrum unguenti electi teneret, et non esset qui eam interrogaret : « Cur huc intrasti? » aut diceret: « Quid hic quæris, o mulier ?» neque ex discumbentibus quidem illis, atque comedentibus; sed erat omnibus dulce ac suave miraculum, et spectaculum admiratione dignissimum jucundissimumque. Omnes Archangeli tremore correpti erant : Cherubim et Seraphim timore perculsi aderant, contemplantes maximam mulieris fiduciam, pedes Domini cum fervore tenentis. Et Cherubim quidem in eum respicere omnino non audent : mulier vero peccatrix pedes ipsius osculatur. Seraphim facies suas alis cooperiunt [1], et mulier peccatrix palam et aperte adest. Angeli appropinquare throno nequeunt, et mulier vestigia ejus capillis suis abstergit.

[1] Isaï. VI, 2.

XVI. O mulier fidelissima, quo ego pacto excellens ferventissimi propositi tui philtrum commendabo! O mulier, quomodo magnum perfectæ animæ tuæ in Deum desiderium laudabo? aut quis sic dilexit, quemadmodum tu amasti? quis hominum ita acceptus fuit, sicut tu grata et accepta fuisti?

XVII. Hæc omnia Salvator pro generis humani salute pro sua clementia dispensat, ut fiduciam præbeat, qua ad pœnitentiam recurrant qui delictorum vinculo constricti tenentur. Interea vero cum precibus et lacrymis mulier incumberet, videns Pharisæus, summopere est animo conturbatus. Cæterum pœnitentia ductus, quod Christum in domum suam tanquam Prophetam invitasset, et amaras in corde suo cogitationes fovens, intra se ipsum sic aiebat: Hunc ergo Prophetam esse existimabam, futurorum præscium, præteritorum cognitorem, et vatem perfectum. Nunc autem novi ipsum instar cæterorum hominum esse, et neque ea, quæ ob oculos versantur, scire.

XVIII. At vero Dominus, qui cordium arcana, tanquam creator, semper scrutatur[1], non statim hominem nequam dure increpavit, sed patienter occulta voluit in lucem proferre. Summa itaque cum mansuetudine atque benignitate, ænigmatice ei aperuit quæ cogitabat. «Simon, Simon, inquit, habeo tibi parabolam edicere, teque sermonum meorum judicem volo constituere. Fœneratori uni duo erant debitores, quorum unus ei debebat quinquaginta aureos, et alter quingentos. Cum autem ambo in paupertatem incidissent, videns magnus ille fœnerator eorum angustias, utrique debitum æque dimittens, magnam suam misericordiam palam ambobus exhibuit. Tu vero quam de ambobus sententiam pronuntias? Quis eorum debet plus diligere eum, qui ipsis debitum dimisit? cui

[1] Rom. VIII, 27.

minus donatum est, an is, cui plura sunt dimissa? uterque enim ab ipso remissionem debitorum accepit [1]. »

XIX. Respondens Simon : « Cui plura, inquit, donata sunt, is certe plus eum debet diligere. » Tum Dominus : « Recte, inquit, judicasti. Audi nunc, et dicam tibi quæ ignoras. In domum quidem tuam, me honorare volens, vocasti ; sed aqua pedes meos, tanquam Prophetæ, non abluisti. Hæc vero, quam cernis, mulier, lacrymis suis pedes meos lavit, et capillis suis abstersit. Similiter osculum mihi, Simon, non dedisti : hæc vero non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti : ista vero pedes meos optimo unguento unxit. Quapropter dico tibi : peccata multa, quæ tu a me ignorari putas, remittuntur ei, quoniam charitatem et dilectionem circa remissionem ostendere prævenit. Qui enim minus diligit, minus ei dimittitur : et qui plus diligit, plus ei condonatur [2]. » Cæterum ne scandalizeris de salute istius peccatricis ; ego enim veni, ut peccatores salvos facerem, eosque, qui in tenebris sunt, illuminarem. Quæ exploratores suscepit Rahab, cum in Deum Patrum studiose credidisset, nosti quomodo salvam illam fecit Josuë filius Nave, compertam exploratamque habens illius fidem, ita ut nomen quidem ejus in omnibus generationibus scriptum sit ; fama vero in duodecim tribubus Israël resonuerit : ita et nunc istam ego suscipio : quemadmodum enim ipsa me in fide immota, et in perfecta charitate dilexit : sic et ego eamdem ex toto corde, et ex tota anima electam suscipio : eritque in Justorum numero, qui me dilexerunt ; et dimittentur ei debita ; nomen autem ejus in sæculum sæculorum non delebitur ; sed in generationem generationum narrabitur id quod ea fecit, in memoriam ejus : ita ut præclarum ipsius facinus discentes omnes, fiant et ipsi bonorum operum amatores, æterno-

[1] Luc. VII, 40-42. — [2] Ibid. 43-47.

rumque ac copiosorum munerum participes. Cujus utinam mulieris admirandæ et nos imitatores reddamur, et confitentes peccatorum sordes, lacrymis eas expurgemus, et a sancto Deo benignitatem atque clementiam consequamur. Quoniam ipsius est gloria, Patris et Filii et sancti Spiritus, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

Adversus improbas mulieres.

I. Nulla igitur par fera improbæ ac maledicæ fœminæ. Quid enim inter quadrupedia leone terribilius? aut inter reptilia dracone crudelius? Verum nihil ad malam mulierem. Quod autem malitia leonem et draconem mulier improba superet, fidem hujus facit Sapiens, dum ait : « Commorari leoni, et draconi placebit, quam habitare » cum muliere nequam [1]. » Etenim leones in lacu Danielem veriti sunt; at Nabuthem Jezabel occidit. Cete in ventre suo Jonam servavit; Dalila vero Sampsonem, crinibus capitis abrasis, tradidit alienigenis. Dracones, et aspides, ac cerastæ Joannem in eremo timuerunt : Herodias vero in convivio ipsum decollavit. Corvi Eliam in monte sustentarunt : at Jezabel, ipsum post beneficium pluviæ acceptum, ad internecionem persecuta est. Timuit ergo Elias, et fugit in desertum viam quadraginta dierum, conquiescensque expetivit ut moreretur, et ait : « Sufficit mihi » nunc : Domine Deus, tolle animam meam a me : neque » enim melior sum, quam patres mei [2]. » Hei mihi! Propheta sibi timuit a muliere, qui universi terrarum orbis pluviam

[1] Eccl. xxv, 23. — [2] 3 Reg. xix, 4.

in lingua portabat. Qui ignem de cœlo solo verbo deduxit, et in oratione mortuum excitavit, mulierem timuit. Nulla siquidem malitia cum mulieris nequitia est conferenda. Sicut etiam de hoc mihi perhibet testimonium Sapiens, ubi dicit : « Non est caput nequius super caput colubri, et non » est malitia super malitiam mulieris [1]. »

II. O malum diabolicum, et acutissimum telum! Quoniam per mulierem a principio Adamum in paradiso pervertit. Per mulierem castissimum Joseph in carcere conclusit. Per mulierem Davidem ad Uriam dolo occidendum concitavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem ad prævaricandum induxit. Per mulierem Eliam fugavit. Per mulierem Sampsonem oculorum lumine privavit : et præcursorem Christi decollari fecit. Per mulierem cunctos oppugnat, cunctos dedecorat, cunctos occidit, cunctos vituperat, cunctos violat. Siquidem mulier impudens nemini parcit, non sacerdotem veretur, non Prophetam veneratur, non honorat canitiem. O malum malorum pessimum, mala mulier! Et si quidem sit improba, sua improbitate ditatur : sin divitias quoque habuerit suæ improbitati faventes, jam duplex malum, et animal intolerabile, morbus incurabilis, et fera immanis. Novi equidem et aspides assentationibus adductas, mansuefieri, leonesque ac pardos, si deliniantur, cicurari atque mitescere. Cæterum mulier nequam et impudens, si violetur, insanit ; si adulationibus demulceatur, effertur. Et, si virum habuerit principem, noctu diuque verborum, quasi machinis admotis, ad cædes fraudulentas impellit, sicut Herodem Herodias. Et, si vir ipsi fuerit pauper, ad iracundiam, et pugnas eum provocat. Sin vidua extiterit, ipsa per se ipsam cunctos injuria afficit, et calumniatur. Non enim timore Dei suam ipsa linguam refrenat : non in futurum judicium respicit : non in Deum nutum, ac

[1] Eccli. XXV, 22, 23.

ac voluntatem defigit : non amicitiæ leges servare novit.

III. Perversa mulier pro nihilo reputat proprium virum in mortem tradere. Etenim justum Job propria uxor in mortem tradidit, dicens : « Dic verbum aliquid contra Deum, » et morere [1]. » O propositum improbum ! O mentem impiam ! Viri viscera ebullentium pustularum velut a carbonibus perusta, et universam ejus carnem vermibus coopertam videns, non est flexa ad commiserationem. Ipsum totum per omnia suspiriis, et anxietatibus plenum, continuisque ulceribus solutum et exagitatum cernens, ad misericordiæ viscera non est emollita : sicut neque contemplando eum, qui olim in regali purpurea veste, nunc vero in sterquilinio sedet nudus atque putrescens : et non revocat in memoriam, principum cum eo amicitiam consuetudinemque, et quam per ipsum magnificata est, et glorificata : Sed, « Dic, inquit, verbum aliquod adversus Deum » et morere. » O gratiam muliebrem ! O fomentum dolorum efficax ! O amicitiam conjugalem ! Neque enim satis erat ei temporaneus hic dolor, quin et æternum ipsi supplicium per blasphemiam conciliare cupit. Nosse vis hujusce malitiæ mulierem aliam, moribus ab hac haud disparem ? Ecce mihi Dalilam, quo pacto virum proprium, tonso ejus capite, ligatum tradiderit in manus alienigenarum : quoniam proprium membrum, ac conjugem, quem foverat, quem obsequiose coluerat, quem complexa erat, quemque magis quam semetipsam diligere simulaverat : quem heri amabat, hodie fefellit : quem heri amando fovebat, hodie decipiendo sepelivit. Atqui speciosus non erat. Et quis eo pulchritudine clarior ? qui septem crines in capite gestabat, qui septiforme lumen designabant gratiæ ? Atqui non erat fortis. Et quis illo fortior ? qui leonem terribilem solus in via percusserat ; et unica asini mandibula mille viros alie-

[1] Job. II, 9.

nigenas dejecerat. Quin et tantæ erat sanctimoniæ, ut etiam quandoque sitiente eo, et inopia aquæ, orante, ex arrepta in manu ejus mandibula asini emortua, fons aquarum scaturiret : quibus haustis refocillavit spiritum, et vires recepit. Atque hunc tantæ sanctitatis, pulchritudinis et fortitudinis virum propria mulier deturbavit, et velut hostem vinctum in alienigenarum manus tradidit : quem excæcantes illi, ludibrio habuerunt. Et cui neque leones, neque alienigenæ resistere quibant, hunc propria conjux dejecit. Et unde ista potuerunt, nisi ex mera hujus viri bonitate? Mysterium namque fortitudinis ipsius inter dormiendum, noctu per dolum deprædans, illum jam nudum atque inermem circumvenit. Quamobrem nos admonet Propheta, dicens : « Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra » oris tui [1]. » Quæ enim unquam bestia, dic mihi, in maritum suum talia exercuit? Quæ dracæna conjugem proprium interimere voluit? quæ unquam leæna suum maritum ad cædem tradidit?

IV. Vere sic se res habet : non est malitia super malitiam mulieris. Qui igitur uxorem improbam nactus est, intelligat suorum se delictorum tulisse mercedem : ait enim Sapiens : « Mulier improba viro peccatori dabitur. » Et Christus ipse in Evangelio dicit : « Omnis qui viderit mu» lierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in » corde suo [2]. » Vere tremenda hæc est admonitio, et multa vigilantia opus habet. Quid enim est mulier! Laqueus comptus, et homines in voluptate illiciens, quæ splendida quidem facie et excelso collo, oculis annuit, et genis arridet; lingua vero dulciter canens, voce alios decipit, et sermone pellicit, vestes trahens, et pedibus ludens, forma placens, et corpore fornicationem exercens, factisque occidens. « Multos enim vulneratos, ait Parœmiastes, dejecit,

[1] Mich. VII, 5. — [2] Matth. V, 28.

» et innumerabiles occidit [1]. » Quocirca et « Propter spe» ciem, inquit, mulieris, multi perierunt, et ex hoc concu» piscentia quasi ignis exardescit [2]. »

V. Quid est mulier? Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ et malitiæ, mortifera conversatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni, et concupiscentia præceps. Quid est mulier? Causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, eorum qui salvantur offensio, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitium lascivorum, et officina dæmonum. Quid est mulier? Amor flagitiosus, bestia impudens, continentissimus impetus, effrenatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis nequitia, et concupiscentia æterni supplicii conciliatrix. Quid mulier! prudentia terrena, viri socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors : ut non immerito dictum sit a Sapiente : « Parva omnis malitia, præ malitia mulie» ris [3]. » Quod si tu ab hujusmodi cupis affectione, belluaque refugere, audi quid Parœmiastes dicat : « Oculi tui » recta videant, et palpebræ tuæ justa annuant [4]. Et non » superet te concupiscentiæ pulchritudo : et ne capiaris » oculo illius, neve decipiaris nutibus ejus. Mulier enim viri » pretiosam animam capit [5]. Nunc ergo, fili mi, audi me, ne » abstrahatur in viis illius cor tuum, neque decipiaris semi» tis ejus. Multos enim vulneratos dejecit, et innumerabiles » occidit [6]. Et ne respicias in mulieris speciem, sed averte

[1] Prov. VII, 26. — [2] Eccli. IX, 9. — [3] Id. XXV, 26. — [4] Prov. IV, 25. — [5] Id. VI, 25, 26. — [6] Id. VII, 24-26.

» ab ea oculos, et non permaneas in loco ejus [1]. » Quando enim videris mulierem formosam, atque illustrem, fulgentibus oculis, præclara forma, genis nitentibus, aspectu suo eximiam quamdam speciem præferentem, et exardescat animus, et libido augeatur, cogita terram esse, quod miraris, cineremque, quod incendit, et comprimetur insana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, et cernes tunc omnem ejus pulchritudinis vilitatem. Nihil enim nisi ossa, nervos, fœtoresque reperies. Cogita etiam eamdem senescentem, commutatam, morientem, totumque illum evanescentem pulchritudinis florem. Cogita quid admireris, et erubesce. Erubescens resipisce, et pœnitentiam age.

SERMO.

De ebrietate vini fugienda, ac de vitando consortio mulierum.

I. Supervacaneum mihi videtur tuæ erga Deum dilectioni, quod omnibus notissimum est, significare hoc a virtute esse alienum; necesse est igitur non modo in hac parte dæmonum impetum cavere, verumetiam ne cum maribus quidem sermones miscere voluptuosos, atque effœminatos, qui ad perditionem animam conducunt. Neque enim mulieris, tanquam rei pravæ, congressum respuimus, verum quod facillimum est Adversario per fœminarum conversationem, ac colloquium nos pervertere, atque ad Dei præceptum transgrediendum inducere.

II. Oportet igitur nos undique observare impetus spiri-

[1] Eccli. xv, 28.

tuum malorum, spem habentes in armatura, ac virtute Spiritus sancti. Qui enim unam portam claudit inimico, et eidem duas patefacit, atque secure sedere se putat, is certe decipitur. Necessarium est igitur ex omni parte munitos reddere se ipsos, neque occasionem præbere quærentibus opportunitatem. « Deus, enim, non irridetur [1] » et, « Horrendum est incidere in manus Dei viventis [2]; » cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De agone, seu de luctaminibus hujus sæculi.

I. In luctaminibus sæculi nullus sine agone, seu certamine coronatur, et in spiritali conversatione, et proposito sancto nemo sine luctaminibus potest immarcescibilem coronam accipere, vitæque æternæ hæres existere. Nam scammati assimilatus est mundus iste. Semper ergo perfectissimi, et robustissimi athletæ sine aliquo metu, et cum summa alacritate inveniuntur in scammate : timidi autem, et imbecilles, antequam incipiant certare, diffugiunt, et propter mollitiam desidiamque immensam nullo prorsus modo in scammate desudare contendunt. Scamma est autem, fratres charissimi, medius locus, in quo athletæ luctantur. Sic ergo et perfectissimi luctatores, et continentissimi monachi decertant, habentes semper præ oculis jucunditatem paradisi, et expectantes delicias ejus perfrui, et quæ promissa sunt bona, immortalia sæcula, et lumen sempiternum. Vis in agone certare, et victor existere? Indue te armatura Dei, sicut vestimento. Indue te virtute

[1] Gal, VI, 7. — [2] Hebr. X, 31.

animæ, omni sollicitudine hujus mundi exuere, et studiose enitere, ne iisdem pro parva concupiscentia, vel negligentia expolieris. Fuge vinum quasi venenum, ne ebrietas superet te, expoliatumque virtutibus nudum efficiat, quemadmodum Noë sanctum, et antiquissimum virum. Hic enim Justus in illa generatione inventus est nutu Dei, timore diluvii fabricavit arcam in salutem domus suæ, et quem tantæ moles aquarum non vicerant, postmodum a modico vino devictus est, et in diluvio pudore velatus, postea dormiens ab ebrietate nudatus est. Hoc iterum vinum et patriarcham Lot deprædavit, ut contra naturam cum filiabus suis se turpiter fœditerque misceret, et adeo enervatione vini in profundissimo somno demersus est, et pene sepultus, ut quid fecerit, postea evigilans ignoraret. Si ergo sanctis et magnificis viris vini ebrietas non pepercit; quanto magis te exiguum, atque infirmissimum, si ebrietati studueris, superabit?

II. Semper in adolescentia, et juventute time vinum, quia ex vino spiritalis oculus excæcatur, iniquitas multiplicatur, venenata dulcedo libidinis meditatur, et execranda turpitudo, quæ contra naturam est, cogitatur. Mollescit virtus animæ : cogitatio vitæ aboletur æternæ, anima devincitur, visibiliter delinquit, facillime effugatur ab ea cœlestis gratia, sanctimoniam dico, atque virginitatem. Quanto tempore enim fuerit templum corporis nostri sanctum, et mundum, Deus excelsus habitabit in eo; si autem corruptum fuerit, et pollutum, continuo sanctus, et impollutus Deus deserit templum illud, et pro ineffabili lumine cœlesti habitabit in eo obscuritas impurissimi dæmonis, et subintrant concupiscentiæ malignæ, et sordidæ, quæ infelicem animam crebro faciant insanire. Quis ille est, qui non habet lacrymas, si in corde suo meditaverit, quia Deus sanctus repulit templum suum, et concupiscentiæ malæ,

et passiones ignominiosæ habitant in eo : et intellexerit quis eum repulit, quis successit, unde cecidit, quid evenit : a quo separatus est : cui conjunctus est? quomodo non statim repletur lacrymis, et flens, et lugens dicit intra semetipsum : « Quare in uno momento a maligna cogitatione prostratus sum, et effugi agonem gloriosum, nec merui victoriam, et triumphum? Nam in die illa retributionis molles, et resoluti peccatores, et impii, cum viderint justos, et Sanctos gaudio, et lætitia sempiterna exultare, et in paradiso æterno regni Dei degere, se etiam viderint in igne inextinguibili, et in tenebris exterioribus esse, tunc fortiter ingemiscent, et superfluis lacrymis plorabunt amariter, quia detinet eos pœnitudo vanissima, et necessitas pœnarum immensa.

III. Propterea obsecro vos, fratres mei dulcissimi, imitatores estote beatissimorum Patrum, qui sanctissima sua institutione templum Dei purissimum extiterunt. Horum conversationem diligite : horum exempla sectamini. Desiderate jejunium, quod est animæ puritas et castitas. Desiderate orationes, quæ sunt colloquia Dei : omnis enim sancta, et purissima oratio confabulatio Dei est. Denique perfectorum orationes eorum, qui ex toto corde diligunt Deum, cum magna exultatione ad cœlum ascendunt : Angeli etiam, et Archangeli cum gaudio occurrunt eis, et suscipientes eas usque ad thronum gloriæ sancti Dei perducunt. Hæc enim magna gratia sanctorum Angelorum est, et ineffabilis lætitia, cum Sanctorum orationes purissimas coram Deo obtulerunt. Festinemus ergo, fratres, fieri imitatores institutionis, et vitæ sanctorum monachorum. Ambula, frater, in viis eorum. Vive sicut illi vixerunt. Abstinentiam habeto spiritus et animæ, et corporis. Continentiam habeto in habitu. Continentiam habeto in cibo. Continentiam habeto in lingua. Abstinentiam habeto

in aspectu, in cogitatu, et in risu, ut athleta pietatis perfectissimus in omnibus demonstreris.

IV. Considera te ipsum, frater charissime, et vigila ne in tuis orationibus extollaris, sed cum astiteris orare Deum, cum magno timore, et desiderio coram eo consiste. Disrumpeque a corde tuo omnia vincula terrenæ sollicitudinis. Esto per omnia sollicitus, et sobrius in hora orationis, et ita viriliter agonizare, ut sit oratio tua sancta et munda, impolluta, et immaculata, et videntes eam portæ cœli aperiantur coram ea, et Angeli cum lætitia occurrant ei, et usque ad thronum benedicti Patris perducant eam. Sic semper esto, charissime, quemadmodum Cherubim, et Seraphim, qui permanent in ministerio Dei. Meditare, frater, hæc verba, et decanta ea jugiter ex affectu cordis, quæ escam spiritali animæ subministrant, et ab amaritudine eam sua semper dulcedine liberant, ponderibusque terrenorum negotiorum exonerant. Omnia, quæcumque audisti, mente sollicita servare festina, ut requiescat Deus in cogitationibus tuis, ut invenias fiduciam in hora illa terribili, et tremenda, cum venerit Dominus reddere unicuique secundum opera ejus. Indulgete modicum quid infirmitati meæ, fratres charissimi : quasi infirmissimus enim existimo, quod in hora illa omnis spiritus contremiscat. Sed gratia Salvatoris confortat, et lætificat corda Sanctorum, cum rapiuntur in nubibus obviam Christo in aëra. Ego autem, et qui mei sunt similes desidiosi, et pigri, remanebimus super terram, et non facile ad cœlestia ascendemus.

V. Fratres mei dilectissimi, quid nobis potest mundus prodesse, quia ejus sollicitudinibus ligamur? Aut quid lucrabimur de cultu vestimentorum, et ornatu elationis amictus, nisi ignem inextinguibilem? Aut quid acquirimus de studio escarum, et ventris cura, nisi æterna supplicia?

VI. Agnoscite, fratres, quia nisi hic per gratiam Dei totis viribus agonizantes meruerimus triumphum, ibi pœnitebimus in sæcula sæculorum. Fratres mei, quid negligimus? quid desidia occupamur? Quare nosmetipsos in occursum Domini non præparamus? Ecce enim dies appropinquat : ecce universus mundus ad occasum properat. Quare non omnia onera concupiscentiarum, et fœces peccatorum a nobis rejicimus? Nescitis quia arcta via est, et porta angusta, quæ ducit ad vitam? Et peccatorum ac divitiarum sarcinis prægravatos non capit per eam transire. Hos etiam porta illa diligit, qui attenuati divitiis, et voluntaria paupertate afflicti, semper in vigiliis, in jejuniis, atque humilitate, omni tempore vitæ suæ conversati sunt, et paraverunt seipsos, ut videant immortalem Sponsum, et possideant regna cœlorum. Ecce, charissimi, jam ostium nos paradisi vocat; jam crebro sono nos hortatur, et dicit : « Priusquam claudar, unusquisque vestrum velociter properet, ut introiens, in æternum cum Domino regnet. » Ecce mater nostra Jerusalem cum magno gaudii affectu clamat ad nos, et dicit: « Venite, filii mei dilectissimi, venite ad me, dilatetur numerus vester in me, et in thalamo immortalis Sponsi magnificentur chori vestri cum Angelis sanctis. Videam vos in gloria, et pulchritudine, et decore. Videam vos in lætitia, et exultatione et gaudio. Diligite me, filii mei, sicut et ego vos diligo. Nihil possideatis in terra, nihil sitis solliciti. Ecce sponsus meus jam paratus est, ut procedat, et veniat in nubibus cœli, et in gloria Patris sui benedicti. » Tunc unumquemque vestrum singillatim suo nomine vocabit, et ordinabit eum in officio, quo pro suis meritis, et laboribus dignus extiterit. Nam in studio vestro, ac vigilantia Angeli, et Archangeli omnesque Virtutes cœlorum, exultant. Similiter et negligentia vestra, et stupore cum ipsius satellitibus inimicus tripudiat. Festinate ergo, filii

mei, ut et ego de vobis, vosque de me gaudeatis in sæcula sæculorum. Amen.

VII. Procidens adoro te, et obsecro, Christe Fili Dei vivi, præsta mihi, et omnibus diligentibus te, ut videamus regnum tuum cœleste, et possideamus illud cum omnibus Sanctis. Amen. Charissimi, in hoc brevi tempore si neglexerimus, nullam omnino excusationem habebimus, quam pro nostris facinoribus obtendamus. Dominus nunc noster descendens de cœlo in terram, omnia nobis condonavit, debita nostra dimittens, et vitam nobis æternam contribuens. Nam cum inimici essemus, reconciliavit nos Deo per mortem suam. Terreni eramus, et cœlestes sumus effecti: mortales, et immortalitatem accepimus; filii tenebrarum, et facti sumus filii lucis; captivi, et redempti sumus; perditi, et invenit nos; servi peccati, et liberavit nos; pauperes, et divites facti sumus; infirmi, et sanati sumus; odibiles, et dilecti sumus; injusti, et justificati sumus; non misericordiam consecuti, et misericordiam consecuti sumus; peccatores, et salvavit nos; dispersi, et congregavit nos; nudi, et operuit nos; filii hominum, et facti sumus filii Dei; hæredes, et cohæredes unigeniti Filii ejus. Ecce omnia nobis ista donavit, priusquam quæreremus eum, aut inveniremus.

VIII. Irrisionem ergo malam, aut exprobrationem fratris, ne cor tuum aliquando suscipiat; nec eum qui pro peccatis suis pœnitudinem gerit, despicias. Ne irrideas fratrem tuum jejunantem, et eum qui jejunare non potest, ne confundas. Argue eos qui te suscipiunt. Agnosce honorare temetipsum, nec importunus existere, et tunc omnibus opportunus, et utilis poteris esse. Increpa, et in mansuetudine persevera. Propter penuriam autem ne te despicabilem facias. Timenti Deum revela mysteria ejus; ab eo autem qui timorem Domini non habuerit, sed superbiæ, et

elationi semetipsum subjecerit, omnimodis cave. Adversus abstinentem, neque dixeris quidquam mali, neque audieris, nec adversus eum qui putatur inimicus tuus; hoc autem præ omnibus stude, ut nullum habeas inimicum, nisi diabolum ejusque ministros. Cum homine iniquo, et doloso ne habitaveris, et cum maledico ne alloquaris, ne det inhonorationem animæ tuæ. A detractione, et supplantatione, frater, abstineto, et ab eo, qui supplantare alterum conatur, attende. Hæc monachis congruunt, qui cœlesti jugo sua colla submittunt. Hæc Discipuli Christi custodiant: his monitis meis, sine intermissione intendant. Decet enim eos Magistri sui Christi imitatores existere. Exempla institutionis nostræ, charissimi, sumamus a Christo Domino, qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est. Excelsus, et æqualis Patri, semetipsum humiliavit. Porro super cœlos habitans, in terris non habebat ubi caput reclinaret.

IX. Factus es mihi, Christe Salvator, dux viæ, et vitæ, quæ ducit ad Patrem. Mansiones ejus gratiæ sunt. Fines ejus regna cœlorum sunt. Factus es mihi, o dominator Domine Fili Dei vivi, fons vitæ, ex quo dona tua haurirem, et te sine intermissione diligens collaudarem. Facta est gratia tua in corde famuli tui, lumen et gaudium, et dulcis super mel, et favum ori meo. Facta est gratia tua in anima servi tui, quasi thesaurus, tribuens mihi ineffabiles divitias, et paupertatem, atque miseriam longe a me expellens. Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, gloriatio et protectio, et esca spiritalis plena suavitate, et lumine. Quomodo possim silere, o Domine, de illa multitudine dulcedinis et charitatis tuæ gratia, quæ os meum, licet indignissimi peccatoris aperuit? Aut quomodo sustinebit lingua mea, ut non te singulis horis, ac momentis datorem vitæ glorificet? Aut quomodo iterum potero inundationes gratiæ tuæ excludere, quæ jugiter fluunt in pec-

tore humilitatis meæ, plenæ dulcedine, et omni gratia spiritali?

X. Psallam nomini tuo glorioso, Domine rex cœlorum, qui mihi tribuisti dona tua cœlestia. Magnifico gratiam tuam, Christe Redemptor meus. Cum enim te magnifico, ego ipse magnificor coram te. Non cessabit lingua mea collaudare virtutem tuam. Non cessabit cithara mea personare spiritalia cantica tua. Desiderium tuum attraxit me post te, Christe gloriatio vitæ meæ. Gratia tua dulcedinem mihi præstitit ad sequendum te, spes mea. Efficiatur cor meum terra bona ad suscipiendum semen tuum. Irroret eum gratia tua rore vitæ æternæ. Dimittat bonitas tua manipulum bonum de agro pectoris mei, id est, compunctionem, et sanctimoniam. Converte animam meam in requiem deliciarum paradisi. Tu ovem errantem requisisti, et inventam tuis humeris reportasti; et hanc indignissimam animam meam manibus tuis attrahe, et offer benedicto et immortali Patri tuo coram Cherubim, et Seraphim, et coram Angelis sanctis, ut deliciis paradisi perfruens cum Sanctis omnibus dicam: « Gloria Patri immortali, gloria Filio immortali, gloria Spiritui sancto immortali in sæcula sæculorum. Amen. »

SERMO.

De morbo linguæ, et pravis affectibus.

I. Diversæ in cunctis hominibus sparsæ reperiuntur cupiditates, ut unusquisque aliquod certamen habeat, in quo mentem assidue exerceat. Sunt enim qui gulæ luxuique sunt dediti, et ab adulterio abhorrent. Alii superbia tur-

gent, et a furto abstinent. Alii avaritiæ student, et corporis voluptates spernunt. Quidam ornatum vestium negligunt, et luxuria diffluunt. Nonnulli vino delectantur, et a superbia sunt alieni. Alii a fornicationibus remoti sunt, sed occultam in animo simulationem fovent. Sunt qui vestium ornatum damnant, et obtrectatione gaudent. Sunt quidam vitio aliquo superiores, cum in alio interim toti volutentur. Nonnulli ab una aliqua sunt labe remoti, et in alia fœdissime versantur. Quidam, dum laqueum unum evaserunt, in alio sunt vitiorum cœno sepulti. Multa enim ac infinita sunt vitiorum genera, decipiunturque paulatim homines, et ex perexiguis indiciis res magnæ noscuntur. Cumque hominem circumvenire studet inimicus, in quod vitium proclivior inclinet ejus natura, eo ipsum implicat : ut dum suis ipse gaudet vinculis, ne exolvi quidem velit. Probe enim novit callidus et versutus hostis, quibus ac qualibus nos vinculis obstringat : et si quem invitum in suas casses conjecerit, fore ut, celeriter confractis illis, mens iterum in libertatem se vindicet. Quapropter jucunda ac grata unicuique vincula injicit, in quibus libentius conquiescat. Potest enim mens nostra ex inimici se laqueis eximere. Nunc vero iisdem obstricti gaudemus, ipsaque captivitate superbimus. Qui enim invidiæ vinculis constringitur, quoniam a libidine alienus est, se liberum plane existimat : et qui calumniæ vitio obnoxius est, quia rapinas ac furta odit, nullo se prorsus modo vinctum esse arbitratur. Sua quemque latent vincula; et laqueos sibi paratos ignorat, ebriorum instar, qui vino perfusi, nec se vinciri sentiunt, neque objectos sibi laqueos præ ebrietate vident.

II. At benignissimus Dominus hoc veluti jugum aliquod, variis quasi occasionibus, omnibus imponit; dum singulis pro ratione virium, onera partitur. Tempore, quo tabernaculum ab Hebræis constructum est, a cunctis tam pau-

peribus, quam divitibus aliquid ad participationem salutis offerebatur. Pro sua quisque facultate munus afferebat : alius aurum, alius margaritas, alius lapides pretiosos : pauper pilos, ac pelles compositas ; mulieres opulentæ sericum; viduæ lanam tinctam. Atque ita universus tabernaculi apparatus, et divitum simul ac pauperum muneribus conflatus, omnes commendavit. Suscipiebat enim singulorum vota Dominus tam pauperum quam divitum, volens in eo ostendere se quemadmodum ea, quæ ad tabernaculi constructionem quisque pro suis facultatibus obtulerat, accipiebat, ita et pro cujusque opere preces ac vota singulorum absque ullo personarum respectu, suscipere. Dominus enim diversis nos occasionibus ad salutem perducere studet, quemadmodum inimicus variis nos modis perimere conatur. Et quemadmodum latro vel unico confessionis verbo factus est civis paradisi : ita uno verbo blasphemiæ redditur quis reus gehennæ.

III. Lepra mulctata est, instar nivis, Maria, ut damnaretur propter unum maledicentiæ verbum : et quamvis esset alioquin Prophetissa, pœnam tamen subiit morbi linguæ. Quo igitur supplicii genere digni sunt illi, qui sunt sine ullo delectu contumeliosi? Et cum id, quod erat, Maria diceret, veritas tamen reprobata est, quod maledico animo loqueretur : ita quoque si quis alicui jure maledicat, ipsius justitia est injustitia referta. Vel enim hominem jure coargue, vel ne clanculum maledicas; vel increpa libere, vel ne occultis insectare contumeliis. Pro nihilo enim habetur justitia, cum admiscetur illi dolus et improbitas : quemadmodum et improbatur illa sanctitas, quæ impuritatem sibi conjunctam habet. Inutilis quoque ea est castitas, quæ permiscetur libidinibus. Vana est et illa fides, quæ præstigiis ac vaticinationibus obstricta est. Inanis illa est concordia, in qua cernitur simulatio. Nullius est

illa beneficentia, quæ comitem sibi habet superbiam. Nihili fit jejunium, si detractio adsit. Despicitur et charitas, si zelo vel æmulatione turbetur. Res naturales attendens, disce ab iis quæ scripta sunt. Veritatis pulchritudo deformis redditur, quando super improbitate extenditur. Quin et cibus interficit, in quo aconitum latitat. Caro licet munda, communis immundaque habetur, eo quod sacrificiis et immolationibus coinquinatur. Ex iis igitur, quæ manifesta sunt, latentia atque occulta intelligi debent. Descriptione enim Mariæ, exemplum veritatis nobis exhibuit. Nam aperte corpus illius lepra occupavit, quia clam lepra peccati animam suam infecerat. Ex manifesto malo, peccatum innotuit quod latebat. Ex teterrima ipsius lepra docemur quam grave ac detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione, patefactum est quomodo hominis maledici ac detractoris corrumpatur animus. Per hominem exteriorem, hominem suum interiorem intellexit. Nam sicut illa defecerat a fratre suo; ita et ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret. Discamus igitur et nos hinc concordiam et mutuam benevolentiam: et agnoscamus, quemadmodum ob corporis mutationem doluit illa, sic illi, quod a proprio fratre alienior facta esset, indignatum fuisse Deum. Ideoque corpus hominis ob varia peccata variis sæpe morbis affici et immutari videmus. Membra enim corporis ei redduntur inimica, quia ipse ab amicis se alienari permittit, atque ut discat ex illa corporis contrarietate concordiam et pacem fovere cum aliis. Pervulgatum est totis castris Mariam repente lepra correptam esse, quod linguam in mitissimum fratrem, qui pro ipsa deprecabatur Dominum, exacuisset. Unde justus Ultor meritas

de Prophetissa, propter ejus linguæ petulantiam, pœnas sumpsit : susurrationes enim et detractiones abominatur, quibus homines insipientes delectantur.

IV. Plurimis licet signis atque miraculis claruisset Moyses, ubi modice lingua lapsus est, e terra promissionis excidit[1]. Magnum et horrendum mare viam ei præcludere non potuit : sed verbum unicum inique ab eo prolatum, velut murus aliquis ipsi obstitit, ne ulterius progredi posset. Si Moysem, qui Dei instar factus erat, vel solum verbum exclusit a terra promissionis, quanto magis nos lingua nostra, quam exacuimus ac stringimus, a regno Dei arcebit? Ignis sanctus justos devoravit sacerdotes, qui cum sancta tractarent, actionibusque ac functionibus illis sacerdotalibus sancti essent, verbis tamen polluti erant[2]. Si tales tantique viri talia sunt perpessi, quomodo hoc vitium quasi parvum lingua nostra contemnit? Quapropter conviciis ac maledictis fratres nostros insectari desinamus. Terra tunc, prætermissis impiis atque impuris, devoravit maledicos. Mare Ægyptios absorbuit, et terra contumeliosos, et susurrones[3]. Dux exercitus, famis tempore, verbum iniquius protulit, propter quod meritas pœnas luit, cum populi pedibus conculcaretur in porta. Ex hoc proximo subitoque judicio, de futuro tibi sit exploratum, juxta verbum Salvatoris, quo dixit : « De verbo otioso rationem » reddes[4]. »

V. Variis igitur occasionum laqueis miserandum mortalium genus invadit inimicus. Alii enim, tanquam ære gravati alieno, detinentur : alii tanquam fidejussores trahuntur : ipsaque natura et experientia docemur, aliorum occasione ac nomine perire, et qui nihil ulli debent, non minus quam debitores, demergi. Quo quidem exemplo,

[1] Num. xx, 11, 12. — [2] Levit. x, 1, 2. — [3] 4 Reg. vii, 20. — [4] Matth. xii, 36.

justorum et injustorum patefiunt debita. In propriis quippe rebus contingit ut justus sit innocens; at in alienis reus invenitur. Nam si quis, eo præsente, veritatem ipsam irrideat, aut virum aliquem justum maledictis insectetur, ipse autem ad ea conticescat; hoc ejus silentium ipsi vertetur in crimen. Audiendo enim talem, et non reprehendendo, maledicta ejus comprobare videtur tanquam vera. Atque hoc ex magnorum etiam principum intelligi licet potestate. Si quis enim vel jure in regem peccantem invehatur; qui præsentes sunt, ea, quæ adversus regem dicuntur, audire renuant. Si quis autem adesse pergat et audire, jam idem in utrumque supplicium constituitur; unusque propter vitium linguæ, alter propter auditum damnatur. Narrat aliquid obtrectator, et tu illi præbes aurem; et quam ille suo ore inferre studet necem, tu eam aurium tuarum sinu excipis, acerbissimumque mendacii fermentum in animo tuo commisces. Unde mors principium habuit? Nonne per aures Evæ, dum eam serpens alloqueretur [1], aditum sibi patefecit? Potest enim improbus et malignus, per os loquentis, tacentem occidere : et quem proprio lædere nequiret ore, per auditum interficit : quemque opere insontem videt, cogitationibus perimit.

VI. Dæmones ipsos clamoribus veritatem confitentes, Salvator noster obmutescere jussit [2] : neque enim ipse, qui erat veritas, ipsorum opera sibi fidem haberi voluit; sed quæ vera sunt, per veros prædicatores nuntiari. Cur Apostoli Dæmonem, a quo laudabantur, audire renuerunt [3] ? Nonne ideo, ne mundæ et castæ eorum aures impuris illorum vocibus contaminarentur ? Si laudes diaboli, velut maxima probra vitarunt homines sancti, quis obtrectationes probare poterit? Versipellis inimicus specie veritatis decipere solet eum, a quo toleratur. Ideo Salva-

[1] Gen. III, 1-5. — [2] Luc. IV, 35. — [3] Act. XVI, 16-18.

tor ne vera quidem a dæmonibus audire voluit. Eadem etiam pluvia irrigantur herbæ malæ et bonæ : cum sit ejusdem rationis aqua, et quidem bona natura, in herbarum tamen vitium influit. Et serpens, quamvis dulcissimis vescatur, subito ea in amaritudinem vertit, quam si in aliquem effuderit, væ illi. Sic ex veritate mendacium confingitur, velut cicuta mortifera. Nam sub verborum ejus dulcedine, amaritudo latet exitiosa. Ad fallendos simplices, linguæ dulcedinem antiquus serpens adhibet : cujus rei exemplum tibi sit Iscariotes, qui sub oris osculo, et lingua pacem simulante, dolum occultans, adversus Dominum, qui scrutator est cordium, molitus est proditionem. Quod si in ipsum Creatorem talis visus est mendax, in te qualis erit? O insipiens, quis mendace scelestior, nisi is, qui suas ultro aures verbis illius accommodat. Seipsum morti obtulit Salvator, et sermonibus mendacii aurem nequaquam præbuit. Os suum aperiens, acetum cum felle gustavit, qui scelesti verba auribus excipere recusavit. Os proditori osculandum exhibuit [1], et deceptori responsum dare noluit. Sic et tu os tuum mendaci osculandum præbe, aures vero nequaquam. Nam si tuum illi os præbueris, osculum illum condemnabit; sin aures ei accommodaveris, jam te verborum gustus occidet. Melius autem fuerit, si odorem pariter et gustum veneni evitaveris. Cur fumum celerrime fugis, mendacem autem cum voluptate auscultas? a fœtore abhorres, et apud maledicum sedes? singula corporis membra decenter a rebus noxiis tibi servanda sunt. Si corpus a fornicatione alienum sit, os tuum a detractione custodi. Os enim, quod mœchari nequit, mentiri sane et obloqui potest. Si unum e membris tuis valeat, et aliud langueat, totus laboras uno membro laborante. Exemplum a militibus cape. Nonne totum corpus militis

[1] Matth. xxvii, 49.

ferreo thorace munitur? Accidit autem et illud ob laxiorem constitutionem lædi. Nam si per tenuem aliquam rimulam telo aditus patefiat, strenuo militi mortem affert : quanto magis per apertas aurium fores morti ingressus dabitur? Magna siquidem est auris porta : quippe per quam mors in mundum ingressa, cunctas devoravit gentes, et insatiabilis adhuc remanet. Seris igitur ac vestibus obstruendæ tibi sunt aurium fores, ne maledicentia et obtrectatio subintrare possit.

VII. Ne detractionis vitium parvum ducas, et tanquam interficere non valeat. Ex volucrum aucupio disce, quæ parva videntur, non ideo contemnenda. Contingit enim, ut avis in laqueum incidens, minima capiatur unguicula, et alarum vires franguntur ac debilitantur ob unguem vilem ; et cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen in eo retinetur. Divinus quoque Apostolus unam et eamdem in homicidas et maledicos, luxuriosos atque adulteros sententiam statuit. Nemo, inquit, istorum, regnum cœlorum possidere potest[1] : et æque ait istos, justi judicii tempore, cœlesti hæreditate privandos.

VIII. Ut autem cunctos manere supplicium intelligas, qua de causa Chanaan in maledictionem æternam incidit? Nonne ideo, quia Justum irrisit? Neque enim ob aliud facinus grave damnatus est; sed ob levem irrisionem, in horrendam illam sententiam incurrit, et propter petulantiam linguæ tam acerbas pœnas dedit. Mundæ erant cogitationes ejus, sed os ejus ipsum perdidit. Si ob modicum risum, in tantam ille calamitatem decidit, quis non pertimescat, irrisionesque ac ludibria fugiat, ex quibus execrationes et maledicta ejusmodi emanant? Justus enim ille, Chanaan a benedictionibus excludens, tradidit illum maledictionibus : descripsitque in eo judicium futurum,

[1] 1 Cor. vi, 9, 10.

quod subituri sunt qui ludibriis atque irrisionibus delectantur. Si diabolus, prætextu dilectionis et charitatis, suggerit alicui, ut se exhilaret ac risu oblectetur; et Chanaan dum se exhilararet et risu gauderet, maledictionem sibi conciliavit. De malis ac damnis, quæ in ludibriis et irrisionibus latitant, sapientissimum audi Salomonem ea explicantem : « Qui, inquit, irridet hominem, exprobrat fac» tori ejus [1]. » Hominis enim derisio in Creatorem vergit. Tu quod in risu videtur, simpliciter spectas : quid autem in eo fraudis ac doli reconditum sit, nescis.

IX. Justus Noë dolum agnovit, eumque ignoranti Chanaan non patefaciens, illum a benedictione exclusit; ut vel ex eo, cognita risus pernicie, fratrem irridere desinas. Semeï maledicta protulit : rursusque Apostolus horrendam in maledicos sententiam pronuntiavit. Nos itaque, quid lucri sibi faciant maledici, consideremus. Semeï, non ob adulterii aut furti crimen, perniciem sibi conciliavit : sed quod maledictis sit usus [2], ex quibus consuitur calumnia, per quam et quæ gesta sunt aperiuntur, et quæ non gesta finguntur. Animus enim dolore stimulatus, quemcumque sermonem gignit improbum. Atque sic animus affectus Semeï, conviciis innocentem regem affecit; illum ut Saülis interfectorem accusans, qui frequentius Saülem a morte liberaverat. Et quia falso crimine eum incusabat, merito a justo Judice damnatus est. Constitutus erat ei a Salomone terminus, quem transire non poterat, ac quem se servaturum receperat : ut vero illum transiliit, in mendacium processere promissa. Ita per mendacium, calumniæ nota Justo inusta fuerat, ut dignas facti sui pœnas merito calumniator lueret : ut qui linguam in hominem innoxium exacuerat, qua velut gladio eum occiderat [3], acutum quoque gladium contra in se sit expertus : ut et in hoc et in

[1] Prov. XIV, 31. — [2] 2 Reg. XVI, 5. — [3] 3 Reg. II, 46.

futuro sæculo sibi exitium consciverit, æternumque sibi supplicium præparaverit. Quis igitur a maledictis non abhorreat, ne duplici supplicio mulctetur?

X. Quin et eodem judicio Apostolus luxuriosos et maledicos, ac homicidas et adulteros condemnavit. Nam Esaü, primogenitis propter intemperantiam se spoliavit[1]. Habes et tu primogenita tua, quæ ne occasione luxus atque intemperantiæ deperdas, caveto. Magnus enim ille vir, nulla re magna se perdidit, sed vili se dedecoravit. Si veritatem amiseris, stultus ac similis Esaü fies. Rem admirandam audi: quomodo verba factis præstiterint, ipsaque fides naturam ac generationis ordinem superaverit. Primogenituræ donum, quod videtur auferri non posse, sermo subingrediens ademit. Et quæ Esaü naturaliter sibi vindicabat, ea fidei studio assecutus est Jacob. Fides et jusjurandum unanimiter generationis vim demonstrant. Et primogenita, quæ per carnem conceduntur, spiritaliter accepta sunt: quæque jusjurandum exuit, ea fides suscepit. O rem admiratione dignam, quæ inter primogenituræ venditorem, emptoremque consecuta est. Nam qui ea se spoliavit, quasi sensus videtur fuisse expers, et qui eadem se vestiit, innocens purusque permansit. Sed quomodo Esaü primogenita exuit, quæ deponi nequeunt? Aut quomodo illa Jacob induit, quæ adjungi non possunt? Quod si mercaturam istam pueri illi adeo supra naturam exercuerunt, ut omnino explicari convenienter nequeat; quis quæstionem illam aggredi audebit, qua ineffabilis Unigeniti generatio continentur?

XI. Dic mihi rursum cur Jacob primogenita a Manasse ablata transtulerit in Ephraïm[2]? Nonne ideo ut major illi gloria decusque inde accresceret? Plena est enim primogenitura signis admirabilibus, et mysteriis, eximiis at-

[1] Gen. xxv, 34. — [2] Id. xlviii, 14.

que innumerabilibus. In ea descriptum continetur baptisma; in ea fides obsignata est: in ea nostra designatur fortitudo: in ea gloriosæ virginitatis figura repræsentatur. Hanc pretio Jacob mercatus erat, et gratiam eam Ephraïm tribuit. Et in hoc, neque Manasses culpandus est, neque Ephraïm in admiratione habendus: sed potius donantis auctoritas et potestas, in quem non cadit reprehensio, suspicienda est. Quis igitur gentium primogenituram reprehendere tentabit? Quod si Judæi id facere voluerint; reprehendant primum, quod Manasse adempta sit. Qui enim illam ab eo abstulit, non peccavit, ut suam in hoc potestatem ostenderet. Ademit autem illam ipsis, quia peccaverant, ut justum suum in eo judicium declararet. Quod si a nemine coargui jure possit Jacob, quamvis a Manasse, qui non peccaverat, primogenituram abstulerit, quomodo quisquam ipsum reprehendere audebit, qui primogenituram a Judæis, qui Dominum occiderant, abstulit? Si igitur jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esaü potuerit auferre primogenita; cum enim jurasset solum, noluit perjurii notam incurrere: quibus tradetur suppliciis, qui non solum jurejurando sese obstringit, sed et perjuriis jusjurandum violat? Si Esaü ab iis, quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua fecisti, rumpere audebis? Si Herodes, quæ in suam promiserat perniciem, servavit: et tu a fœderibus, quæ æternæ vitæ gratia pepigisti, resilies?

XII. Et quemadmodum oratio sese insinuans, primogenituræ munus abstulit: ita et convicium subintrans, cæde actionem contaminare potest. Lingua enim non minus nocet, quam gladius. Et cogitatio impudica inquinat, ut adulterium. Occulta simulatio, laquei instar, insidias tendit. Et perversum consilium quovis veneno perniciosius est suscipientibus. Si enim Esaü solo sermone primogeni-

tura se sua exuit, eamque deperdidit, quanto amplius et facilius servus inutilis temperantiam amittet? Et vanitatem diligendo, atque mendacium quærendo, veritatem quis sui promissi despicit : verbisque fidem abnegando, tenebris obducitur, exuendo se iis, quæ ad fidem pertinent : sicut contra, verbis fidem profitens, fide se vestit. Sermo interea dum exercetur, ad effectum se operis producit : improbaque deliberatio, non minus quam opus malum damnatur. Aspectus illicitus improbum opus arguit : iracundia perinde atque gladius ferit : bestialisque invidia haud secus quam telum vulnerat. Exitii foveam calumnia struit. Cogitationes malas fugiamus : cogitata enim non aliter ac facta censentur. Bonis cogitationibus incumbamus, quibus operum proposita est merces apud eum, qui consilia cordium explorat. Operis instar est cogitatio : quippe in qua, tanquam in causa omnium effectiva, arbitrii nostri ratio nititur. Suum autem quæque res habet contrarium. Tenebris lux contraria est, amaro dulce, vigilia somno. Qui creavit omnia, nihil reliquit, cui non adjunxerit contrarium. Nam si mortalis homo suo ingenio componit inter se contraria, adversusque labores quietem adhibet, remediaque ac medicamenta terra marique opportune conquirit ; ut suam cuique morbo, ut res tempusque postulat, curationem prudenter adhibeat : quanto magis rerum omnium Procreator cuncta suo disposuit ordine, atque ita moderatur, ut ad manum cuique sint, quibus ab inimicis sese defendat?

XIII. Instructus es ergo armis, o homo, adversus quoscumque hostes et adversarios tuos. Hæc tibi ad salutem concessa si neglexeris, victus et succumbens, in die judicii quomodo te ipsum excuses, non habebis. Præsto tibi contra adversarii machinas sunt arma diversa. Si ignita sua in nos tela hostis emiserit, habemus et nos orationis scutum inexpugnabile. Si libidinis in nos bellum moverit,

sociam nobis in pugna, animi dilectionem atque charitatem adversus illum assumamus. Si nos iniquitate captivos ducere conatus fuerit, ad justitiam confugientes, saluti nostræ consulamus. Si te per odium vulnerare studuerit, ad fraternam charitatem accurrito. Si te per superbiam oppugnaverit, humilitatem ei opponito. Si corporis concupiscentiam adversum te incitaverit, temperantiæ thoracem velociter induito. Si lasciviæ jacula in nos contorserit, galeam castitatis in eum assumamus. Si divitiarum nos cupiditate stimularit, paupertatis beatitudinem habemus. Si gulæ nos vitio adortus fuerit, jejunii nobis alas aptemus. Et quia eversionis causa est invidia, præsto nobis adsit charitas, si velimus, quæ corrigere queat et ædificare. Et sicut sua inimico sunt arma ad oppugnandum : ita et nobis adsunt nostra ad defendendum. Si nos persequatur, ut Pharao, adest mare, quod eum submergat. Si laqueos nexuerit in terra, est qui nos liberet in cœlis. Si irruerit in nos, ut Goliath, aderit qui eum humiliet, David. Si, ut Sisara, elatus intumuerit, per Ecclesiam tolletur e medio. Si, instar Sennacherib, nos bello presserit, sacco et cinere delebitur. Si babylonicum tyrannum imitatus fuerit, sancti ac temperantes non deerunt, ut Daniel. Si, ut Naaman, elatus fuerit, aderunt jejuniis adicti, qui eum dejicere possint. Si luxuriæ flammam accenderit, qui castum Joseph imitentur, aderunt.

XIV. Quæ enim ejus reperitur machina, quæ a nobis non dissolvatur? Qui morbi aut quæ mala, quibus sua parata non sint remedia? quodnam fucatum et adulterium comparet, ad quod redarguendum fornax non sit parata? quas ipse struere poterit insidias, quæ nobis non sint exploratæ? quas ipse moliri poterit machinas, quibus deturbandis non sint apti vel homines idiotæ? quas afferre secum poterit vires, ut illas nequeant vel fœminæ superare? quam

fornacem paret, quam non fideles pueri restinguant? quem lacum effodiat, qui a Daniele non contemnatur? quas epulas offerat, quæ a sociis Ananiæ pro nihilo non ducantur? Superbiam inimicus seminavit: sed eam Moysis humilitas conculcavit. Naaman adulatus est auro: sed illud despexit rejecitque Elisæus. Simon pecuniam obtulit; sed meritam in eum sententiam pronuntiavit Petrus. In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia una cum principii experte ipsius Patre, et sanctissimo, bono, ac vivifico ejusdem Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De octo cogitationibus.

I. Scias, fili, quod octo sunt cogitationes, quæ omnia mala operantur: gula, fornicatio, avaritia, ira, tristitia intempestiva, acedia, inanis gloria, et superbia. Hæc homines universos oppugnant. Tu vero, fili, si velis gulam vincere, dilige temperantiam, et habe timorem Dei, et vinces. Si velis vincere fornicationem, dilige vigilantiam, et sitim; et mortem semper cogita, et nullo modo cum muliere verseris, et vinces. Si velis avaritiam vincere, dilige paupertatem, et inopiam. Si velis iram vincere, posside mansuetudinem et longanimitatem, et cogita quanta mala fecerunt Judæi adversus Dominum nostrum Jesum Christum; et ipse, velut clemens hominumque amator Deus, non fuit illis iratus, sed potius pro ipsis rogavit, dicens: « Pater, dimitte illis hoc peccatum: non enim sciunt quid faciunt [1]. »

[1] Luc. XXIII, 34.

Si velis vincere intempestivam tristitiam, ne unquam contristeris propter quodlibet tempestivum opus; sed sive vapules, sive persecutione, sive dedecore afficiaris, ne mœreas, sed potius gaude : tunc solum contristare, cum peccaveris : sed et tunc moderate, ne in desperationem incidas, et pereas. Si velis vincere acediam, labora interdum et aggredere quodcumque vel minimum opus manuum, aut lege, aut precare frequenter. Si velis vincere vanam gloriam, ne diligas laudes, neque honores, neque pulchra vestimenta, neque primas sedes, neque prælationem; sed potius dilige, ut te vituperent, teque inhonorent, mentientes: teque ipsum habeto velut peccatorum omnium maximum. Si velis vincere superbiam, quidquid feceris, ne dicas: « Quoniam meo proprio labore, seu propria virtute factum est: » verum etsi jejunaveris, etsi vigilaveris, etsi humi cubaveris, etsi Psalmos cecineris, etsi ministraveris, etsi multas pœnitentias egeris, dicito Dei auxilio et ipsius protectione omnia fieri, non vero ex meis viribus, neque ex mea diligentia. Cura, fili, ut semper sis simplex et sincerus : neque habeas aliud in corde, et aliud in ore: hæc enim fallacia est. Esto verax, et non mendax, quia mendacium ex malo est. Ne reddas malum pro malo, sed cum te quispiam malo affecerit aliquando, ignosce illi, ut et tibi ignoscat Deus. Cum te oppugnaverit injuriarum recordatio, ex toto animo ora pro illo fratre, et injuriæ memoria recedet. Vide ne suscipias affectionem invidiæ, ne te viventem diabolus absorbeat; sed potius factum confitere, et precare Deum, ut liberet te a periculo ejusmodi. Si videris aliquem peccantem, ne obloquaris, neque condemnes eum, neque odio prosequaris, ne cadas et tu in idem peccatum; sed potius dicito, quoniam ego deterior illo sum, et, hodie ipse, et ego cras. Scito autem et hoc, dæmones videlicet timere monachi silentium, jejunium,

vigilias, continentiam, humilitatem, preces, lacrymas, et reliquas virtutes. Si velis, ut largiatur tibi Deus lacrymas, compunctionem, et indolentiam, memento semper mortis, et tuæ sepulturæ.

II. Si a diabolo deceptus, in peccatum cecideris sive parvum, sive magnum, ne in desperationem ruas, et pereas; sed confuge ad confessionem, et ad pœnitentiam, et Deus te non aversabitur cui gloria in sæcula.

III. Et Deus te suscipiet : ne diligas in urbes discurrere : si enim mala non videris, purus mundusque eris. Noli bibere vinum ad ebrietatem, ne cor tuum voluptatibus insanire facias. Ne bis in die cibum capias, ut corpus tuum non fiat saginatum et obesum, et una cum ipso etiam pravæ affectiones concrescant. Ne in faciem peregrini fores tuæ claudantur, quoniam qua mensura mensus fueris, remetietur et tibi. Infirmos visita, ut et te Deus visitet. Noli multum dormire, sed opem a Deo assidue postula, ut tanquam avis laqueum effugias. Fuge multiloquium, ne in mendacium incidas. Noli quidquam tibi possidere præter id quod est necessarium, sed vitam transige moderatam. Quietus esto, tuasque res curato. Pro viribus tuis linguam et ventrem cohibe : animi demissionem posside : esto velut ignorans et idiota. Mansuetudinem adhibe erga omnes homines. Ex multiloquio et risu multa consequuntur damna. Vir autem prudens silentio oblectatur. Afflictionem et mortem præ oculis semper habeto, et nunquam in desperationem te adducet tentatio. Vespere et mane in te ipsum inquire, quomodo tempus transegeris : hæc autem ut sine labore dirigantur, fieri nequit. Scito, quoniam, sicut sine semine et aqua nequit terra ex seipsa fructum producere, ita fieri non potest, ut quis fructum proferat absque labore et humilitate. Curam tui gere semper, tanquam imaginis Dei. Time Deum, ut qui de omnibus operibus tuis sis ei

rationem redditurus. Tecum ipse, positis calculis, considera quotidie, quænam prava a te superata fuerit affectio. Qui futurum judicium credit, neminem judicat, sed seipsum minimorum minimum reputat. Qui suum ipsius corpus resurrecturum credit, ipsum ab omni inquinatione purum reddere satagit.

IV. Esto igitur, dilectissime, in timore Dei, custodiens et adimplens quæ tibi sunt gerenda, neque scandalum conscientiæ tuæ præbens; sed ipsi attende, ut et ipsa tibi custos fiat, indicans quam in rem incideris, ne comprehendaris, aut in manus inimicorum tuorum incurras. Scito, quoniam, cum primum mens monachi suas ipsius voluntates effugere, et ad Deum confugere incœperit, tunc ipsum acedia oppugnat. Quod autem acedia extinguit, est precatio, et assidua ad Deum meditatio. Quod meditationem fovet ac tuetur, est continentia. Quod continentiam servat, est corporeus labor. Hæc videlicet est angusta via, quæ ducit ad vitam. Ecce angusta isthæc via tanquam in speculo per sermonem monachis apparet. Omnia præsentia sunt monachis acerba; possessio insidiatrix, usus inimicus, bonorum abrenuntiatio gravis, paupertas amara, inopia dolorosa, exercitatio ærumnosa, continentia laboriosa, diligentia nimis accurata, silentium mœrore plenum. Si reprehenderit, debitor evadit conculcandæ pœnitentiæ. Si tacuerit, flaccessit in eo zelus Dei. In omnibus bonis simile malum opponit bonorum inimicus Dæmon : in eleemosyna, mercaturæ utilitatem : in exercitatione, elationem : in vigilia, calumniam : in oratione, desidiam : in inopia, cauponationem : in charitate, adulationem : in peregrinorum susceptione, observantiæ regularis negligentiam seu gulam. Omnia confundit, omnia commiscet, omnibus participat.

V. Cæterum periclitatur vita monachorum, ut dissolvatur. Caput cum pedibus detrimentum capit : oculi cum

manibus morbum sustinent. Possessio fidem extinguit. Usus monasticam exercitatem alienat. Humilitatem imperium violat. Spem subvertit possessio temporalium. Animæ opus obscurat corporis actio : carnis cura, mentis examen obtundit. Non vacat conscientiæ, mentem compungere. Non properant cogitationes ad pœnitentiam, et, (nisi fallor, hæc enarrans), forma et imago captivitatis est præsens vitæ status. Excæcati enim sumus, et volumus intelligere animam bonum simul et malum agere non posse, sed malum boni specie exercere. Per jejunium enim inaniter gloriatur : per continentiam superbit : neque vult Deo attendere dicenti : « Nemo potest duobus Dominis servire[1]. » Tu autem, si Dominum vere diligis, et futuro regno frui desideras, tuaque delicta laboribus expiare optas, judicii memor esto sempiternæque pœnæ, ac tuum ex hoc mundo exitum semper cum timore præ oculis habe : et noli curam gerere divitiarum, possessionum, aut parentum, aut gloriæ hujus vitæ, aut amicorum, aut consanguineorum, vel fratrum, vel cujuscumque mortalis : sed horum omnium sollicitudinem abjiciens, et tuam etiam ipsius carnem odio habens, nudus hisque cunctis spoliatus, sine cura et absque sollicitudine Christum sequere, intentis semper in cœlum oculis, et auxilio tibi inde implorato : mors enim imminet, et instat judicium ; væ autem imparato.

VI. Væ tibi, anima, quoniam nulla cura angeris in hac vita, deliciis quotidie diffluens, risibus vacans, mente vaga, et vitam remissam traducens : in futuro enim sæculo plorandum tibi erit ac lugendum, instar divitis illius, in sempiterni ignis supplicio torquenda.

VII. Væ tibi, anima, quoniam nullam sustines, afflictionem a fratre tibi illatam, aut verbum acerbum ; sed statim in repugnantiam et dissidentiam prosiliens patientiæ, et

[1] Matth. vi, 24.

mansuetudinis coronam deperdis, sempiternam cum illati mali memoribus pœnam subitura.

VIII. Væ tibi, anima, quoniam fratrem tuum odisti et maledictis oneras, eosque, qui talia agunt, toleras : ac propterea una cum homicidis pœnas es datura. Qui enim fratrem suum odit, ut scriptum est, homicida est.

IX. Væ tibi anima, quoniam mandata Dei contemnis : sola enim monachi specie ac nomine, salutem esse existimas. Audies enim in tremenda illa die Dominum dicentem : « Non omnis, qui dicit mihi, Domine : Domine, intra- » bit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem meam[1]. » Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, paratum » diabolo et angelis ejus[2]. »

X. Væ tibi anima, quoniam gloriam humanam diligis, et honorem et vestium nitorem, et rerum possessionem : atque idcirco abominabilis coram Deo in die judicii apparebis, et a facie ipsius rejecta, cum superbis dæmonibus connumeraberis.

XI. Væ tibi, anima, quoniam quotidie peccas, et pœnitentiam de die in diem differs. Imminebit enim tibi exitus tuus, tanquam fur nocte repente, et vinculis constricta, in gehennam ignis abduceris, inutiles ploratus editura, tuamque ipsius dementiam accusatura.

XII. Væ tibi, anima, quoniam non exhorrescis, cogitans, quomodo oporteat te in conspectum Dei adduci in tremenda illa judicii die tunc, cum Virtutes cœlorum præ timore commovebuntur; tu vero tunicam feres execrandam et coinquinatam.

[1] Matth. VII, 21. — [2] Id. XXV, 41,

SERMO.

De non suspiciendis rebus hisce momentaneis, et ne patiatur nos decipi hujus vitæ oblectamentis : et in Psalmum septuagesimum secundum.

I. Cum mens nostra ad lubricitatem sit prona, fit, ut ad vitæ oblectamenta facilius rapiatur, oblivionem capiens futurorum bonorum; unde oportet nos haud tepidos in custodiendis sensibus esse : siquidem honestatis osor, nos tentans, res confundit, ne mentis imperio distingui possit inter bonum et malum. Accumulantibus se igitur in nobis vanis cogitationibus, antequam illarum obducamur tenebris, breviter ad spiritalem recurramus doctrinam, scriptum cum Propheta Psalmum decantantes; plurimum enim nobis contenta in eo doctrina contulerit : quandoquidem exponit in ipso Propheta vitæ hujus varietatem et inæqualitatem, tentationesque : tum quomodo alii capiantur tentationibus, alii easdem superant in patientia : singulorumque remunerationes ibidem describit; unde et superbiam atque arrogantiam, vanamque gloriam demolitur, et ad veram gloriam salvari cupientibus iter parat. Quamobrem non verba solum percurramus, sed et sensum eorumdem diligenter investigemus; ut eorum quæ dicuntur virtute, digni quoque effici mereamur factores. Ait namque Propheta : «Quam »bonus Deus Israël his, qui recto sunt corde? Mei autem »pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia »zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non »est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eo»rum. In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus

» non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia in finem, » operti sunt iniquitate, et impietate sua. Prodiit quasi ex » adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis, » cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam ; iniquitatem in ex» celso locuti sunt, et posuerunt in cœlum os suum [1]. »

II. Quid est : « Iniquitatem in excelso locuti sunt, et » posuerunt in cœlum os suum ? » Quod dicit ejusmodi est : Ipsi mala facientes, et flagellum malitiæ suæ protinus juxta illa non recipientes, putantes non esse Deum, stulti facti sunt. Ait enim : « Dixit insipiens in corde suo, non est Deus : » iniquitatem in excelso locuti sunt, et posuerunt in cœlum » os suum : et lingua eorum transivit in terra. Ideo conver» tetur populus meus hic : et dies pleni invenientur in eis. » Et dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in Ex» celso? Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, ob» tinuerunt divitias. Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor » meum, et lavi inter innocentes manus meas. Et fui flagel» latus tota die, et castigatio mea in matutinis. Si dicebam : » Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. » Existimabam ut cognoscerem hoc : labor est ante me. » Donec intrem in Sanctuarium Dei, et intelligam in no» vissimis eorum [2]. » Ausculta igitur quænam futura sint eorum novissima, qui obliviscuntur Deum ; ait enim : « Propter dolos eorum, posuisti eis mala : dejecisti eos, » dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem ! » subito defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam. » Velut somnium surgentium. » Rursusque ait : « Domine in » civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges [3]. » Et quænam ista est civitas ? superna Hierusalem. Atque iterum : « Quia inflammatum est cor meum, et renes mei » commutati sunt : et ego ad nihilum redactus sum, et nes» civi. Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper

[1] Psal. LXXII, 1-9. — [2] Ibid. 9-17. — [3] Ibid. 18-20.

» tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in consilio » tuo deduxisti me [1]. »

III. Quid porro sibi vult : « Et in consilio tuo deduxisti » me ? » Arbitror hoc, quod dicit, ejusmodi esse : Exuta, inquit, carnis voluntate, et ad susceptionem, et ad observationem mandatorum tuorum me ipsum innixum, in voluntate tua deduxisti me : non enim firmavi voluntatem meam. Unde instar pii ac boni patris filium sibi charum habentis, tenuisti manum meam dexteram, et in voluntate tua deduxisti me : « Quid enim mihi est in cœlo ? Et a te quid volui » super terram ? Defecit cor meum, et caro mea, Deus cordis » mei [2]. » Et quid investigo conservationes illas supernas ? « Quemadmodum enim desiderat cervus ad fontes aqua» rum : ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima » mea ad Deum fortem vivum ; quando veniam, et apparebo » ante faciem Dei [3] ? Et pars mea Deus in æternum [4]. » Est itaque, quod ex profunda admodum cogitatione, quæ dicuntur, percipere studeas, tum etiam quam sit formidabile verbum, quod infert, dicens : « Quia ecce qui elongant se » a te, peribunt ; perdidisti omnes, qui fornicantur abs te : » mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino » Deo spem meam. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas » in portis filiæ Sion [5]. » Cum ergo nobis, charissimi, auxilia ex sacris Litteris præsto sint, et via trita, ac recta, quæ nos ad portas cœlestes deducat, non negligamus propositam nobis spem in cœlis. Veniet enim Dominus sicut scriptum est : « Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit » aream suam : et congregabit triticum in horreum suum, » paleas autem comburet igni [6]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Psal. LXXII, 21-24. — [2] Ibid. 25, 26. — [3] Id. XLI, 2, 3. — [4] Id. LXXII, 26. — [5] Ibid. 27, 28. — [6] Matth. III, 12, et Luc. III, 17.

SERMO.

Ad animam negligentem.

I. Anima, ne concidas, neque nimium angaris : et, si peccatorum multitudine obruaris, noli ad te ipsam ignem desperando attrahere : ne dixeris : « Projecit me Dominus a facie sua. » Non enim placet Deo sermo hujusmodi, cum ipse ad te clamet, et dicat : « Popule meus, quid feci tibi, » aut in quo contristavi te, aut quid molestus fui [1] ? num- » quid qui cecidit, non resurget ? aut qui aversus est, non » convertetur [2] ? » Audis, o anima, benignitatem Domini ? non enim sub manu principis, aut ducis alicujus es vendita, tanquam damnata. Noli affligi, quod absumpseris divitias tuas. Noli erubescere conversionem, sed dicito potius : « Surgam, et ibo ad patrem meum [3]. » Surge ergo, et vade. Ipse te excipiet, et non exprobrabit tibi ; imo potius super tua conversione gaudebit. Expectat te : tu autem noli erubescere sicut Adam, neque abscondas te a facie Dei. Propter te Christus crucifixus est, et te a se repellet ? absit. Novit quippe qui sit qui affligit nos, et non sit qui succurrat, nisi solus ipse. Novit Christus hominem in ærumnis esse positum. Non ergo pusillanimes simus aut desides, quasi jam igni destinati. Non opus habet Christus, ut in ignem mittat : neque lucrum sibi computat suppliciis nos tradere.

II. Vis autem nosse quomodo se habeat tormentorum ratio ? Quando a facie Dei exagitabitur peccator, clamorem ejulatus ejus non sustinebunt fundamenta orbis. Scrip-

[1] Mich. VI, 3. — [2] Jer. VIII, 4. — [3] Luc. XV, 18.

tum quippe est : « Dies illa, dies tenebrarum et caliginis : » dies nubis et turbinis : dies tubæ, et clangoris [1]. » Nam si reus quispiam a principe duobus, vel quinque, aut decem annis, exilio damnetur; quem putas planctum, quam confusionem, quæ suspiria habebit homo ille? Verumtamen hac ipse adhuc recreatur consolatione, quod præstituti temporis finem expectet. An autem cupimus peccatorum quoque tempus agnoscere? censebimus-ne exilium illud annorum duntaxat viginti, sive quinquaginta, vel centum, aut ducentorum? At quis poterit computare annorum numerum, qui nullo dierum termino concludetur? Hei, hei! subitaneum et insperatum est ejusmodi tempus : neque enim sustineri potest ira comminationis super peccatores.

III. Intellexisti peccantium angustias? noli igitur confusione noxia in illam necessitatem et pressuram incidere : non enim ante illam comminationem subsistere poteris. Peccatorum pondere prægravata es? non ideo confundaris clamare ad Dominum. Accede, ne verearis. Stadium in propinquo est. Exurge, omnemque sæculi materiam excute. Imitare filium illum prodigum, qui postquam omnia dilapidasset, confidenter ad patrem rediit. Pater vero cum sic captivum pluris fecit, quam prodige consumptas ab eo divitias. Ita qui confidenter accesserat, ingenue ingressus est : et qui nudus advenerat, stola amictus apparuit : quippe pro mercenario recipi optaverat, in Domini ordinem restitutus est. Cæterum ad nos hic spectat sermo. Audis quippe quanta secura filii fiducia præstiterit? Consideras patris clementiam? Sic ergo et tu, anima, omni rubore deposito, pulsa : necessitatem tuam intueris? persiste ad ostium, et plane accipies quantum opus habebis; secundum illud Scripturæ dictum : « Propter importunitatem tamen ejus » surget, et dabit illi quantum indigebit [2]. » Non te rejicit,

[1] Joël. II, 2. — [2] Luc. XI, 8.

non tibi male consumptam substantiam improperat, o homo : thesauros enim habet indeficientes. Cunctis prompte ac lubens elargitur, juxta apostolicam illam vocem, a Deo postulari jubentis, « Qui dat omnibus affluenter, et non » improperat [1]. » In porta resides? Fluctus respice, ne subitanea tempestas superveniens, in maris te profundum corripiat : tuncque cum suspiriis dicere incipias : « Veni in » profundum maris, et tempestas demersit me; laboravi » clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ [2]. » Vere etenim abyssus maris infernus est, secundum illam sententiam Domini affirmantis magnum chaos inter justos et peccatores firmatum esse [3]. Cave agitur ne in illud chaos te ipsum immerseris.

IV. Imitare filium illum prodigum : desere regionem fame tabescentem : recede a porcorum ærumna : desiste ab esu siliquarum, quibus exsatiari nequiveras. Veni igitur cum precibus, et comede manna indeficiens, Angelorum nimirum escam. Veni, ut contempleris gloriam Dei, illustreturque ab ea facies tua. Veni, et in paradiso deliciarum commorare. Relinque paucos annos, ut æternitatem consequaris; non te conturbet istius sæculi vita longior : nam prorsus brevis et quasi nulla est. Ab Adam quippe usque ad tempus præsens, omne interpositum ævum velut umbra quædam præteriit : paratum ergo te præbe, atque ad iter expeditum. Noli te ipsum superfluis gravare curis. Hyems prope est : tectum illud occupare festina, quod nos quoque persequimur per gratiam Christi. Amen.

[1] Jacob, I, 5. — [2] Psal. LXVIII, 3, 4. — [3] Luc. XVI, 26.

SERMO.

Quod ludicris rebus abstinendum sit Christianis : et de amore pauperum.

I. In rebus ludicris non esse tempus a Christianis consumendum, omnes novimus, et ex divinis quidem Scripturis hausimus, præsertim cum Dominus comminando in Evangelio dicat : « Væ vobis qui ridetis nunc, quia ibi lugebitis, » et flebitis [1] : » rursusque alibi : « Nolite, inquit, in sublime » tolli : hæc enim omnia gentes faciunt [2]. » Isaïas autem propheta, aut potius ipse Deus per Prophetam ait : « Væ » iis, qui cum tympanis, ac tibiis, et citharis vinum bibunt [3]. » Quin et beatus David, tanquam animi elationem abominans, et in Domino glorians, dicebat : « Domine, non est exalta» tum cor meum, neque elati sunt oculi mei [4]. » Atque Jacobus frater Domini : « Lugete, inquit, et plorate : risus » vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem [5]. » Quin et beatus apostolus Paulus idololatras vocat ludentes, dum ait : « Nolite idololatræ fieri, sicut Scriptum est [6]. » Ac rursus : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, » sed potius sermo bonus [7]. Sive manducatis, sive bibitis, » sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite [8]. » Idemque denuo ait : « Fratres, estote imitatores Dei, et am» bulate in dilectione. Fornicatio autem, et omnis immun» ditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis; aut turpitudo, » aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non perti-

[1] Luc. VI, 25. — [2] Id. XII, 29, 30. — [3] Isaï. V, 11, 12. — [4] Psal. CXXX, 1. — [5] Jacob. IV, 9. — [6] 1 Cor. X, 7. — [7] Ephes. IV, 29. — [8] 1 Cor. X, 31.

»net : sed magis gratiarum actio [1]. » Aliaque multa in sacris Scripturis huc spectant : et non est qui intelligat. Verum in nobis impletur sermo Domini : « Erratis, nescientes » Scripturas [2]. » Impletur quoque Pauli prophetia in nobis, quæ sic habet : « Veniet tempus, quando sanam doctrinam » non sustinebunt : sed ad sua desideria coacervabunt sibi » magistros, prurientes auribus : et a veritate quidem audi» tum avertent, ad fabulas autem convertentur [3]. » Hæc in nos pervenerunt, o dilecti, et ecce jam cernimus, quod dicitur, reipsa comprobatum.

II. Quis enim hodie Scripturas sacras sustinet ? Quis sedulo Christi mandatis intentus est ? « Quis sapiens et » custodiet hæc [4]. » Quis ostendet nos non esse prævaricatores legis ? Multi potentes, multi sapientes secundum carnem, inquit. Multi nobiles, multi scientes, scribæ et legisperiti, et doctores, divites et pauperes, servi, et liberi ; solitariam vitam sectantes, et virgines, et in cœtibus aliorum viventes, et senes, et juvenes. Quis autem horum omnium demonstrare poterit convenire Christianis, citharizare, aut tripudiare, aut cymbala pulsare, aut tibiis ludere, aut acclamare, aut aruspicem agere, aut phylacteria quæ vocant facere, aut eadem circumgestare ; aut dæmonia consulere, aut inebriari, aut tolerare eos, qui ejusmodi res impias sectantur ? Quis, ut ante dixi, hæc Christianorum esse ostenderit ? Quis ex Prophetis ? Quod Evangelium ? Cujusmodi Apostolorum liber ? Si omnino ista Christianis conveniunt : omnia vana, et erroribus plena, et Lex, et Prophetæ, et Apostoli, et Evangelia. At si Dei hæc sint verba et vera, et divinitus inspirata, ut revera sunt : nefas sane fuerit Christianos, quæ jam diximus agere. Nam ecce ab oriente ad occidentem usque, et a finibus orbis terra-

[1] Ephes. v, 1-4. — [2] Matth. xxii, 29. — [3] 2 Tim. iv, 3, 4. — [4] Psal. cvi, 43.

rum, divina Scriptura per Ecclesias, et in omni loco legitur. Lex, et Prophetæ, et Apostoli. Dominus universorum, et cuncti Deiferi patres. Neque usquam reperitur hæc Christianis permissa esse : verum, sicut scriptum est, unusquisque nostrum propria errat via [1], et transgreditur, et est transgressor, et mendax, et sine Deo, et per prævaricationem legis Deum inhonorat [2]. Et ne durum vobis appareat quod dixi : « Sine Deo : » non enim hic meus est sermo, sed Joannis theologi, sic dicentis : « Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Dei, Deum non habet [3]. » Quis hoc infelicior; et eo, qui Deum istud mandantem atque loquentem per Legem, et Prophetas, atque Apostolos contemnit, abominabilior? Quique væ illud a Domino per prophetam prædicatum, secum portat : « Væ per quos nomen meum blasphematur inter gentes [4]. »

III. Ne, quæso, fratres mei, ne, quæso, sic dies nostræ consumamus pœnitentiæ : verum David prophetam clamantem, et nos exhortantem, atque dicentem audiamus : « Venite, exultemus Domino. » Festinansque subjungebat : « Præoccupemus faciem ejus in confessione [5]. » Præoccupemus, antequam solvatur celebritas. Præoccupemus, antequam aperte veniat, et nos otio, atque desidia torpentes inveniat. Antequam clamor ille fiat, « Ecce sponsus venit [6]. » Tunc qui parati erunt, gaudebunt. Tunc qui misericordes fuerint, exultabunt. Viles, et abjecti conflictabuntur, et digni lætitia ineffabili gloriabuntur. Sed præoccupemus, fratres, et curramus, dum per tempus licet, antequam throni constituantur; antequam nos ab invicem segregemur. « Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in Psalmis jubilemus ei. » In Psalmis, inquit, et non in rebus ridiculis : in Psalmis, et non in canticis dæmoniacis. Ait:

[1] Isaï. XLVII, 15.— [2] Rom. II, 23.— [3] 2 Joan. IX.— [4] Isaï. LII, 5, et Rom. II, 24. — [5] Psal. XCIV, 1, 2. — [6] Matth. XXV, 6.

« Venite, adoremus, et procidamus ante Deum, atque plo-» remus[1] : » non autem cymbalis ludamus, aut citharis. Verum ploremus, inquit, in Psalmis, et hymnis.

IV. Psalmus enim dæmonas propellit, Psalmus telum in timoribus nocturnis. Psalmus diurnorum requies laborum. Psalmus infantibus tutela. Psalmus senibus consolatio. Mulieribus ornamentum decentissimum. Hic festa collustrat. Hic eum, qui secundum Deum est, dolorem procreat : Psalmus siquidem ex lapideo licet corde lacrymas excitat. Psalmus Angelorum opus. Cœlestis vitæ ratio et institutum, spiritalisque quidam suffitus. Hic mentem illuminat. Hic in cœlum reducit. Hic homines Deo familiares colloquio reddit. Animam lætificat, otiosas collocutiones removet, risumque exterminat, de judicio nos admonet, dissidentes reconciliat. Ubi Psalmus cum compunctione, ibi et cum Angelis Deus adest. Ubi autem adversarii cantica, ibi ira Dei, et væ, remuneratio risus. Ubi Libri sacri, et lectiones, ibi lætitia Justorum, et auscultantium salus, ac diaboli confusio. Ubi autem citharæ ac chori, et plausus manuum ; ibi virorum tenebræ, et mulierum perditio, Angelorum tristitia, et diaboli festum.

V. O improbum diaboli consilium. Quomodo unumquemque fraudulenter supplantat, fallitque, ac mala pro bonis facienda suadet. Hodie, ut videre licet, psallunt ex ordinatione Dei, et cras studiose choreis incumbunt juxta doctrinam Satanæ. Hodie abrenuntiant Satanæ, et postero die iterum sequuntur ipsum. Hodie conjunguntur Christo, et cras abnegant inhonorantque eum. Hodie Christiani, et cras ethnici : hodie pii, et cras impii. Hodie fideles et servi Christi, et cras apostatæ, inimicique Dei. Nolite errare, fratres mei, nolite errare. Nullus servus potest duobus dominis servire, sicut ait Christus Dominus : « Quia nemo

[1] Psal. XCIV, 6.

» potest Deo servire, et mammonæ [1], » ac cum diabolo choreas ducere. Ad imaginem Dei formati sumus, non dedecoremus imaginem ipsius Dei; sed tanquam milites Christi, illum sequamur, illi serviamus. Noli hodie psallere cum Angelis, et crastino die in tripudiis esse cum dæmonibus. Noli hodie sacras lectiones audire, tanquam Christo dilectus auditor, ac cras citharis intentus esse, ut prævaricator, et Christi inimicus. Noli hodie pœnitentiam agere de peccatis, et cras in perditionem tuam saltare in choreis. Ne hodie jejuniis, ac temperantiæ operam des, cras autem ebrius venias, huc illucque agiteris, ac omnium irrisione ludaris. Ne, obsecro, fratres mei, ne sic tempus pœnitentiæ deperdamus, quod nobis ad pœnitentiam, atque salutem concessit Deus. Meminerimus illius, quod comminando dixit Dominus : « Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis postea [2]. » Ac rursus : « Beati qui lugent [3]. » Nemo vos seducat, Christo dilecti mei fratres. Non est ista Apostolorum doctrina, qui dicunt : « Si quis vos doceat ejusmodi, quæ vos non docuimus, anathema esto [4]. » Non sunt enim Christianorum illa, sed infidelium gentilium, qui non obediunt Evangelio, sicut ait Dominus : « Quoniam » cuncta ista gentes faciunt [5], » quibus non est ulla spes salutis.

VI. Nostis, fratres mei, quia quotquot in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Quo pacto ergo Christum exuentes, Antichristo servire vultis [6]? Mandatum ab Apostolo accepimus incessanter orandi, et omnia in gloriam Dei faciendi [7]. Tu autem ad ista non attendis, sed auditum avertis, et oculos claudis. Novissima vero amara quasi absynthium, et acuta, quasi gladius biceps tibi erunt. Iterum dico : Ne decipiamini, fratres Christo dilecti; non

[1] Matth. vi, 24. — [2] Luc. vi, 15. — [3] Matth. v, 5. — [4] Galat. i, 9. — [5] Luc. xii, 30. — [6] Galat. iii. — [7] Ephes. vi, et 1 Cor. x.

sunt ista Christianorum, sed gentium Deum non habentium. Consideremus, fratres, quod homo vanitati sit similis [1], et dies ejus, ut flos fœni, sic præteribunt uno temporis momento, et cuncta cessabunt. Quid frustra turbaris, o homo? Unico febris impetu, tuæ saltationes atque lasciviæ finem capient. Una hora te ab iis, quibuscum tripudiare solebas, separabit. Una nox intercedet, et caro tibi marcescet, pedesque ad malum cursum dispositi deficient : manus tibi dissolventur : oculi tui tabescent, lingua ex improviso quiescet, et incomposita tua vox deficiet; gemitus tibi abundabit, et lacrymæ inutiles tibi profundentur : cogitationes tuæ peribunt, et nemo erit, qui juvare possit (Deum enim contempsisti, et dedecorasti) ac cuncti, te relicto, recedent, nemoque præsto erit, præter invisibiles dæmones, quibus obsecutus es. Qui autem eo missus erit angelus truculentus, dejecto vultu, a longe consistens, assensum a Domino expectabit, ut infelicem tuam animam rapiens, abducat in præparatum sibi locum, ut metat quæ seminavit; ubi colitur, et exuperat, redundatque fletus, tribulatio, angustia, stridor dentium, et væ.

VII. Quid frustra turbaris miser? Ibi ebriosorum oculi tabescent : ibi tripudiantium carnes marcescent : ibi dolore affligentur, atque esurient, qui cum citharis, ac tibiis vinum bibunt. Ibi magno cum dolore plorabunt, et dentibus stridebunt, vultumque percutient, fornicatores, adulteri, fures, homicidæ, divinatores, venefici, incantatores, falsarii, masculorum concubitores, puerorum corruptores, raptores, sanguivori : hi omnes, et horum similes, absque pœnitentia ad finem usque peccantes, et per latam, ac spatiosam incedentes viam, quæ ducit ad perditionem, idoneum omnino ibi diversorium reperient. Neque enim licet, et hic cum dæmonibus choreis delectari, et ibi cum An-

[1] Psal. CXLIII, 4.

gelis saltare: sicut ait Dominus: « Væ qui ridetis nunc, » quia ibi lugebitis et flebitis [1]. » Fieri non potest, fratres, ut modo Christiani, modo ethnici simus. Nusquam, ut ante diximus, conceditur agere aliquid Christianis hominibus hujusmodi. Dominus siquidem noster et Salvator, in hunc mundum veniens, cuncta illa, ut dictum est, funditus delevit ac sustulit: hoc est universam diabolicam doctrinam, qua male instructus homo, factus est transgressor mandati Dei creatoris sui, et e paradiso exul; didicitque omne quod sub cœlo vocatur malum. Atque hæc cuncta, ut jam diximus, veniens Christus Dominus repressit, exterminavitque, et per semetipsum et per Discipulos suos, dicens: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, et docen» tes servare omnia, quæcumque mandavi vobis [2]. » Ac si dicat: « Dicite ipsis: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Non dixit: « Ebrietati vos tradite, non choreis: sed pœnitentiam agite. Lugete, et vigilate: orate et semper estote parati; quoniam adventus Domini appropinquavit, et regnum cœlorum pro foribus est. » Quocirca simus parati, ac digni: ut cum venerit Dominus noster, inveniat nos cum pœnitentia paratos, nullumque ex nobis condemnet: sed hæredes sui nos regni constituat. Quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. vi, 25. — [2] Matth, xxviii, 19.

SERMO.

De non scandalizando proximo, et de recta vitæ ratione, adhortatio.

I. Non decet eos, qui ad pietatis studium accedunt, et manum ad aratrum ponunt, retro converti [1], eorumdemque studium Deo complacendi impedire; sed ad perfectionem potius similes sunt dirigendi, cum de talibus dictum reperiatur : « Quoniam qui vos tetigerit, tanquam qui tan- » git pupillam oculi ejus [2]. » Qui igitur noluerit violare Dei præceptum, undique se muniat, ne alteri scandalum præbeat, maxime vero qui ei, ad Dominum accessit, et mundi laqueos effugit; ut non connumeretur, et ipse illis, quos increpat Propheta dicens : « Væ qui potum dat amico suo, » mittens fel [3]; Et væ, qui lætantur, cum malefecerint, et » exultant in rebus pessimis : quorum viæ perversæ sunt, et » infames gressus eorum. Qui relinquunt iter rectum, et » ambulant per vias tenebrosas [4]. » Quoniam in his divinam adversum se iram provocant, sicut et ex Evangelio patet, ubi ait Dominus : « Expedit homini magis ut mola asinaria » suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum » maris, quam ut scandalizet unum de pusillis istis, qui in » me credunt [5]. » Damnum enim, quod hinc oritur, explicari non potest. Describamus igitur rem ipsam pro viribus, ut hoc vel exiguo exemplo res exprimatur : cognitoque tanto hujus detrimento, metu nos cohibeamus, ne proximo ullum offendiculum, sive scandalum ponamus.

[1] Luc. IX, 62. — [2] Zacch. II, 8. — [3] Habac. II, 15. — [4] Prov. II, 13-15. — [5] Matth. XVIII, 6.

II. Filius quidam fuit unicus parentibus suis, quem ipsi vehementer diligebant; quoniam omnem suam post Deum spem in illo repositam habebant, per eum sperantes se optimam atque decentem vitæ spem ultimam habituros, generisque successionem atque restaurationem per ipsius procreationem fore. Verum adolescens repente, cunctis rebus fugacibus ac momentaneis abjectis, eremum petit, et fit monachus; dolorem intolerabilem suis propinquis et amicis relinquens. Flet pater, plangit mater, ita subito expectatione sua frustrati; simul æstimantes impossibile eum deinceps fore, sicut fuerat ante, secessum. Neque enim fieri poterat, ut amplius domui paternæ præesset, vel operam liberis daret; cum hominem quodammodo exuisset. In hoc igitur loco versabatur sanctimoniam amplexus, et adhuc vivus, nihil eorum dissimilis, qui in sepulcro sunt conditi, quod attinet ad humana negotia. Quare flet pater, lamentatur mater, proprii filii obsequium requirentes. Sponsa post arrhabonem confusa, spoliatur. Si opificium didicerat, abjicit. Si mercaturam exercebat, relinquit, Si in album erat relatus militum, a militia recedit. Si magistratum gerebat, contemnit: et pene domus eversio ex hoc illius novo vitæ instituto consequitur. Omnia enim, quæ videntur, et affectionem rerum sensibilium movere possunt, capillorum instar abscindens, nudus pietatis ac religionis septa ingredi maluerat, ut Christum Dominum gloriæ sibi lucrifaceret. Numquid igitur hic scandalo, aut subversione dignus erat? absit.

III. Quis ergo eo malitiæ evasit, ut proditoris, atque piratæ officium, huic optimæ negotiationi sibi præferendum censeat? Aut quis ad eam audaciam tanquam præstantioris rei potiundæ causa, devenit, ut bene recteque currentem, in sua alacritate, ac bono proposito intercipiat atque impediat; quominus sequestratus cunctis terrenis ad cœlestia

pervenire possit. Nam si post renuntiationem, abdicationemque vitæ, quis in virtutis studio claudicare incœperit, et sensim a recta via resilire, oculosque convertere retrorsum; hic et in vita præsenti erit exemplo, et post suum e vivis excessum, regno cœlorum privatus, indignum seipsum Sanctorum choro reddet: quin et parentibus ipsis ignavia hujus in confusionem futura est, amici dolore concident, et inimici gaudebunt super illius desidia, atque ruina. Propinqui et affines mortem ei imprecabuntur, quod terrenis exutus, cœlestia non apprehenderit; et sub prætextu pietatis, diaboli jugum subierit: legitimis enim nuptiis spretis, in scortationibus atque impudicitiis volutatur, et in crapula, atque ebrietate totos dies transigit. Deplorant parentes damna pariter animæ illius. Hic autem, qui corde seductus erat, et vias suas corruperat, horum nihil sibi vindicat; verum abjecta pietate, impudentiam induit, et turpiter, ac præter decorem agere non erubuit. Neque enim homines veretur, neque Dei indignationem animo expendit. Et idcirco neque parentibus debitum, atque convenientem honorem attribuit, neque spiritali se opere dignum exhibet. Unde deinceps nascuntur maledicta adversus promissa, et in pietatem, atque religionem blasphemiæ: quod quidem horrendum est et dicere. Et quemadmodum impius, cum in profundum malorum venerit, contemnit; ita et hic in tantam temeritatem impingens, nequaquam est territus, sed instar illius, qui vendidit universam suam substantiam, vendensque suam stolam magni pretii, denique vero furore incitatus, hanc implevit assumentis panni rudis, ac sordidi; qua si utatur, non amplius in laudem et honorem, sed in subsannationem et improperium utetur.

IV. Quis enim non irrideat, aspiciens eum, qui heri in monte seipsum ad ministerium fratrum in unum habitan-

tium præcinxerat, ad imitationem Domini Nostri Jesu Christi; hodie famulorum comitatu stipatum, et ab ancillis ejus lavari pedes, eumdemque in molli lecto reponi, et ad fluxum atque remissum affectionibusque plenum vitæ genus iterum propensum illum intueri? aut quis cum ludibrio non habeat, qui heri in cella conclusus erat, et multorum conversationem vitabat; hodie autem cum inhonestis mulierculis vivat, et in tabernis ebrietati studeat? Aut quis eum non reprehendat, qui die hesterno sua sponte quæcumque temporalia, sive mundana abjecit, inopiam amplectens; hodierno autem assideat in judiciis? Et quæ jam damnarat, studiose rursus ad se revocet, et suam mentem a cœlestibus ad terrestria traducat, judicesque, mancipiorum instar, sequi gestiat? Et loco deprecationis atque meditationis eloquiorum Dei, cum causidicis sermocinetur? Et pro simplicitate, atque innocentia, versutiam morum atque sermonum assumat? Utinam autem ex iis, quæ videmus tribunalibus, mente comprehendamus etiam judicium futurum, fugiamusque vitæ hujus ærumnas, ac nostri vivendi modum cum pietate commutemus. Tunc enim, tunc, inquam, gaudium erit inter Angelos, et lætitia bonis, propinquisque reconciliatio. Luctus enim eorum, qui iniquo animo tulerunt ejus secessum, convertetur in lætitiam propter optimam jam vitæ filii rationem initam. Beati enim putantur ac prædicantur ab amicis, iisque maxime qui casus eorum qui revertuntur, in vita conspiciunt, et tanquam munera Domino Deo offerentes, beatificantur. Gloriatur genus de strenuis factis egregii Athletæ, et alacres gestientesque percontantur quoscumque obvios. Virtus autem abscondi nequit, audientque optimam super eo invalescentem famam, ac in his glorificabunt Dominum, seque amicos, ac consanguineos certatoris esse asserent. Qui in dignitate sunt constituti, hunc ab auctoritate ac dignitate

commendabunt. Milites eum a rebus militiæ gestis demirabuntur. Ejusdem artificii homines, hunc in simili secum arte exercitatum laudabunt. Ita cunctis, bene beateque agentes, virtus amabiles celebresque efficit in Domino. Ideo in gloria cœlestique regno coronabuntur.

FINIS TOMI TRIGESIMI NONI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 27.

Forsan vox ista « Apostolus » spuria est, quippe Christus ipse hæc, quæ sequuntur, verba protulit, ut ex Evangelio S. Joan, vi, 34 et xiii, 33 compertum habemus.

Annot. (2), pag. 528.

Reliqua hujus sermonis prætermittuntur, utpote quæ eadem prorsus repræsentant ac sensus et verba quæ sermone sequenti, *In mulierem peccatricem*, continentur.